2375

53.8.57

SOL

In Virtute Suâ IESVS CHRISTVS SALVATOR MVNDI,

In suarum Splendore Excellentiarum aspectabilis Contemplationi, Æstimationi, Amori, Orbis Christiani,

Z BIBLIOTEKI SEMINARIUM ARCHIDIECEZJALNEGO 12375

A. R. P. GASPARE DRVZBICKI, *Societatis* IESV

Propositus.

Cum Licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
Typis Viduæ & Hæred: CHRISTOPHORI SCHEDEL
S. R. M. Typograph. A. Dñi, 1662.

IESV CHRISTO,
DOMINO, REGI,
Omnem omnis Creaturæ Cognitionem, Amorem, Venerationem.

DAbis veniam, REX & DOMINE ſuperque omnes Reges & DEOS excelſe & eleuatè: dabis inquam veniam mihi, præſumptionis huius meæ: quod qui ſum VERMIS terræ viliſsimus, & omnium Hominum poſtremus, audeam enarrare EXCELLENTIAS MAIESTATIS TVÆ, quibus Tu omnes ſimul Creaturas, DEVS-Homo factus in Immenſum, & omni procul exæquatione antecellis.

Non potui Materiem mihi ad pertractandum Digniorem, non vberiorem, non neceſſariam magis, non magis vtilem, non magis honeſtam, non magis delectabilem, non magis appetendam, non magis omni labore, induſtriâ, conatuque, ad exaltandum idoneam, deligere: quam hæc eſt, quæ Tu, DEVS ac

Dominus noſter, omni iure, omni merito, omni plenitudine, omni exceſſu, in immenſum maior exiſtis.

Et eſt quidem omni veritate cogente fatendum, nihil æquè inſipienter, nihil æquè temerè attentari poſſe, *quàm ſcrutatorem eſſe Maieſtatis Tuæ*, quoniam neceſſe eſt omnem qui eiuſmodi *ſit opprimi à gloriâ*: perinde vt qui Oceanum exhaurire velit, opus eſt omninò à redundantium fluctuum, obrui abſorberiq́ue copiâ; Verum tamen Tu DEVS noſter eiuſmodi etiam es, vt nihil iuſtius omnis Creatura attentet, audeatuè, quam in laudem gloriamq́; tuam omni conatu, omni ſtudio, omni animo affectuq́; effundi, conari, attentare, docente, inuitante, animante nos ad id tuo diuino oracullo, quando ita omnes creaturas alloquar: *Glorificantes Dominum, quantumcunq́, potueritis, ſuperualebit enim adhuc, exaltate illum quantùm poteſtis, maior eſt enim omni laude*. Eam obrem, in Excellentijs DEI enarrandis, & conandum eſt omnibus præſtare quod poſsint, & non deficiendum in eo, quod nequaquam quantùm debent, tantùm poſsint. Superemineutem enim

Prou. 25. 27.

Eccl. 43. 32.

enim omni ex parte Domini nostri Magnitudinem, nisi diuina fides credat, sermo humanus non explicat, & ideò materia nunquam deficit laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. Leo serm. 9. de Natiu.

Eam ob rem, hoc ipsum etiam proficit, ad meam excusationem ac veniam, quia non solus ego, sed omnes mecum creaturæ ad exaltationem Tui tam sumus per omnia impares, quantùm inuenimur per omnia debitores.

Vnde quoniam ad Tuam Theandricam altitudinem dignè promẽdam non sufficimus, opus est vt sentiamus bonum nobis esse quod vincimur, & veniabile tamẽ quod conamur.

Nemo enim ad cognitionem Maiestatis Christi Dei nostri magis appropinquat, quàm qui intelligit, in Excellentijs eius enarrandis, &si multum proficiat, semper tamen sibi superesse, quod quærat. Nam qui se ad hoc in quod tendit peruenisse præsumit, non ille quæsita reperit neq; ea, quæ enarranda susceperat compleuit, sed tàm in disquisitione, quàm in enarratione defecit.

Quod mihi eueniisse in præsenti meo conatu, admodum libenter confiteor, vt ad exalta-

tionem Domini mei, & ad Excellentiarū eius enarrationē, quoniam mea mihi non sufficit copia, proficiat tamen & sufficiat inopia.

Quod igitur, nunc ago, illud est; quia ad Tuā amplitudinem neq; cum copiâ, neq; cum sufficiētiâ, sed cum egestate accedam & inopiâ. Sciens & confitens, Te quidem talem esse DEVM, & Dominum & Regem nostrum, vt Te per omnia *deceat* tibiq; debeatur *Silentium* nostrum Nihilominus etiam ad me, similesq; mei spectare non dubito, illud tui Prophetæ.

Isai. 62. 7. *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.*

Dabis ergo (iterum, iterumq; repeto) Domine veniæ largitor, & humani in laudes tuas conatus amator, veniam balbutiei meæ: qui solus sicut tibi cognoscendo, ita quoque & æstimando & amando, & enarrando sufficis. Nec attendes, quàm nihil sit quod ego præstiterim, sed quàm immensum sit, quod præstare & velle, & conari debuerim.

SERE-

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO

JOANNI CASIMIRO

Poloniæ & Sueciæ Regi,

Æterna à DEO Felicitas.

POst Regem Regum, Vniuersiq; Dominum, ad Te quoq; Dominum meum, Regemq; Serenissimum accedo IOANNES CASIMIRE, verbo absoluens negotium meum. Conatus sum Excellentias Domini nostri IESV CHRISTI, super omnia Creata recensere, atq; pro exilitate virium mearum enarrare: non eâ spe, quod immensam tantæ materiæ magnitudinem exæquari à me posse crederem, sed quod meum, & omnium nostrum Dominum cognitionem, amorem, appretiationem, vniuersorum hominum mentibus instillare deside-

desiderarem. Hunc ergo conatum meum, Tibi REX *Serenissime præsentaturus aduenio. Non meâ me admetiens facultate, quam scio fateorq; tenuissimam, sed quia cui æterni cælorum Regis laudem consecrarem, non inueniebam, præterquam Tuam Serenissimam Polonorum Regis Maiestatem. Supersedeo alijs causis, quæ abundè suppetunt, ob quas tuæ Serenitati obstrictus sum, enarrandis: solummodò supplex veneror Maiestatem tuam, & hoc qualecunq; est, obseruantiæ, venerationisq; meæ* TIBI *debitissimum symbolum do, dico, dedicoque.*

Seruet Serenitatem Tuam, Regno isti, quàm diutissimè incolumem, REX *& Dominus omnium* IESVS CHRISTVS. *Ita voueo.*

Serenissimæ Maiestatis Tuæ

æternùm deuotus, cum vniuersâ Societate IESV,

Cliens in Christo IESV,

GASPAR DRVZBICKI.

Lectori

Lectori Beneuolo.



IBI etiam LECTOR beneuole, hanc operam meam dono, & expono. Tu accipe, & fruere. Non tamen à me humili auctore, hæc tibi commendata sit Tractatio, commendet illam ipsa Materies (IESVS Christus DEVS noster,) quâ nihil cogitare quisquam potest maius, augustius, diuinius; sed nec cuiusquam vel Animus, vel calamus, tractare hanc potest pro dignitate, pro Maiestate, pro sublimitate, ita congruenter, ita exæquatè, ita plenè, ita condignè, quin ipsius Materiæ superexcellentia, in immensum sentiat se superatum, agnoscat excessum, fateatur euictum, gestiat etiam gratuleturque obrutum. Quare mi LECTOR, ne existimes, nihil tibi de huius Argumenti immensitate ad cogitandum, ad tractandum, ad gustandum, reseruatum esse: immò verò opus esse existimes velim, tibi hîc à me solùm appetitum acui, gustum proritari, orexim

accendi. Ergo vti hæc mente, oculisque liber a-
ueris, deprome quantumcunque præualebis, co-
gitandi, commentandi, contemplandi, explanan-
di vbertatem; amplius autem exere omnimodam
dilectionem, gratulationem, exaltationem, frui-
tionem: Nunquam in præsenti vitâ, sed solum
in alterâ explendam. Quod tibi vnà me-
cum, mihi vnà tecum non solum voueo, sed
etiam exoro, & expecto. Ita fiat.

V A L E.

APPROBATIO
R. P. STANISLAI IERZYKOWIC, Visitatoris Poloniæ Societ: IESV.

CVM librum à P. GASPARO DRVZBICKI, Societatis nostræ Sacerdote compositum, (cui titulus: De Excellentijs Domini Nostri IESV Christi, Super omnes Creaturas) designati ex eâdem Societate Patres recognouerint, & in lucem, ad augendam æstimationem Domini Nostri IESV Christi, proditurum censuerint: Ego STANISLAVS IERZYKOWIC Societatis IESV, per Prouinciam Poloniæ, Visitator, potestate ab Admod: Rñdo Patre Nostro GOSWINO NICKEL, Præposito Generali mihi facta, eundem librum typis vulgari permitto. In cuius rei fidem, has Auctori manu propria scriptas, Sigilloque munitas dedi. Cracouiæ, 10. Octobris. Anno D. 1660.

Stanislaus Jerzykowic,

INDEX,
In Excellentias Domini Nostri IESV CHRISTI.

PRæfatio, de Domini nostri IESV CHRISTI, Excellentijs. fol. 1.

Excellent: I. IESVS CHRISTVS ab æterno prædestinatus, fieri DEVS-Homo, id est, summum opus operum DEI. fol. 4.

Excellent: II. CHRISTVS IESVS, verus est DEVS, verusq; Homo. fol 6.

Excellent: III. CHRISTVS de Spiritu Sancto, & de MARIA Virgine Matre, DEVS-Homo factus est. fol. 9.

Excellent: IV. CHRISTVS condignus est, conditus ad nostram Redemptionem. fol. 12.

Excellent: V. CHRISTVS admissus est ad pactum, & promissionem nostræ cum DEO reconciliationis. fol. 15.

Excellent: VI. CHRISTVS communicationem idiomatum, inter DEVM, & Hominem accepit. fol. 21.

Excellent: VII. CHRISTVS per substantialem gratiam, nempè Diuinitatem Sanctus est. fol. 24.

Excellent: VIII. CHRISTVS est Sanctificator noster, & sanctificatio nostra. fol. 29.

Excellent: IX. CHRISTVS omnibus gratijs diuinis, in summo gradu, repletus est fol. 38.

Excellent: X. In solo CHRISTO habitat, omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. fol. 45.

Excellent: XI. In solo CHRISTO, omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ DEI, sunt absconditi. fol. 55.

Excellent: XII. Solus CHRISTVS est, Electorum DEI, & primus, & caput. fol. 64.

Excellent: XIII. Solus CHRISTVS est generis humani Saluator. fol. 69.

Excellent: XIV. Solus CHRISTVS est, Redemptor generis humani. fol. 78.

Excel-

Excellent: XV. *Solus* CHRISTVS *per Spiritum Sanctum incarnatus, conceptus, & natus est ex Virgine.* *fol. 86.*

Excellent: XVI. *Solus* CHRISTVS *vixit, viuitq; vitam super omnes viuentes Creaturas, Nobiliorem, Dignioremque.* *fol. 91.*

Excellent: XVII. CHRISTVS *Dominus solus vixit vitam, super omnes creaturas, sanctissimam, religiosissimam, atq; perfectissimam.* *fol. 100.*

Excellent: XVIII. *Solus* CHRISTVS *summam potestatem, virtutemq; docendi habuit.* *fol. 111.*

Excellent: XIX. *Solus* CHRISTVS *doctrinam, super omnes doctrinas, præstantiorem, docuit.* *fol. 118.*

Excellent: XX. *Solus* CHRISTVS *est completum Exemplar doctrinæ suæ.* *fol. 139.*

Excellent: XXI. *Solus* CHRISTVS *Thaumaturgus, seu miraculorum patrator, præ omnibus creaturis.* *fol. 158.*

Excellent: XXII. *Solus* CHRISTVS *in Passione suâ, & Morte, supra omnes Creaturas excelluit.* *fol. 167.*

Excellent: XXIII. *Solus* CHRISTVS *Passione suâ exaltatus est, super omnes Creaturas.* *fol. 176.*

Excellent: XXIV. *Solus* CHRISTVS *in Resurrectione suâ, super omnes Creaturas est.* *fol. 188.*

Excellent: XXV. *Solus sedet ad Dexteram Patris, Dominus noster* IESVS CHRISTVS. *fol. 197.*

Excellent: XXVI. *Solus habet* CHRISTVS *Dominus, supremam Iudicis omnium potestatem.* *fol. 207.*

Excellent: XXVII. *Solus* CHRISTVS, *per Matrem, simulq; Virginem* MARIAM, *exaltatus est super omnes Creaturas.* *fol. 223.*

Excellent: XXVIII. *Solus* CHRISTVS, *est Caput omnium Creaturarum.* *fol. 235.*

Excellent: XXIX. *Solus* CHRISTVS *Dominus ditissimus meritorum, & liberalissimus est.* *fol. 245.*

Excellent: XXX. *Solus* CHRISTVS *est Summus Sacerdos, & Aduocatus, Mediatorque inter nos, &* DEVM. *fol. 258.*

Excellent: XXXI. *Solus* CHRISTVS *est summus omnium Rex, eoq; titulo excellentissimus.* fol. 268.

Excellent: XXXII. *Solus* CHRISTVS *est summè, & perfectissimè* DEO *subiectus.* fol. 283.

Excellent: XXXIII. *Solus* CHRISTVS, *est Sanctorum Remunerator, & Glorificator æternus in cælis.* fol. 293.

Paragraph: I. CHRISTVS *Dominus est Glorificator Sanctorum in cælo.* fol. 295.

Paragraph: II. *Vnde hoc sit* CHRISTO, *quod sit Glorificator Sanctorum suorum?* fol. 297.

Paragraph: III. *Quomodo cupiat Dominus* IESVS *exequi hoc munus, Glorificatoris Sanctorum?* fol. 299.

Paragraph: IV. *Hæc omnia de Glorificatore Domino nostro* IESV CHRISTO, *debent Christianum prouocare 1. ad laudem, 2. ad congratulationem, &c.* fol. 301.

Paragraph: V. *Quomodo* CHRISTVS *exequatur hoc Glorificatoris munus?* fol. 303.

Paragraph: VI. *Quàm indignè ferat* CHRISTVS *Dominus se præpediri à glorificatione Sanctorum suorum?* fol. 305.

Paragraph: VII. *Quomodo impeditur* CHRISTVS *ab executione glorificationis? peccato mortali, veniali, grauiori, &c.* fol. 306.

Paragraph: VIII. *Supra dicta, omnem Christianum prouocare debent, ad amorem, dolorem, spem, &c.* fol. 308.

Paragraph: IX. *Quàm sit gratum* CHRISTO *Domino, si iuuetur in munere Glorificatoris obeundo?* fol. 310.

Paragraph: X. *Quantus sit honor Electorum* DEI, *Glorificatorem habere* IESVM CHRISTVM, DEVM-*Hominem?* fol. 312.

Paragraph: XI. *Quibus modis obtineatur ab Electis glorificatio* CHRISTI. fol. 314.

Paragraph: XII. *Ista quæ in præcedentibus dicta, omni Christiano persuadere debent, studium alienæ perfectionis, horrorem minimi peccati, &c.* fol. 315.

Paragraph: XIII. CHRISTVS *Dominus tractat Electos suos, veritate, ac luce.* fol. 317.

Paragraph:

INDEX.

Paragraph: XIV. CHRISTVS Dominus Sanctos suos pascit Bonitate, Charitate, Gaudio, & Voluptate. fol. 318.

Paragraph: XV. Dominus IESVS CHRISTVS Sanctos suos glorificat Gloriâ, Regno, Hæreditate cælesti. fol. 320.

Paragraph: XVI. Supradicta Christianum confirmare debent in virtutibus Theologicis, Obseruatione, Præceptorum, &c. fol. 322.

Paragraph: XVII. CHRISTVS Electos suos beatificat in cælo, Mercede, Coronâ, Denario, Præmio. fol. 323.

Paragraph: XVIII. Dominus IESVS CHRISTVS beatificat Sanctos suos vitâ, & vbertate, plenitudine, satietate omnis Boni. fol. 324.

Paragraph: XIX. CHRISTVS IESVS beatificat Sanctos suos Vnione, & communicatione mutuâ. fol. 325.

Paragraph: XX. Prædicta animare debent Christianum ad laborem, vitam absconditam in DEO, viam dilectionis, &c. fol. 227.

Paragraph: XXI. Dominus IESVS CHRISTVS beatificat Sanctos suos, Sacratissimâ Humanitate suâ. fol. 328.

Paragraph: XXII. Dominus IESVS CHRISTVS glorificat Electos suos, suâ superbeatissimâ Diuinitate. fol. 330.

Paragraph: XXIII. Dominus IESVS CHRISTVS Electos suos beatificat Æternitate, & Securitate. fol. 331.

Paragraph: XXIV. Prædicta excitare debent Christianum ad amorem, &c. Humanitatis, Diuinitatis, &c. fol. 332.

Paragraph: XXV. Domino IESV CHRISTO Sancti eius in cælo, sunt Exercitus, seu Legiones, atq; Milites. fol. 333.

Paragraph: XXVI. Sancti in cælo, sunt IESV CHRISTO præda, & spolia. fol. 334.

Paragraph: XXVII. Sancti in cælo, sunt IESV CHRISTO trophæa, & pompæ, arcusq; Triumphales. fol. 335.

Paragraph: XXVIII. Prædicta Christianum hortantur ad certamen, &c. fol. 336.

Paragraph: XXIX. Sancti in cælo sunt specula, & imagines, ad viuum, & genuinis coloribus, in sese IESVM CHRISTVM ipsimet CHRISTO, & omnibus qui in cælo sunt, glorioſissimè repræsentantes. fol. 337.

Paragraph: XXX. Sancti in cælo sunt Amici, & conuiuæ, hospites q; CHRISTI. fol. 338.

Paragraph: XXXI. Sancti sunt IESV CHRISTI thesaurus, imò thesauri in cælo reconditi, & quidem tot, ac tanti, quot & quanti sunt Sancti. fol. 339.

Paragraph: XXXII. Prædicta Christianum inducere debent, ad delendam in se seriem hominis imaginem, &c. fol. 341.

Contemplatio I. VERBI Incarnati CHRISTI, Sanctos suos glorificantis. fol. 343.

Contemplatio II. Delitiositatis Essentiæ Diuinæ. fol. 346.

Contemplatio III. Effusionis Sanctorum, in Diuinæ Essentiæ delitiositatem. fol. 350.

APPROBATIO.

EXcellentias Saluatoris noſtri DEI, & Domini IESV Chriſti, quibus ex Sacratiſsimâ Humanitate ſuâ, Æterno DEI VERBO in tempore vnitâ, ſupra omnem eminet creaturam, à Reuerendo Admodum P. GASPARO DRVZBICKI, Societatis IESV Theologo, doctè accuratè, & deuotè conſcriptas legi, vtque ad propagandum, in animis fidelium, earum cultum, publicæ proponantur luci, facultatem conceſsi. 15. Septembr. A. D. 1661.

HYACINTHVS LIBERIVS, S. T. Doct.
Præpoſitus SS. Corporis CHRISTI,
Liberiorum in Diœceſi Cracovien.
CENSOR.

Auctores, quibus vsus sum in opère hoc, de Excellentijs Christi.

S. Anselmvs Cantuar.
S. Ambrosivs,
S. Avgvstinvs,
S. Chrysologvs,
S. Chrysostomvs,
Christophorvs Vega,
Franciscvs Suarez,
S. Gregorivs Magnus,
S. Hieronymvs,
Lavrentivs à Ponte,
S. Leo Magnus,
Michael Gillenius,
Robertvs Bellarminus.
D. Thomas.

PRÆ-

PRÆFATIO

De Domini Nostri IESV CHRISTI, *super omnem Creaturam Excellentijs.*



VAmuis Dominus Noster IESVS Christus DEVS-Homo, adeò sit eleuatus exaltatusque, & excelsior omnibus huius Creati Vniuersi rebus, ipsisq; etiam Cœlis, factus: vndequaque, gloriâ, & honore adimpletus, circumdatus, & coronatus, atque super omnia opera manuum DEI constitutus, emineat: habet nihilominus in sese quasdam insigniores Excellentias, atque prærogatiuas huiusmodi, in quibus, nulla ei Creatura, vllomodo, comparari possit, vel debeat. Has Excellentias, in hoc volumen, breuibus colligere, atque, pro auxilio gratiæ, ipsius Domini IESV suffragantis, recensere, deuotisque, ac IESVM amantibus mentibus, exhibere; ac, per hoc ipsum, Dominum IESVM, ipsis commendare propositum est.

In quo proposito sequar Prophetarum Regem beatissimum Dauidem, qui tum aliorum multorum Psalmorum suorum, tum potissimè maximam Psalmi 44. partem, in eo persoluit, & occupat, vt Domini IESV gloriam, plurimum plurimumq; exornet. Sic enim ait. *Eructauit, cor meum, verbum bonum, dico ego, opera mea, Regi.* quod, nequaquam se, de suo proprio spiritu, ait, peragere, sed, de spiritûs superni, atque Diuini Magisterio, atque plenitudine: qui tanquam peritissimus, consummatissimusque scriptor, per oris, & linguæ illius instrumentum, seu calamum, infinitas, omninoque Diuinas, DEI-Hominis dotes, enarrauit quidem, quasi tamen scripsit, quia *Psal. 44. 1.*

non eas in ventum, vento ipso dispergendas, sed quasi stylo ferreo, vel vngue adamantino, aut celte, in æternæ durationis silice, sculpsit. Et licet ordiatur, laudes istas, à formâ, & decore, speciequè illius, nonnisi tamen, à formâ, & pulchritudine, atque specie illâ, quæ est forma formarum, essentialisque ac fontalis pulchritudo, & species DEO digna. Forma enim Christi, ipsius DEI, forma est, dans Christo, esse æquale, DEO; quanquam, & Animæ illius pulchritudo, omnem spiritualem, omnium etiam spirituum pulchritudinem, euincit. Corporis quoque eius glorificati decor, tantus est, & tam eximius, vt, non solùm speciosior sit, omnibus filijs Hominum, sed euincat ipsa sydera, & Solem, lunamque, in admirationem sui rapiat. In quo, non ei obfuit quidquam, quod formam serui acceperit, & habitu, vt homo inuentus, seu factus sit. Id enim ipsum, ad augmentum Speciei, & pulchritudinis eius cessit, vsque ad Angelorum inuidentiam; nusquam enim Angelos: sed semen Abrahæ apprehendit, & naturæ humanæ adglutinatus est. Sine vllâ propriæ pulchritudinis iniuriâ, cùm summa autem humanæ speciei, ipsis etiam Angelis, inuidendâ gloriâ. Propterea enim DEVS, benedixit eum in æternùm, benedictione, nimirum Vnionis Hypostaticæ, quâ factus est, consubstantialis Patri, Vnigenitus, atque antonomasticè, & per Excellentiam, Dilectus, atque, Nomine super omne Nomen, donatus, ita, vt in Nomine eius, quod est JESVS, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ex hac substantiali Vnionis benedictione, processerunt tanquam ex fonte, vel potiùs Mari, omnes abundantiæ, ac plenitudines gratiarum, benedictionumque, de quibus acceperunt, & accipiunt, siue supernа, & inuisibilia, siue inferiora, & visibilia, siue Trinitas DEVS, gloriam, siue Angeli, beatitudinem, siue homines salutem, & gratiam, atque vitam æternam. Vnde & dicimus ei cum Prophetâ gratulantes, atque gloriantes.

Psal. 44. 3. *Diffusa est gratia in labijs tuis, quia benedixit te Pater tuus in*

æter-

æternùm: fecitque te, non solùm speciosissimum, verùm etiam, præ omnibus gratijs, gratiosissimum, insuperque potentiorum omnium, potentissimum.

Adglomerat sanctissimus Propheta, plures alias Dei Nostri diuitias, ab originali Vnionis Hypostaticæ benedictione in ipsum diffusas: sed eas etiam recensere hîc omittimus; quia non ad psalmi interptetationem, sed tantùm ad exempli Prophetici imitationem, nos accingimus. Exemplo enim Prophetæ (vt prædixi iam) Excellentias, Domini Nostri Iesv Christi, colligere, atque easdem, siue Animo, siue etiam calamo, contemplari libet. Vtinam huic conatui nostro, aspirare dignetur, ille scriptor Diuinus, potiùsque, Devs Spiritus Sanctus. Cuius fauor, Gloriæ Christi semper cooperari, semper eius laude, & exaltatione occupari delectatur. Cui etiam ego, tanquam Regum Regi, vnà cum Patre æterno, & cum eius Vnigenito, omnia & singula opera mea, & nunc, & semper dico, dedicoque, in æternum, & vltrà.

EXCELLENTIA I.

IESVS *Christus ab æterno prædestinatus fieri* DEVS-*Homo, id est, Summum opus operum* DEI.

PRIMA Excellentia, seu Benedictio IESV Christi Domini nostri, super omnes Creaturas, & ad quam nulla creatura pertingere potest, est hæc: Quia in Æternâ DEI Electione, atque Prædestinatione constitutus, decretusque est, vt esset, veluti quoddam Opus, Diuinorum omnium operum ad extrà, excellentissimum, Diuinæq; Gloriæ, Sapientiæ, Omnipotentiæ, Charitatis, Bonitatis, Misericordiæ, Iustitiæ, Perfectionis, Sanctitatis, Beatitudinis, Beatificationisque, summum, & incomparabile, & ideale, tum exemplum, tum instrumentum, atque medium; simul autem, omnis Creaturæ primus, primogenitus, Princeps, Rex, Dominus, Monarcha, Finis. Testatur hoc disertè Apostolus, sepissimè quidem alias, sed nominatim ad Romanos scribens de Christo Filio DEI. qui quidem in tempore *factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, ab æterno autem prædestinatus est, Filius DEI in virtute, secundùm spiritum sanctificationis.* Hoc ipsum, Dominus IESVS, ipsemet frequenter in ore habuit, ostendens se, ante suum, in carne ad homines aduentum, fuisse ab æterno apud Patrem in mente, & Electione, & prædestinatione, non secundùm Diuinitatem, & Personam tantùm (quomodo coæternus, consubstantialis, coæxistensq; est Patri, de substantia, & ex vtero genitus, non Electus, aut Prædestinatus) sed æternitate voluntarij, vel voluntate æterni decreti. Tale est illud Domini, ad Patrem pro seipso dictum. *Pater clarifica me claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te*, tale & illud, ad Iudæos de se, & Abrahamo responsum. *Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* In hoc eodem, atque

Rom. 14.

Ioan. 17. 5.

Ioan. 8. 58.

post

post eundem Christum, ante omnem creaturam Electum, prædestinatumque, omnes nos, teste Apostolo: *Elegit* DEVS *in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum, per* IESVM *Christum: secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ Gratiæ suæ.* Atque in hac Excellentiâ, Dominus IESVS Christus, neminem habet parem, socium neminem, sed solus *ipse est in omnibus primatum tenens*, omnia verò, post ipsum sunt, *& omnia in ipso constant.*

Ephes. 1. 4. Coloss. 1. 18. Ib. ℣. 17.

Quod cum ita sit: tu Anima quæcunque fidelis es: subintra paululùm, abyssum illum Æternæ DEI Electionis, & Prædestinationis originalis, factæ à DEO, de Christo: & si potes, aut quantùm humiliter prævales circũfer oculos mentis tuæ per illam Altitudinem, Longitudinem, Latitudinem, Profunditatem Electionis Christi, in quo *complacuit DEO, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare in ipsum.* Metire animo, circumferentiam illam omnem capacitatis Christi, immensam, prorsus atq; incomprehensibilem creaturæ omni: quâ Christus ex tunc: hoc est à momento prædestinationis suæ, omnia in sese complexus est, reducente ad ipsum, & concludente in ipso, DEO vniuersa: *secundùm propositum voluntatis suæ, vt sint omnia in laudem gloriæ eius in Christo.* Fuisti & tu Anima, iam tunc in parte, & sorte Christi, præsentata & donata illi, *in pignus hæreditatis, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.*

Ib. ℣. 19. Eph. 1. 12. Ib. ℣. 14.

O si comprehendere posses, quibus te oculis charitatis suæ, iam tunc signauit, sibiq; in te complacuit, adhuc & ipse tantùm Electus IESVS! Admirare obstupescens illum Christi, plenitudinis immensæ, ineffabilem, incomprehensibilemque statum. Tum verò Dignitatem hanc, & benedictionem Christo congratulare, atque congaude totis viribus capacitatibusque, omnis substantiæ tuæ. Exulta, tuo, & omnium confratrum tuorum Nomine, de tali tuo DEO Christo,

Christus ex æterna Dei prædestinatione summum Opus, operũ DEI.

Saluatore, medioque Salutis tuæ. Porrò supra omnem modum & virtutem tuam conare, ad effusissimam laudem, & gratiarum actionem DEO Electori, Dilectori, Prædestinatoriqúe Christi, ad tam excellens officium: ad quale Christus Ordinatus, atque Decretus est ab omni æternitate. Est enim hoc & beneficium beneficiorum, & opus operum omnium, quæ fecit DEVS, extra ipsum se longè maximum, admirabilissimum, ad manifestandam DEI magnitudinem, perfectionemque, necnon ad creaturæ magnificationem accommodatissimum. Denique gaude, & gratulare ipsi tibi, quod in tanto DEI opere, quale est IESV Christi, DEI-Hominis Electio, ac Prædestinatio, locum quoque inueneris tu, licet vilissima vilitatis particula, habere, ex purâ DEI miserentis gratiâ, & ex præuisis tunc iam Christi in rem tuam exstituris, nec non sanguine atque morte Crucis eiusdem comparandis meritis: Quod certè infinitis, tui similibus, imò te præstantioribus creaturis inuenire, neque tunc datum, neque in æternum dandum est. Totâ humilitatis tuæ instantiâ pete, vt tota Decretorum DEI de te præfinita, atque in Christo reposita series, & nunc quidem effectum suum, per Diuinæ Gratiæ, Christiqúe meritorum efficaciam, tuamqúe in simul cooperationem, sortiatur, ac demum consummatâ in cælis gloriâ, atque beatitudine, finaliter concludatur.

EXCELLENTIA II.

Christus IESVS *verus est* DEVS, *verusque Homo.*

ALTERA Domini Nostri IESV Christi super omnes Creaturas, Excellentia est, quia ex Deitate & Humanitate, in vnam Verbi, Filijque Vnigeniti DEI Personam, per-

per Vnionem Hypostaticam cóàlitus, atque DEVS-Homo factus est, quemadmodum Anima, & Corpus mediante vnione, vnus est Homo, non transeunte Anima, in substantiam Corporis, nec corpore, in substantiam Animæ mutato, sed ambabus substantijs, in suo proprio iure manentibus, vnum sit suppositum, vnaque persona: sic in Christo Diuinitas, quod erat permansit, & Corpus quod non erat, assumpsit, & in personâ Verbi, DEVM-Hominem perfecit, atque, hoc modo, conflatum est illud admirabile, illud ineffabile, illud substantialiter Sanctum Compositum, vnctusque est, Sanctus Sanctorum, solus inter omnes, solusque præ omnibus participibus suis, tam singulariter, quàm etiam plenè, ita vt *de plenitudine illius accipiant omnes:* absque vllâ diminutione plenitudinis eius. Sicut de Mari & accipiunt omnes, & exeunt omnia flumina, & tamen Mare, diminutionem non sentit. Atque hoc est illud, *SACRAMENTVM abscónditum à sæculis in DEO, qui omnia creauit:* hæ item sunt illæ, *inuestigabiles diuitiæ Christi,* hæc illa *Multiformis Sapientia DEI, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo IESV Domino Nostro:* secundùm quam illud Verbum, quod *in principio erat apud DEVM,* quodque *DEVS erat* etiam ipsum, & demum *quando venit plenitudo temporis,* idem ipsum *VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis.* *Ioan. 1. 16.* *Ephes. 3. 9. 10. 8.* *Ioan. 1. 2.* *Gal. 4. 4.* *Ioan. 1. 14.*

Quo se hic vertet, aut quid primum, potissimumque attendit Animus hominis, imò quicunque Creatus, etiam Angelicus, in Angelicisque supremus? Hic iure exclamauerit omnis cum Apostolo creatura. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & scientiæ DEI,* Virtutis & omnipotentiæ DEI, Magnificentiæ & Profusionis DEI! Quæ enim maior, vel artificiositas, inuentioque Sapientiæ, vel victoriositas Omnipotentiæ, vel profusio Cummunicabilitatis, cogitatione effingi potest, quàm DEVM-Hominem, Hominemque DEVM fieri, factumque reipsâ esse? Quæ maior & exaltatio, & locupletatio, & felicitas beatitu- *Rom. 11. 33.*

Excell. 2. titudoque concipi potest, quàm ea, quæ Christo contigit, vt esset DEVS-Homo? DEVS tàm verus, quam & Homo verus: non alius tamen Christus DEVS, nec alius Christus Homo, sed vnus idemque omnino Christus DEVS-Homo. Tres in se vno, seu sub vnâ personâ continens disparatissimas discretissimasq; substantias, nimirum Diuinitatis increatæ; Animæ purè, spiritualis creatæ, carnis purè item materialis creatæ: vt in Christo sit etiam Noua, & alia, & stupenda Trinitas, atque vnitas; sed Diuinæ Trinitati, vnitatique opposita. In DEO namque est Vnitas substantiæ ac naturæ: Trinitas verò Personarum. In Christo autem contra, est Trinitas substantiarum & naturarum, Vnitas autem Personæ. Quæ etiam maior, & ineffabilior, vel concipi, desiderariq; ab Homine, vel præstari, conferriq́ue potest Homini Gratia, Charitas, & Dignificatio, quàm Hominem de medio sui, ad vsque substantiale & personale, hypostaticumq́ue Diuinitatis consortium habere assumptum & eleuatum; & suæ quidem tàm salutis, quàm beatitudinis, diuinæq́ue in æternum possessionis, ac fruitionis gratiam habere? Ita, nimirum complacuit DEO, nihil omnino, neque in suam propriam gloriam: neque in Vnigeniti Filij sui Christi locupletationem perficere, quin simul quidquid moliretur, eius totius Magnificentiæ suæ, Hominem quoque, id est, quemlibet nostrûm participem redderet, imò quasi in centrum, in Hominem, in eiusq́ue æternam beatificationem colligeret: quasi neque DEVS eminere DEVS, neque Christus esse posset DEVS-Homo: nisi vtriusque huius operis Diuini, particeps quoque, imò quasi plenarius possessor, & hæres fieret Homo.

O Domine! quid est homo, quia sic ab ipsâ beneplaciti tui æternitate, apud te Magnificas eum? quid est homo putredo alioqui vera, & vermis, quia dignum ducis aperire oculos tuos super eum? Magnum quiddam dixisse videbatur sibi Regius Propheta Dauid, de Magnificentiâ DEI super hominem, vt potè *paullò minus minoratum*

Psal. 8.

tum ab Angelis. Sed ô Sancte! parum, certè dixisti: dicere in veritate debueras DEO, quia magnificasti hominem longè, & longè valdè magis ab Angelis, non ideò, quia illi sunt omnes administratorij Spiritus, missi in ministerium hominibus, qui hæreditatem capiunt salutis: sed ideò, quia ex Hominibus est ille, qui DEVS est: & cui DEVS dicit: Filius meus es tu: ego hodie, ante luciferum, ex vtero genui te; quod sanè ad DEVM Angelum non dixit: quoniam non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit: & Verbum, non Angelus, sed Caro factum est: & idem, qui est Filius DEI, est in simul Filius Hominis, qui non confunditur reliquos homines, fratres suos dicere: & dare illis potestatem, filios DEI fieri, illosque cohæredes in suâ Hæreditate facere.

Christus veritate Diuinâ, & Humanæ naturæ, excellentissimus.

Exulta, exulta satis, ô Natura humana, pauperc[u]la, vilis, misera, terrena, mortalis, peccatrix, quia nihilominus fecit tibi Magna: ô verè Magna: qui potens est. Propterea, sit apud te Sanctum, & intemerabile semper Nomen eius. Gratias age DEO, gratulare Domino IESV Christo: tibi congaude, super, vsque adeò ineffabilibus, & inexpectabilibus omnipotentis DEI operibus. Defle etiam amarissimis amaritudinibus, cæcitatem, atque ingratitudinem, plusquam ingratam, & detestabilem filiorum hominum.

EXCELLENTIA III.

Christus de Spiritu Sancto, & de MARIÂ *Virgine Matre,* DEVS-Homo *factus est.*

TERTIA Excellentia Domini Nostri IESV Christi, quâ supergreditur omnes creaturas, est; quia solus ille, de Spiritu Sancto, & ex MARIÂ semper Virgine DEVS-Homo,

Excell. 3. mo, verus DEVS, verusque Homo: Filius DEI, & Filius Hominis, vnus, idemque factus, conceptus, genitus est. Filius DEI, sine Matre ab æterno. Filius hominis, sine homine Patre ex tempore. Et quamuis conceptus est de Spiritu sancto: non est tamen Filius Spiritus sancti, neque Spiritus sanctus est Pater eius, quoniam ex Spiritu sancto, non accepit substantiam de illius substantiâ, quam integram, ab æterno sumpsit ex Patre solo, quantùm ad Diuinitatem: integram etiam in tempore sumpsit, ex solâ Virgine Matre, quantùm ad Humanitatem: solâ Virtute, & omnipotentiâ Spiritûs sancti cum Virgine cóòperante, Humanitatem de purissimis sanguinibus Virginis, & simul Matris efformante, atque Diuinitati, Personæq; Verbi, hypostaticè vniente, & in vnam Personam Diuinam, vtramque substantiam coadunante, Christumque vnum DEVM-Hominem constituente. Substantia huius Excellentiæ Domini nostri tria hæc continet. 1. Quod de Spiritu sancto, & virtute Altissimi conceptus sit. 2. Quod de intemeratâ, puràque, ac semper Virgine, verâ nihilominus Matre, veram carnis suæ substantiam, Effectori Spiritui sancto, materno concursu subministrante, factus, & formatus sit. 3. Quod DEVS-Homo, verus, consubstantialisque, tam DEO Patri, quàm Homini Matri, filius, conceptus, & genitus sit. Horum trium nihil vlli creaturæ competit: tertium tamen est id, quod maximè substantiam Excellentiæ huius constituit. Posset enim de Spiritu sancto, posset & de purâ Virgine, purus homo concipi, neque tamen ex eo DEVS-Homo, sed purus tantùm homo esset, quisquis sic conceptus esset: nisi Diuinæ Personæ, eâque mediante, etiam Naturæ, ad humanitatem, Hypostatica substantialisque Vnio, conceptioni illi, & concepto sic Homini accederet: quemadmodum in Domino Nostro IESV Christo accessit, & ideò vnus, & solus, & verus est ille DEVS-Homo, qui dicitur IESVS Christus. Atque hæc sola res est, quæ Christum ex ordine purarum creaturarum subductum,

ductum, super illas omnes euehit. Hæc vna, consubstantialem DEO Patri Filium reddit: hæc est omnium prærogatiuarum eius fons, præter hanc, quidquid in Christo est, minus est. Hoc solum atque vnum, in Christo maximè æstimandum, honorandum, amandum, venerandum est. Non esset Christus nobis natus, non esset nobis factus, non causa salutis nostræ, non redemptor esset, non caput, non Rex: Nihil penitùs ad nos attineret aliâs; ob hoc tamen vnicum, quia DEVS-Homo est: omnis ei à nobis deberetur DEO dignus amor, & honor, & cultus. Non est quod in Christo digniùs cogitetur, quod veriùs cognoscatur, quod iustiùs honoretur, quod ardentiùs diligatur, quod inæstimabiliùs æstimetur, quod sublimiùs exaltetur, quàm quod sit, DEVS-Homo; hæc summa est dicendorum, dicique possibilium deipso. Hoc igitur in Nostro Christo exaltemus, amemus, prædicemus, ob hoc illi subdamur, vt DEO, ob hoc refugium apud illum, fiduciamque omnem nostram statuamus, ob hoc illius honori, & laudi, & veneration i totos nos impendamus, dedicemus, immolemus, ob hoc voluntati eius per omnia, & in omnibus adhærescamus, ob hoc gloriam Nominis eius vbique propagemus, & omnes, omnes omnino, ad eius fidem notitiam, Amorem, obedientiamque traducamus, ob hoc de indignâ & ingratâ honoris eius tractatione amarissimè lamentemur. Quod si, hoc fieri deberet à Nobis IESV Christo, etiamsi ad Nos ille nihil attineret: neque vlla ex ipso, & ab ipso nobis bona, commodaue promanarent: quanto magis, quanto iustiùs, quanto profusiùs, studiosiùsque effundi, nos par est, in eius Amorē, & Cultum, in eius obsequium, & exaltationem, in eius obedientiam, & imitationem, in eius Personæ, Legis, Doctrinæ, Gratiæ, Beneficentiæ, atque Fidei, & Meritorum, & Sanctitatis, prædicationem ac propagationem: quando ille totus quantus est, propter nos homines, & propter nostram Salutem est, propter nos descendit de cælis, propter nos Homo factus est, pro-

Christus ob peculiarem sui Cōceptus de Diuino spiritu prærogatiua, & Natiuitatē, deV. Matre, excellentissimus.

pter nos Natus, nobis datus, nobis vixit, nobis omnia Vitæ suæ opera, & merita, impendit: propter nos passus, Crucifixus, mortuus est Noster denique totus est, nostra iustitia, nostra sanctificatio, nostra reconciliatio, nostra gratia, nostra gloria, nostra vita æterna, omne bonum nostrum est?

EXCELLENTIA IV.

Christus condignus est conditus ad nostram Redemptionem.

QVARTA Domini Nostri IESV Christi Excellentia, quâ super creaturas vniuersas eminet, illa est; Quia ad DEVM, humano generi per peccatum vitiato, & exoso, damnationique, & iræ, ac morti æternæ addicto, reconciliandum, atque pro peccatis eius, atque debitis ad rigorem, quin & supra rigorem Iustitiæ, satisfaciendum conditus est: & ita conditus, talisque, vt huic muneri condignè idoneus esset. Non est facile, humano præsertim, imbecillo & cæcutienti animo cogitare, in quàm, & in quantopere irreparabilem ruinam, ex ruinaque consurgendi difficultatem, sese infelix humana temeritas præcipitauerat peccando. Nullis; nullis etiam omnibus simul in vnum adgregatis viribus creaturarum existentium, possibiliumque, possibile fuit, ruinam hanc humani generis instaurare, suæuè integritati restituere, sed necessarium erat omnino illi in eâ, quam spontaneâ malignitate incurrerat, peccati, simulque diaboli seruitute, sæuissimaque, & ineluctabili Tyrrannide, necnon perditionis æternæ, nunquam declinabili necessitate hærere, atque volutari Lapsus enim ille Humani generis, in Dignissimi DEI honorem impegerat, qui cum Diuinus esset, Infinitus ideò, & immensus, ac proinde & irreparabilis, incompensabilisque vllis finitis, seu creaturæ possi-

possibilibus modis, erat. Et accesserat vilitas, abiectioque extrema offendentis, ita vt, infinita vilitas offendentis Infinitam Dignitatem, redderet offensam infinitè grauem, incogitabiliter enormem, ad compensandum dignè impossibilem. Creatura enim tàm vna, quàm simul omnis, etiam innocens, creatori DEO composita, nihil penitùs facit, nihil præualet, nihil est; quantò magis, si lapsùm, si ruinæ, si offensæ infinitæ infiniti DEI, subiecta sit? Non ergo supererat modus lapsæ creaturæ humanæ, ad salutem reuertendi, integritatemque suam recuperandi, quoniam non suppetebat vlla via, ratioque DEVM placandi, DEIque infinitam Dignitatem læsam, adæquatè, hoc est, etiam infinitè, restaurandi.

Quid faceret ille: cuius natura Bonitas, cuius vita, Clementia, cui proprium est misereri, & parcere, cuius Misericordia, iudicium superexaltat, cuius miserationes, super omnia opera eius? Pensatâ infinitudine excelsitatis, & dignitatis suæ: pensatâ infinitudine vilitatis & abiectionis humanæ: pensatâ infinitudine, enormitateque illatæ sibi per hominem iniuriæ: pensatâ infinitudine satisfactionis pro illatâ iniuriâ debitæ Iustitiæ suæ: pensatâ impossibilitate, & infirmitate virium creatarum quarumcunque, ad satisfaciendum Maiestati suæ Diuinæ pro offensâ: commota sunt viscera Bonitatis, Charitatis, Misericordiæ eius, super desperatissimam, hominis infelicissimi, plagam, atque ineuitabilem perditionem: & demonstrantibus sibi, tam Sapientiâ, quàm Omnipotentiâ suâ, modum, quo homini perdito succurri efficaciter, & cum condignâ Iustitiæ satisfactione posset: si modò Maiestas eius Diuina inclinari dignaretur: si nimirum inclinaretur ad hominem reum, offensus DEVS, & fieret Homo DEVS, tunc enim plenissimè satisfacere sibi, pro infinitâ quamuis offensâ, ad æqualitatem omnis Iustitiæ posset per Hominem susceptum à se, ipsemet DEVS. Placuit, intimata, & inuenta saluandi Hominis perditi ratio coram oculis DEI: stimulante potissimùm, atque medul-

litùs fodicante charitate viscerosissimas medullas misera-
Psal. 17. 10. tionis eius. *Inclinauit cælos & descendit*, de throno Maiestatis suæ, ad vsque infima Hominis miserandi DEVS,
Excell. 4. *Christus ob condignitatem ad Redemptionẽ excellentissimus.* & dignatus est fieri Homo-DEVS, vt posset eliberari atq; in pristinum statum, seu etiam meliorem, altioremque ad ordinem subuehi homo reus.

O portentosissima prodigia, & abyssi siue Dignationis Diuinæ, siue Dignificationis humanæ! Cui hoc vnquam in mentem intellectui creato, cuius creaturæ spei hoc in desiderium venisset, aut votum: DEVM hominem fieri, propter saluandum hominem? Ecce super omnia vota, super omnem votorum spem, super omnem spei possibilitatem, DEVS ad hominem subleuandum descendit misericorditer, quia homo ceciderat miserabiliter, & læsus, quamuis indignissimè in suâ Dignitate summus DEVS, subleuauit tamen dignantissimè hominem, assumens, & faciens hominem seipsum, DEVS. Et eritnè adhuc homo in DEVM ingratus, à quo est tam honorificâ miseratione, tam misericordi honore dignatus? Eritnè adhuc homo impius in istam tantam DEI pietatem? eritnè adhuc contemptor homo, tantæ, & tanto impen-
Psal. 4. 3. dio reparatæ, & oblatæ sibi à DEO salutis? *O Filij Hominum vsquequo graui*, vsquequo vesano, vsquequo inde-
Hebr. 2. 3. mentissimam malitiam demerso *corde*! Ah! *quomodo effugiemus nos, qui tantam negligimus*, contemnimus, repellimus, conculcamusque *salutem* nostram, charitatemque ac Maiestatem Diuinam? Et tamen quid hodie inter ingratissimos homines frequentiùs, quid contemptiùs, quid tam extra omnem sensum, quid tam nihili, quam contemptus, despectus, reprobatusque, cum omni dignitate suâ, & cum salute per ipsum nobis paratâ, DEVS? Huic certè impietati deplorandæ, nec mare, ad lachrymas, nec infernus castigandæ, ad pœnas, nec æternitas vindicandæ, ad meritum sufficit. Vtinam hæc cura subeat aliquando mortalium animos: vt & salutis suæ exhibeant se magis diligentes, & Saluatoris sui cultores minus negligentes?

EXCE

EXCELLENTIA V.

Christus admissus est ad Pactum, & promissionem nostræ, cum DEO, *reconciliationis.*

QVINTA Excellentia Domini Nostri IESV Christi, super omnes Creaturas est, quia ille solus, & potuit admitti, & est admissus à DEO, ad pactum, & contractum de redimendo genere humano: & de satisfaciendo pro illo, tanquam pro reo, parti læsæ, scilicet DEO, idque ad æqualitatem rigorosæ Iustitiæ DEI, necnon offensæ, siue iniuriæ irrogatæ Maiestati, & Dignitati Diuinæ: Soli quoque eidem Christo promissio facta est, fierique potuit, quin etiam forsitan debuit, de acceptandâ eius, à DEO satisfactione, atque cura, quam is impenderet, pro salute humanâ

Pactum hoc atque promissionem intercessisse inter DEVM, & inter Christum, videtur satis enarrasse ipse DEVS per Isaiam: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & Voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit Anima eius, videbit & saturabitur: in scientiâ suâ iustificabit ipse, Iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos: & fortium spolia diuidet, pro eo quod tradidit in mortem animam suam: & cum scelcratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Id ipsum sibi volunt illa eiusdem DEI Patris ad Filium suum IESVM in Psalmo, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Continent enim hæc verba promissionem, factam Orationi Filij, fundatæ super Dignitatem, & merita sua, ab ipso omnia enim opera Christi, & Oratio fuerunt, & merita, quibus Pater æternus, & debebat, & reddebat, & promittebat condignam præmiationem; nec aliam, quàm exaltationem suam, & salutem nostram.

Isa. 5. 3. 10.

Psal. 2. 8.

Ad

Excell. 5. Ad huius Excellentiæ Domini nostri vberiorem declarationem, & pleniorem intellectionem, operæ pretium est duo aduertere: præter tertium iam in superiore Excellentiâ adnotatum, nempè, non potuisse DEO, vllis purè creatis viribus satis condignè fieri pro peccato, & pro iniuriâ illatâ Dignitati Diuinæ: sed ad hanc condignitatem in rigore seruandam, opus fuisse, vt is qui satisfaceret, DEVS simul verus, & aliqua simul creatura, v. g. Homo esset. Hoc ergo vno supposito, & sepposito, duo adhuc sunt aduertenda, quorum Primum est: Potuisse DEVM pro suâ absolutâ libertate, & quidlibet agendi potestate, ad offensam sibi ab Homine irrogatam, condonandam, abolendamque (inter infinitas alias rationes) adhibere puram Creaturam mediatricem, per cuius aliqua opera posita, & sibi exhibita, placeret illi condonare offensam, & abolere, culpam atque pœnam: & iustificare, demumque saluare Hominem. Quod si fecisset DEVS, fecisset magnum Diuinæ suæ in hominem lapsum miserationis opus, fecisset etiam grande opus exaltationis illius mediatricis creaturæ, ad talem reconciliationem assumptæ & admissæ; verum tamen in tali modo, non esset satisfactum in rigore, & ad æqualitatem condignam Iustitiæ Diuinæ, sed neque Dignitati DEI oblæsæ ab homine: Inter illam enim creaturam, & DEVM, inter opera, seu merita eius, & Dignitatis eius læsionem, immensum esset inæqualitatis chaos: nec per assumptionem, seu admissionem ad reconciliationem hominis cum DEO, facta fuisset par, & condigna, ad condignè resarciendam læsam Dignitatem DEI, & ad satisfaciendam rigori Iustitiæ Diuinæ: Vnde non fuisset ibi infinita satisfactio simpliciter, (nisi fortè ratione infinitorum numero peccatorum,) vel ratione infinitæ offensæ à DEO liberaliter condonatæ, per respectum aliquem, ad illius creaturæ opera, seu merita, quomodo esset liberalitas quidem DEI infinita in condonando, operum tamen, & meritorum valor infinitus, non fuisset, sed se habuissent per modum

dum conditionis, quia scilicet ad exhibitionem illorum, DEVS suam profudisset condonationis liberalitatem, omissâ exactione, debitæ alioqui rigorosæ satisfactionis, & condignæ solutionis. Alterum, quod aduertendum esse prædixi, est; Quod & si DEVS condidisset DEVM-Hominem, prout de facto condidit IESVM Christum, quem & idoneum fecit, condignum, & parem ad satisfaciendum in omni rigore, & æqualitate, & etiam excessu iustitiæ pro offensâ DEI ab homine, & pro peccatis totius humani generis, liberum tamen, absolutè loquendo, erat DEO, hunc ipsum IESVM Christum DEVM-Hominem, nequaquam deputare ad redemptionem humani generis. Nec eum admittere ad hoc munus satisfactionis, solutionisque sibi faciendæ pro homine, eiusue iustificandi, & in gratiâ reponendi, ac redimendi atque saluandi. Imò poterat DEVS, id à Christo fieri nolle, atque adeò, etiam prohibitionem Christo de hoc, seu faciendo, seu facere volendo, ponere, quâ prohibitione positâ, Christus, qui semper placita DEO, & vult, & facit, & qui nihil vnquam vult, aut velle potest, nisi id, quod scit DEVM velle, vt ipse velit: hac (inquam) prohibitione positâ à DEO, Christus non esset, nec esse posset noster reconciliator, neque Redemptor, neque Saluator. Sed aliâ quapiam DEO placitâ viâ, DEVM glorificasset, quâ nimirum cognouisset DEVM, à se glorificari velle, imò etiam, per hoc ipsum exaltasset, DEI Sapientiam, Potentiam, Iustitiam, ceterasque perfectiones, quod ex laudatissimo suo iudicio, atque decreto, imò, & ex immensa erga se dilectione, nollet operâ suâ vti, quantumuis paratâ, idoneâ, & condignâ maximè, ad Hominem DEO plenè, in omni rigore iustitiæ, reconciliandum, dignitatemque instaurandam, & ius læsum reparandum. Hoc verò DEVS non fecit, sed potiùs contrarium ordinauit fieri: Condidit Christum DEVM-Hominem, & condidit aptauitque in eum planè, & expressè finem, vt per eum sibi reconciliaret hominem: Condidit eum & ad pactum

Christus ob admissionē sui ad Pactum, humanæ cum Deo reconciliationis, excellentissimus.

reconciliationis admisit: denique condidit eum, & præceptum imposuit, de redimendo cum omni iustitiæ rigore, humano genere, promissionemque dedit ei, de acceptandâ satisfactione illius, quam ille, sibi obtulisset pro humano genere, iuxtà præscriptum voluntatis Paternæ, atque obedientiæ per ipsum adimpletæ. Quod quidem sæpissimè habemus in Scripturâ Sacrâ denarratum: & ipsius Christi Domini verbis contestatum, vt est illud.

Ioan. 14. 31. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum*
Ioan. 18. 11. *dedit mihi Pater, sic facio.* Et illud. *Calicem quem dedit mihi*
Mat. 26. 54. *Pater, non vis, vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Hoc etiam prædixerat ante Dauid, & ex eo, desumptum asseruit Paulus in personâ
Psal. 39. 7. Christi dicentis. *Ideò ingrediens in Mundum dicit: Hostiam &*
Hebr. 10. 5. *oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio:*
Excell. 5. *in capite libri scriptum est de me: vt faciam,* DEVS, *voluntatem tuam. In quâ voluntate sanctificati sumus, per oblationem*
Heb. 10. 10. *Corporis* IESV *Christi semel.*

Hæc igitur est, & in hoc consistit Excellentia hæc Christi quinta, quia cum esset conditus DEVS-Homo, & posset à DEO Patre, tam pro absoluta potestate voluntatis, tam pro immensâ erga Christum dilectione, tam pro alijs Sapientiâ, & Maiestate DEI condignis causis, neque admitti, requiriuè ad pactum de redimendo humano genere, neque grauari præcepto de hoc per se præstando: est nihilominùs, à DEO Patre admissus, & admissus condignè, vt potè DEVS-Homo, sufficiens per omnia satisfacere, & Dignitati læsæ, & iustitiæ violatæ, & iniuriæ factæ, & culpæ admissæ, & pœnæ debitæ. In quâ re Christum æquare nulla potuit, nulla potest creatura: sed hoc soli, & vni Christo, proprium est.

In hoc autem immensa eminet, tum Charitas DEI erga Christum, qui tantam illi, tamque arduam, simulq; locupletem, & magnificam obtulit occasionem exaltandi Patrem: tum Dilectio DEI erga nos homines, planè abie-

abiectissimos, ingratissimos, & perditissimos: qui cum posset satis Vnigenitum suum exaltatum facere, faciendo illum DEVM-Hominem, & eum tantis laboribus, iniurijsque, eius Personâ indignis, non obijcere: *tamen sic dilexit Mundum, id est, nos homines, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt mundus saluetur per ipsum:* posuit in eo iniquitates omnium nostrum, *& propter scelus populi sui, percussit eum;* & præceptum mortis dedit ei pro nobis, & liuore, vulnere, & morte crucis eius, saluati, & sanati sumus. Eminet etiam Charitas, Humilitas, Obedientia Christi DEI-Hominis erga Patrem, qui cum in formâ DEI esset, nec rapinam arbitratus, sed per naturam esset Filius DEI: *tamen exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo:* factus obediens vsque ad Mortem, Mortem autem Crucis. Eminet quoque immensitas Charitatis Christi erga nos homines, qui cum in gratiam æterni Patris dilexisset nos, qui eramus in Mundo, vel potiùs in peccato, & in reatu damnationis æternæ, certissimo in finem dilexit nos, posuitque Animam suam, pro nobis, cum adhuc inimici, & naturâ iræ filij essemus. Eminet denique in hoc etiam, immensitas nostræ obligationis ad DEVM, qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit, & percussit illum: ad Christum etiam, qui pro nobis, Agnum se DEI fecit, *& pro nobis oblatus est, quia voluit:* cum alioqui, Animam eius nemo tolleret ab eo, *sed ipse pro nobis posuit eam.*

Ioan. 3. 16. *Isai. 53. 6.* *Philip. 2. 7.* *Christus ob admissionẽ sui ad Patrũ, humanæ cum DEO reconciliationis, excellentissimus.* *Isai. 53. 7.* *Ioan. 10. 18.*

Cui obligationi: quomodo satisfaciat Mundus, quomodo respondeat vnusquisque nostrûm, suprà omnem cogitationem ingratus: viderit vnusquisque hominum suam ipsius intrando, & intuendo conscientiam. Si vniuersitas Creaturarum vocaretur in Concilium, & deliberare decerneréque, aut saltem inuestigare iuberetur: Ecquid nam ampliùs posset adhuc facere DEVS, & Filius eius Vnigenitus Christus, in bonum & salutem hominis vniuscuiusque: & si vna quæque creatura, Salomone, aut

Excell. 5. *Christus ob admissionē sui ad Patū, humanæ cū DEO reconciliationi, excellentissimus.*

Cherubino quolibet Sapientior esset, & si per omnem æternitatem omnes deliberarent, consultarent, inquirerent: nihil omninò, nihil; nihil absolutè inuenirent, quod addi posset ad id, quod iam in salutem hominum fecit DEVS, fecit & Filius eius Vnigenitus IESVS Christus. DEVS ipse, si pro suâ propriâ vitâ, & salute tuendâ laboraret: numquid ampliùs impensæ facere posset, quàm vt Vnigenitum suum pro suâ incolumitate impenderet, Mortique Crucis obijceret? En iam ô homo, exæquauit te sibimet ipsi DEVS: & tantùm pro te pretium exposuit, tantis te impensis, ab æterno exitio redemit: quantis, maiores pro semetipso saluando reperire, & impendere non posset. Et adhuc in hominum cordibus locum habere potest, dominari potest, perennare potest, ingratitudo, impietas, rebellio, contemptus, & quod non sceleris genus, in DEVM? O nos non ingratos, non impios, non sceleratos, sed monstris monstrosiora mõstra ingratorum, impiorum, & sceleratorum. Hic quære Domine, hic querere cum cordis tui amaritudine, hic obiecta, & dic: *Quid vltrà potui facere vineæ meæ?* quos sumptus & labores ampliores effundere, & exhaurire debui, & non effudi in Animas, sanguine meo proprio, & exitio quæsitas? Populo DEI, quid fecit, quid facit DEVS tibi: quia vsque adeò, ingratus es omnis bonitatis eius: omnisque miserationis eius? Heu! quomodo stabimus ante tribunal Iudicis huius, huius inquam ipsius nunc Redemptoris, nunc Saluatoris, nunc benignissimi ac Misericordissimi Patris: tunc autem Iudicis seueriſſimi, Iudicis vltimæ instantiæ, Iudicis in æternum non mutandæ sententiæ, Iudicis tantùm sapientissimi, ad decernendam, quantum & omnipotentissimi ad exequendam, semel, sed æternaliter pronunciatam mortis æternæ sententiam.

Isai. 5. 4.

EXCEL-

EXCELLENTIA VI.

Christus communicationem idiomatum, inter DEVM *& Hominem accepit.*

SEXTA Domini Nostri IESV Christi, super omnes Creaturas, Excellentia est: Quia communicationem idiomatum, tàm in Diuinâ Naturâ, ab Humanitate, quàm in Naturâ Humanâ, à Diuinitate accepit; vt in illo, hoc asseratur de Homine, quod de DEO dici dignum est, hoc de eodem affirmetur DEO, quod dici de Homine congruit. Dicimus enim, & verè dicimus. DEVS-Homo, & Homo-DEVS, item DEVS-HOMO FACTVS EST, & Homo factus est DEVS. DEVS conceptus est ex homine, natus, lactatus, homini subditus, creuit, nutritus est, esuriuit, sitiuit, laborauit, fatigatus est, dormiuit, manducauit, bibit, passus, mortuus, crucifixus, sepultus est, resurrexit, in cælum ascendit Et dicimus etiam, Homo est Filius DEI, Creator, Omnipotens, Vita æterna, Immortalis, Impeccabilis, consubstantialis Patri, coæternus, Iudex viuorum, & mortuorum, Rex Regum, Dominus Dominantium, Beatitudo omnium. Hæc idiomatum communicatio ortum, & fundamentum habet, ex Incarnationis, & Vnionis Hypostaticæ mysterio, atque beneficio: huius enim ratione, diuina, & humana prædicata, de vnâ eâdemque Personâ verè prædicantur. Quando enim aliquæ duæ formæ, in vnum idemque subiectum, seu suppositum conueniunt, illudque informant, possunt de eodem verè prædicari, quomodo, si idem homo, v. g. PETRVS, habeat in se simul calorem & albedinem, potest verè dici calidus, & albus, & calidum, est album, album, est calidum: nempè per respectum ad idem suppositum. Pari ratione quia in Christo, duæ Naturæ realiter, imò & substantialiter vniuntur Verbo, tanquam supposito, ideò Nomina illas Naturas significantia, in ordi-

Excell. 6. ne ad illud ſuppoſitum, (qualia Nomina, ſunt Homo, & DEVS) verè de illo ſuppoſito prædicabuntur, cui Naturas ipſas applicant, & quod in eis ſubſiſtere, ijſuè ſupponi ſignificant. Ex quo etiam ſit, vt vnum de altero inter ſe prædicetur verè: atque ita dicimus. DEVS eſt Homo, Homo eſt DEVS; DEVS mortalis, Homo immortalis, DEVS natus, paſſus, mortuus: Homo Creator, creauit cælum & terram, eſt vita æterna.

Occaſione horum, quæ modò dixi de emanatione communicationis idiomatum ex Vnione Hypoſtaticâ, addo commendandæ huiuſcè Vnionis gratiâ noſtris mentibus: tria quædam inſignia bona emanaſſe, & emanare ex illâ, in Humanitatem Chriſti. Primum eſt: quia per hanc Vnionem, Humanitas Chriſti, eleuata eſt, ad tale conſortium Diuinitatis in eadem Perſonâ Verbi: vt ratione illius, verè dicatur de Homine, quidquid ad DEI gloriam, & Maieſtatem ſpectat. Et hæc eſt, atque in hoc conſiſtit, vera idiomatum communicatio. Alterum eſt: illam Humanitatem, ratione huius Vnionis, eſſe digniſſimam ſummâ gloriâ, ſummo honore, ſummâ, & diuinâ quadam adoratione. Tertium eſt: quia ratione huius eiuſdem Vnionis Hypoſtaticæ, communicatæ ſunt Humanitati diuinæ perfectiones, non quidem in ſemetipſis, prout ſunt, & ſolùm eſſe poſſunt in ſolâ Naturâ Diuinâ, ſed per eximia quædam Dona creata, & Naturæ humanæ cum alijs gratijs indita, & aliquas perfectiones, (non enim omnes) Diuinas imitantia, quomodo Sapientia & Scientia Humanitatis, ſeu Hominis Chriſti, excellentiſſima eſt, non eſt tamen eadem, quæ Diuinitatis, ſeu Verbi ipſius, ſed imitatio eius tantùm, ſumma quidem in ſuo genere, creata tamen. At de his ſatis, redeo ad communicationis idiomatum in Chriſto, ſuprà omnes Creaturas excellentiam, quæ in nullam creaturam cedit, ſicut nulli etiam creaturæ Vnio Hypoſtatica cum Verbo competit. Ex hoc autem multa nobis æſtimatio & reuerentia: multa laudatio, & exaltatio: multa dilectio, & commen-

mendatio Christi DEI Nostri inseri, imò innasci debet. Multa quoque nostra erga illum confidentia & fiducia, multa congratulatio, multa etiam imitatio, simul & admiratio eius in nobis vt sit, oportet. Nam si DEVS Verbum, ita nostræ humanitati vniri voluit, vt in eâ, & per eam, verè fieret particeps proprietatum, imò Miseriarum, & Indignitatum eius, quale est nasci, nutriri, laborare, esurire, pati, mori, crucifigi, sepeliri: aliaque Sapientiæ, & Sanctitati DEI non derogantia, iuxta illud D. PAVLI. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Quid nos non oportet subire humiliationis, exinanitionis, vilificationisque nostri, propter ipsum, & proter gloriam nominis eius? *Exemplum ille dedit nobis, vt quemadmodum ille fecit, & nos similiter* faciamus: *neq; enim est seruus Domino suo maior: Si ergo ille Dominus & Magister,* & DEVS noster, exinaniuit se totum propter nos: quid nos vilissimos terræ vermiculos exinanitionis, propter nomen eius subire non conueniet? Quod si idem DEVS Verbum Caro factum, adeò sublimiter eleuauit, & vsque ad dexteram *Patris in cælestibus consedere fecit ipsam* Humanitatem nostram: nonnè oportet nos etiam in eiusdem DEI-Hominis gloriam, & exaltationem, quàm maximam, assiduè conari, assiduè impendi, atque etiam superimpendi: dando perennem operam, vt quantùm per nos sit, *in Nomine IESV omne genu flectatur, siue cælestium, siue terrestrium, siue infernorum, vtq; omnis lingua,* & gens, & tribus agnoscat *confiteaturque: quia Dominus noster IESVS Christus, in gloriâ est DEI Patris.*

Christus cõmunicatione idiomatum, excellentissimus.

Hebr. 2. 14.

Ioan. 13. 15.

Ephes. 2. 6.

Philip. 2. 11.

EXCEL-

EXCELLENTIA VII.

Christus per Substantialem gratiam, nempè Diuinitatem Sanctus est.

SEPTIMA Excellentia Domini Nostri IESV Christi, est suprà omnes Creaturas; quia Gratiam non ad Mensuram accepit: quâ sanctificaretur, fieretque Sanctus: sed potiùs, ipsomet omnis Gratiæ fonte, ipsâ (inquam) Gratiâ substantiali, gratiâ Diuinitatis ipsius, per Vnionem Hypostaticam, sanctificatus, vnctus, & Sanctus Sanctorum factus est. Nec per adoptionem, sed per Naturam sanctus, & Filius, & Vnigenitus, & Hæres, vniuersorum bonorum, Patris sui æterni. Sciendum est enim in Christo Domino, duplicem esse gratiam: vnam accidentalem, alteram substantialem; Accidentalis in Christo gratia, est duplex iterum; Habitualis vna, actualis altera: cuius modi vtraque gratia, reperitur etiam in puris creaturis rationalibus iustis, imò habituali gratiâ sanctificantur, iustificantur, grati & amici DEO, Filijque DEI, redduntur Justi, siue Angeli, siue homines, quæ Habitualis gratia sanctificans, est singularis participatio Diuinæ Naturæ, quâ participatione, Homo efficitur filius DEI, si quidem filius non constituitur, quis ex qualiscunque doni collatione in se, ab alio, sed ex communione eiusdem Naturæ ab altero acceptæ. Vnde quia cum gratiâ, seu potiùs per gratiam iustificantem accipimus, seu accipiunt iusti communicationem Diuinitatis inhabitantis iustos, quæ eis vnitur hac gratiâ tanquam vinculo; ideò Filij DEI sunt iusti omnes, quia illis Spiritus sanctus DEI communicatur per gratiam, vti dixi, nec non per Charitatem nostram: cuius etiam est officium, atq; effectus vnire iustis Diuinitatem, vt in eis sit, & illi viuant ex eâ, tanquam vitâ spirituali, & tanquam Animæ, quadam Animâ spirituali, regantur in omnibus motibus suis, sicut corpus in omni

omni motu ſuo regitur ab animâ ipſum informante, propter quod & Gratia iuſtificans, & Charitas ſolent meritò appellari Anima animæ noſtræ. Hæc ergo Gratia habitualis, locum habet etiam in Chriſto Domino: ſed non cum hoc effectu, quem habet in iuſtis: Iuſtos enim (vt dixi,) iuſtificat, & ſanctificat, & filios DEI facit: at in Chriſto Domino, id nequaquam præſtat: verùm id habet Chriſtus aliundè, vt iam dicetur.

Eſt ergo in Chriſto altera gratia Subſtantialis, altioris longè in infinitum ordinis, quàm habitualis prædicta, altiore quoque modo illi communicata. Hæc Gratia Subſtantialis Chriſti, eſt ipſamet Perſona Diuini Verbi, quæ per Vnionem Hypoſtaticam, ſubſtantialiter vnitur Humanitati, eamque ſemetipsâ ſanctificat, iuſtificat, filiaſat, ita vt Humanitas illa, per eandem ipſam ſanctitatem ſanctificata & iuſtificata, ſancta & iuſta ſit, per quam & ipſa Diuinitas Verbi, ſi quidem Verbum etiam Hypoſtaticè, ſubſtantialiterque, vnitur Humanitati, eamque Hominem completum, & DEI Filium facit, non adoptatione, ſed ad eandem realiter Perſonam hypoſtaticâ vnione & aſſumptione. Quam quidem Vnionem, & ſimul ſanctificationem, pro ſuo modulo imitatur vnio iuſtorum cum DEO per gratiam. Sicut enim Verbum Diuinum eſt Filius, quia accepit Diuinam Naturam à DEO Patre, per generationem æternam; & ſicut Humanitas Chriſti, (vel magis propriè loquendo) ille Homo, qui dicitur Chriſtus, eſt Filius DEI per Vnionem Hypoſtaticam: ita Juſtus Homo dicitur Filius DEI, quia eandem Naturam Diuinam accipit per Vnionem gratiæ. Eſt tamen in modo habendi hanc Naturam, vbique maximum diſcrimen; Nam Verbum Diuinum ita illam accepit, accipitq; vt ſit illi Natura illa vnita Eſſentialiter, & per Identitatem. Chriſtus autem Homo, eiuſuè Humanitas, accipit illam ita vt illi vniatur ſubſtantialiter, per coniunctionem in eâdem Hypoſtaſi. Porrò Iuſto, ſolùm per accidens quoddam coniungitur eadem Natura Diuina, nempè per Vnionem Gratiæ Iuſtificantis.

Excell 7. Jsta Gratia Vnionis Hypostaticæ, Christum Dominum nostrum substantialiter sanctificans, infinitas alias gratias adducit ad Humanitatem illius, de quibus omnibus etiam infinitum esset tractare, sed satis sit hoc dixisse, quod omnes reliquæ gratiæ, consecutæ in Christo gratiam Vnionis Hypostaticæ: non conferant Christo sanctificationem propriè, quia illam habet Christus ex altiore, & substantiali, fontaliq́ue gratiarum omnium origine, scilicet ex Diuinitate sibi personaliter vnitâ, sed tantùm sunt in Christo, propter completionem quandam, & ornatum, consummationemq́ue, & ne quid deësset Christo eorum, quæ Creaturis sibi gratis confert DEVS, vtq́ue Humanitas Christi assisteret Deitati, ac Per-

Psal.44. 10. sonæ Verbi, *tanquam Regina à dextris eius, circumdata varietate*, omnium donorum & gratiarum: iustissimèq́ue, ac

Prou.31. 29. necessariò dici posset de illâ, *Multæ filiæ Electæ*, scilicet & gratiosæ DEO creaturæ: *congregauerunt diuitias ex Diuinâ Munificentiâ: sed tu supergressa es vniuersas*, incomparabiliter.

Libet delibare paucos, eòsq́ue præcipuos effectus Vnionis Hypostaticè in Christo Domino. Primus sit, Jmmunitas ab omni peccato, imò verà & plena ad peccandum impossibilitas. Secundus, Filiatio DEI, vera & consubstantialis, Tertius, Visio DEI & fruitio beatifica, atque status comprehensoris, & si cum aliquâ restrictione quoad portionem inferiorem, in quam propter salutis humanæ dispensationem, non est permissa redundare plenitudo Gloriæ. Quartus, Infinitus valor, atque dignitas operum omnium, pariter ac singulorum, ad merendum, idque ita vt non tantum sibi mereri posset, sed etiam nobis: neque id solùm, sed etiam ipsis nostris operibus, vt essent etiam meritoria apud DEVM vitæ æternæ de condigno ex coniunctione cum meritis suis. Quintus, Inseparabilitas Naturæ Diuinæ ab Humanâ, & perpetua ad ipsam præsentia, non illa tantum communis omnibus creaturis, per Essentiam, Præsentiam, seu Sapientiam, & Po-

& Potentiam siue operationem, sed specialis per Hypostaticam adhæsionem, quam haberet Humanitas Christi, vbique & semper: etiamsi per Impossibile Verbum æternum, neque immensum, neque absolutæ subtilitatis esset. Non exaggero hoc loco hosce effectus, sed neque plures enumero, hoc enim in sequentibus Excellentijs, prout licebit, fiet, sed tantùm pro ingerendâ mentibus nostris Gratiæ sanctificantis æstimatione, conseruandæque & accumulandæ illius curâ, hos eosdem quinque effectus, quos illa in Nobis, (& si cum infinito discrimine) attamen cum similitudine producit. Primò enim Gratia sanctificans, adfert nobis Remissionem peccatorum omnium mortalium, idque ideò quia nobis vnit (modo prædicto) Spiritum Sanctum, seu Naturam Diuinam, cum cuius participatione & præsentiâ, nequit consistere mortale peccatum. Secundò, gratia sanctificans facit nos filios DEI, quia facit nos participes Naturæ Diuinæ, cuius gratia vinculum est: vnde simul facit nos hæredes DEI, cohæredes autem Christi, quamuis Christus sit Hæres per Naturam, nos per adoptionis gratiam. Tertiò, eadem gratia sanctificans, facit nos æternâ vitâ, ac beatitudine dignos, tribuitque nobis ius ad illam, & nos hæredes illius constituit, vt modò dixi. Quartò, dat operibus nostris valorem & condignitatem ad promerendam vitam æternâ, sic enim teste Apostolo, *Non sunt condignæ Passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, etiam in supernaturalitate suâ spectatæ: sed tamen ratione moralis æstimationis & condignitatis, quam accipiunt à Diuinitate nos per gratiam inhabitante, & Filios DEI constituente, atque, vt opera nostra sint filiorum, seu DEIficatorum, efficiente. Quintò, eadem Gratia sanctificans, ita secum in Animas nostras Diuinam Naturam adducit, eamque nobis præsentem, & nos inhabitantem facit, vt etiamsi ipsa Naturâ suâ immensa non esset, nec vbique adesset, eam tamen illa nobis præsentem sisteret.

Christus propter substãtialem gratiã, & sanctitatem excellentissimus.

Rom. 8. 18.

Excell. 7. ret. Ratio est eius rei, quia Vnio ista DEI, quæ fit cum Animâ per gratiam, non est solùm Vnio per affectum & Charitatem, sed est Vnio per Naturæ communicationem, & inhabitationem: vt satis colligitur ex pluribus Scri-
Ioan. 14. 23. pturis, ac imprimis ex illis Domini nostri verbis. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vbi disertè Dominus discernit, dilectionem à Patre, ab aduentu eius ad seruantem mandata sua, & à mansionis apud eum institutione. Et huic consonat illud eiusdem
Ioan. 14. 17. Domini nostri dictum, ac promissum. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, & maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

Jsta quæ de substantiali & incomparabili Gratiâ Domini nostri, ipsum sanctificante, quæque etiam de Gratiâ habituali, nos DEO gratos reddente dicta sunt, suggerunt nobis insignem, copiosam, fertilemque materiam, & causam, tum exaltandi Diuinam in Christum liberalitatem, quam in eius sanctificationem profudit: in eoque sibi complacuit, tum gratulandi Christo ipsi, in eoque toti Naturæ nostræ humanæ tam ineffabilem, & omni felicitate feliciorem felicitatem, ac sublimitatem: tum æstimandi appretiandique à nobis nostram, quâ DEO sanctificamur, filijque, ac Diuinæ consortes Naturæ efficimur, Gratiæ sortem.

Non habuit in suis thesauris DEVS, quò excelsiùs Christum promoueret, & quò eum præ omnibus suis participibus vngeret. Non habet etiam Creatura rationalis, donum DEI, quod in sese magis appretiet: quod ambitiosiùs, & innocentiore auaritiâ conquirat, & accumulet: quod etiam solicitiùs, & diligentiùs custodiat, quàm est hoc sanctificantis gratiæ donum: per quod tantis locupletatur bonis, vt ad ipsius Diuinæ Naturæ participationem ascendat.

O Diuina Gratia, quam nihil est te in nobis ex omnibus DEI bonis pretiosiùs, atque inæstimabiliùs! &, heu!

quàm

quàm simul nihil est te apud nos abiectiùs, nihil negle-
ctiùs, nihil ad omnem iacturam prostitutiùs? Ecquæ nam
creatura est adeò nihili, cui mortales cæcissimi, Gratiam
amicitiamque Diuinam non posthabeant? Nonnè inue-
nies homines, quibus Canis pretiosior sit, quam DEVS?
nonnè sunt homines, & innumeri quidem, quibus ma-
iori curæ sit, gratiam diaboli (si quæ gratia illius est)
demereri, quàm DEI? si homo hominis gratiâ excidat,
insanit præ dolore homo: si gratiâ DEI excidat homo,
non sentit, ridet, exultat etiam insanissimus homo.

Christus propter substãtialem gratiã, & sanctitatem excellentissimus.

Ita homo infelix, & absurdus, & ingratus, nescit
pretium suum, quod à DEI gratiâ se inhabitante habet:
cum tamen tantum eius in Gratiâ hac positi pretium sit,
vt nusquam condigniùs, quàm in ipsâ DEI hæreditate
deponi, nihil ipsius, non dico substantiæ, sed etiam le-
uissimæ actiunculæ condignum in mundo reperiri: ni-
hil ipse DEVS, eius pretio par, præter semetipsum possit
reponere.

EXCELLENTIA VIII.

Christus est Sanctificator noster, & sanctificatio nostra.

OCTAVA Excellentia, super omnes Creaturas Christi
Domini est, quia ipse solus est Sanctificator, & san-
ctificatio omnium nostrûm: quod rotundè affirmauit
PAVLVS, dicens: *Vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis* 1. Cor. 1. 30.
sapientia à DEO, & Iustitia, & sanctificatio, & redemptio.
Porrò pluribus modis Dominus noster IESVS est sancti-
ficatio nostra.

Primò meritoriè, & satisfactoriè; Infinito enim va-
lore operum suorum theandricorum, meruit apud Pa-
trem, & simul immenso pretio passionis ac mortis suæ
satisfecit Patri, pro nostris peccatis & debitis omnibus,
obtinuitque nobis à Patre sapientiam, & iustitiam, &

sanctificationem tanquam copiosâ, cumulatâ, condignâque redemptione. Redemptio enim Christi, Iustitiæ DEI satisfecit, & sic est iustitia, hoc est satisfactio nostra
Ioan. 17. 19. talis, ac si nos per eam DEO satisfeciſſemus, atteſtante Domino ad Patrem dicente: *Pro eis ego ſanctifico meipſum,*
Excell. 8. *vt ſint & ipſi ſancti in veritate:* quod est dicere: Sanctam, & placitam hostiam, me tibi, Pater mi, offero, atque immolo in Crucis altari, in passionis, & mortis sacrificio: & qui in me credent, per hoc meum sacrificium, efficiantur & ipsi sanctificati in veritate, verè à peccatis suis emundati, tibi reconciliati, & in gratiâ tuâ collocati: tanquam ij, qui sunt in me, & in quibus sum ego. Etenim quando VERBVM CARO FACTVM EST, tunc sanctificauit se in se, id est, Hominem se, in Verbo se, quoniam vnus idemque Christus Verbum & Homo est. Sed quia est Caput habens membra sua, credentes nimirum in se, ideò propter hæc sua membra, dicit Patri: Et ego pro eis sanctifico meipsum, hoc est, ipsos in me, quoniam in me etiam ipsi sunt, & ego. Igitur Christi pro nobis per redemptionem satisfactio, nostra est sanctificatio, & prius (saltem Naturâ, & si non tempore,) in Sacramentis applicatur nobis, Christi pro nobis satisfactio, tum remittuntur peccata, ac demum infunditur gratia.

Secundò, Christus est nostra sanctificatio exemplariter. Etenim sanctitas Christi atque iustitia, est nobis perfectissimum exemplar, ad quod omnis nostra iustitia, rectitudo, & sanctitas formari, & probari, examinarique debet, tanquam ad ideam, & regulam, & archetypum, atque speculum omnis sanctitatis, & iustitiæ.

Tertiò, Christus Dominus nostra est sanctificatio efficienter: Christus enim tanquam causa efficiens, efficit & producit, per instituta à se Sacramenta, iusticiam, gratiam, sanctitatem, peccatorum remissionem, virtutes tam Theologicas, quam Morales, Dona & fructûs Spiritûs sancti, denique ostendit nobis tam verbis, quam exemplis suis, & modum sanctè Christianèque viuendi,

& vi-

& viam ad cæleſtem beatitudinem, æternamque vitam, quæ eſt ille ipſe, tendendi atque perueniendi, prout ipſe de ſe atteſtatur dicens. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Via in exemplo, veritas in doctrinæ verbo, vita in æterno præmio. *Ioan. 14. 6.*

Quartò, Chriſtus Dominus noſter, eſt noſtra ſanctificatio, noſterque ſanctificator; quia nos ſanctificat, atque iuſtificat propter gloriam ſuam, & æterni Patris ſui: ita vt omnis noſtræ iuſtitiæ, omnis ſanctæ & bonæ operationis, ſcopus, finisque eſſe debeat, Gloria Chriſti, ſiue (prout ipſe Dominus ait,) *vt glorificetur Pater in Filio.* Quod ipſum & PAVLVS atteſtatur, cum dicit. *Vos elegit DEVS primitias in ſalutem, in ſanctificatione Spiritûs, & in fide veritatis: in quâ & vocauit vos per Euangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri* IESV *Chriſti.* Quibus verbis diſertè atteſtatur PAVLVS, tàm Euangelium, quàm vocationem noſtram ad Euangelium, quàm fidem veritatis, quàm ſanctificationem ſpiritûs, quàm denique totam ſalutem noſtram aliud reſpicere nihil, niſi acquiſitionem gloriæ Domini noſtri IESV Chriſti; & *vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter* IESVS *Chriſtus, in gloriâ eſt* DEI *Patris.* *Chriſtus ſanctificatoris noſtri titulo excellentiſſimus.* *Ioan. 14. 13.* *2. Theſſal. 2. 13.* *Philip. 2. 11.*

Eſt verò per quàm vtile, imò & neceſſarium aduertere, quanam ratione ſanctificatio iſta ex Chriſto, & Chriſti in nos redundet, redundat enim ratione prorſùs admirabili, & Diuinæ ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, ac miſerationis modò ineffabili. DEVS enim vnam hominis Naturam, ſeu vnum hominem indiuiduum in naturalem ſibi aſſumpſit Filium, in quem totam plenitudinem Diuinitatis infudit, eique ſubſtantialiter vniuit: per hunc ita vnitum, aſſumptumque, adoptat, ſanctificat, efficitq; filios ſuos, omnes illos qui iſti Homini aſſumpto per Fidem, Charitatem, & Sacramenta, velut palmites viti, aut rami trunco, dicente ipſo. *Ego ſum vitis & vos palmites,* inſeruntur. Statim enim vt quis ita inſeritur, & adhæreſcit Homini DEO, ſeu Chriſto, à ſpiritu Chriſti, *Ioan. 15. 5.*

qui

Excell. 8. qui est, Diuinitas eius, veluti animatur, & viuificatur, &
1. Cor. 6. 17. filius DEI efficitur. Dicit enim Apostolus, *Qui adhæret*
Rom. 8. 14. *DEO, vnus spiritus est: qui autem spiritu DEI aguntur, hi*
Ibid. V. 16. *sunt Filij DEI. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij DEI.* Eodem enim spiritu viuimus, quo Christus filius DEI naturalis, & quo DEVS ipsemet viuit. Quamquam diuersò valdè, modo hic spiritus eis communicetur. DEO enim, seu Personis Diuinis communicatur per identitatem, idque vel immediata necessitate vt Personæ Patris, vel per æternam generationem, aut spirationem, vt Filio & Spiritui sancto: Humanitati verò Christi, per hypostaticam vnionem: Nobis verò per quandam extensionem, quâ, mediante dono gratiæ iustificantis & sanctificantis, incipit Spiritus ille, noster etiam esse Spiritus, nostra vita, nos inhabitans, ornans, mouens, regens, in nobis orans, & omnes vitales functiones, DEO placentes in nobis excitans, & edens. Itaque hoc spiritu Personæ Diuinæ viuunt naturaliter, cum sit illarum Esse, & vita naturalis. Humanitas autem Christi quasi naturaliter, propter substantialem vnionem. Nos verò omninò supernaturaliter: quoniam est vita nostra (vt sic loquar) superuitalis, & Essentia supernaturalis. Atque ita, sanctificamur & filij DEI efficimur per ipsum & increatum DEI Spiritum, donatum nobis per Christum, siue, quod idem est, *per inhabitationem Diuini Spiritûs in nobis*, vt loquitur Apostolus: hocque modo DEVS, certo & miro ordine nos ad sese redigit, atque attrahit ad vnum Corpus, quod est Ecclesia, & ad vnum Caput, quod est Christus, vnamque Hypostasim cui incorporamur, & cuius spiritu viuificamur. Est enim Christus Caput omnium iustorum, & ipsi sunt Corpus eius, quod vitam & vitalem influxum ab illo
2. Tim. 1. 14. accipit, dicente Apostolo, *Caput Ecclesiæ Christus: caput*
Ephes. 5. 23. *autem Christi DEVS.* Rursum etiam Christus est omni-
1. Cor. 11. 3. um iustorum Hypostasis, cui omnes innixi, & qui omnes sustentat atque portat, & spiritûs sui benignâ protensione

ne viuificat, seu sanctificat, & filios DEI facit. Talis enim, est Spiritus Christi, vt angustijs Humanitatis eius solius non contineatur, sed sese protendat exteriùs, immensumque diffundat, ita vt omnes iustos, etiamsi infiniti essent, viuificare, & sanctificare possit. Planè ac si Spiritus Christi esset, veluti immensa quædam Anima, quæ angustijs vnius illius Humanitatis non coërceatur, sed in omnem se partem in infinitum extendat. Vel ac si esset immensum quoddam mare, quod & ipsum in se abyssaliter aquis plenum est, & nihilominùs omnibus fluminibus, lacubus, fontibus, nubibus, pluuijsque aquas suppeditat. Sic & Spiritus Christi sufficiens est, vt non solùm vnum illum Hominem immensis bonis adimpleat, sed omnes etiam illos, qui adhæserunt illi, viuificet, sanctificet, & per consequens Filios DEI efficiat.

Christus sanctificatoris nostri titulo excellentissimus.

In hoc ergo Christus Dominus noster excellit omnes creaturas, & nulla penitùs earum, sed nec omnis earum multitudo in hoc illi adæquari potest. Supponit enim hæc Excellentia, atque requirit Hypostasim Diuinam, atque cum eâ Hypostaticam vnionem, quæ vt soli Domino Nostro IESV Christo competit, ita & sanctificationis suæ communicatorem cum alijs esse, eidem soli duntaxat congruit.

Cæterùm hæc Domini nostri Excellentia, atque illius in nos qui sumus membra eius, efficax emanatio: debet sine dubio maximam per omnem modum in mentibus nostris efficere, tum Domini nostri æstimationem, tum huius efficaciæ, siue efficacis emanationis super nos pretium. Debet quoque nos ad immensam, incessabilemque prouocare gratitudinem, atque gratiarum actionem, DEO, & Filio eius IESV Christo, per quem DEVS Pater effundit in nos, per omnia viles homunciones, vsque adeò pretiosum, adeò Magnificum, adeò saluti ferum, beatificumque sanctificationis donum. Poterat enim amantissimus Vnigeniti sui Pater, contentus esse soli ipsi elargiri cum Personâ Verbi sanctitatem Hypo-

Excell. 8. sticam & substantialem, per quam Vnigenitus eius exaltatus esset, super omnia opera DEI, nullam interea de nobis abiectissimis, corruptissimis, ingratissimis, exosissimisque, per Filij sui mediationem, sanctificandis, & exaltandis curam gerendo, quod si feciſſet DEVS, quis eum arguere potuisset? Aliud tamen omninò fecit, ex purâ putâque miseratione suâ Nempè ita Filium suum sanctificatum esse voluit: vt simul eius sanctitatem, in nos exundare vellet, atque faceret, faceret autem per eiusdem extremam exinanitionem propter nos, per obedientiam eius vsque ad mortem Crucis pro nobis, per effusionem omnium eius meritorum, ipsiusque adeò Spiritûs eius super nos.

Euilceret sese vniuersitas mentium humanarum, ad penetrandam immensitatem, & (vt dicere PAVLO libuit) nimietatem Charitatis, miserationisque Diuinæ, quam effudit in nos: exinaniant sese omnes Animæ nostræ ad amandam appretiandamque, hanc DEI nostri, erga nos dilectionem, atque liberalitatem: exhauriant sese omnia corda nostra in gratiarum actionem, atque laudationem, adeò excessiuæ, omnesque terminos transgressæ DEI, aduersum nos beneficentiæ, adsciscant etiam in societatem, atque auxilium, omnes Spiritûs Angelicos, adiungatur his omnibus ipsa conandi, & satagendi æternitas, non erunt nihilominùs ista omnia condigna Diuinæ huic super nos effusæ, & propter nos impensæ bonitati, largitati, Charitati. Etenim quæ benefacit nobis, Diuinitas est, Charitas est, Immensitas est: nos autem qui vicem rependimus, Creatura sumus, vilitas sumus, nihil sumus. Et sic tamen quidquid possumus, agamus. Agnoscamus beneficum, amemus amantem, æstimemus appretiantem, glorificemus exaltantem, veneremur sanctificantem, concupiscamus saluantem, festinemus ad vocantem, & trahentem, amplectamur offerentem, & donantem se nobis, habitantem in nobis, coronantem & remunerantem se, & sua bona in nobis, Regnet in-

nobis,

nobis, quàm laxissimè potest sancta fames, atque auaritia eius quam ex Christo habemus, & semper, semperq; ampliùs & ampliùs habere possumus, & quâ nihil, aut pretiosius, aut salubrius ex bonis DEI possidere valemus, & præ quâ nullis perinde donis DEI ditescere gratiosius procurare debemus, eius (inquam) Gratiæ iustificantis, sanctificantis, Filiosque DEI nos constituentis, vt hæc sit (sicuti reuera est) vnica singularisque quam ex nobis Dominus noster IESVS percipere potest, percipere debet, percipere cupit, tum consolatio, tum remuneratio, si nos, quàm maximè idoneos, quàm maximè capaces, quàm maximè auaros, ac tenaces sanctificationis ipsius, eidem exhibeamus. *Hæc est enim*, teste veritatis Apostolo, *voluntas* DEI nostri, *sanctificatio vestra*, & ea quidem bona, & beneplacens, & perfecta.

Christus sanctificatorii nostri titulo excellentissimus.

1. Thes. 43. Rom. 12. 2.

Igitur ô homines Christi sanguine abluti, Christi meritis ornati, ac ditati, Christo in salutem in sanctificatione spiritûs, & in fide veritatis à Patre donati, deniq; Christi Spiritu sanctificati, & locupletati, ecquid quæso est, ecquid inquam in vestro Christo inueniistis adeò vile, adeò despici dignum, vt gratiam, iustitiam, sanctificationem, fraternitatem, germanitatemque, & demum Spiritum sanctum eius, inter negligendissima, reiectioneque digniissima deponatis, ita vt vnam glebæ vilis particulam, plus gratiâ Christi, plus ipso Christo, plus Spiritu sancto Christi æstimare, atque procurare non dubitetis?

O insipientes, vanissimique mercatores, ac rerum æstimatores! ô delirantes filij hominum! vsquequo diligitis vanitatem, quæritis mendacium, & ea quæ vobis sunt noxia, prehenditis? ea verò quæ vobis sunt in salutem, imò quæ sunt ipsa salus, ac beatitudo æterna, negligitis, & contemnitis? Vix credibilis, & si vera nimis, vulgataque, ac ideò inexcusabilis est hæc hominum, Christianorum maximè, stultitia! Sed nec illam, aliam, reperio quo alio nomine appellem, voluntariè

Excell. 8. erroneam, vesanamque cæcitatem filiorum Ecclesiæ, fidelium que Christi. Quorum multos passim reperias, etiam eorum qui æternam suam salutem cordi, & curæ sibi esse profitentur, in votis sibi esse DEI, gratiam & amicitiam, media quoque se adhibere illi acquirendæ, possidendæ & augendæ, studere quoque abundare, & exerceri operibus bonis, non omninò ex talso affirmant: interea tamen neque seriò attendunt, ne se mortalibus conficiant facilè peccatis, neue in eis longiùs immorentur, eorumque morte putrescant, neque attendunt, opera quantum libet de se bona, quæ in statu peccati mortalis hærendo faciunt, mortua esse, & sibi coram DEO nihil ad salutem prodesse, audent etiam, imò amant, & gaudent differre vsum Sacramentorum, tàm pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ, per quæ reditur ad vitam Animæ, recuperaturque gratia & amicitia cum DEO, tam certò, quàm efficaciter. Quin etiam illi ijdem mirantur, sæpè, & sugillant, irridentque eos, qui Sacramenta frequentant: eosque nunc superstitiosos, nunc scrupulosos, nunc impertinenter otiosèque deuotos, nunc etiam præsumptuosos, & quasi tantâ frequentatione Sacramentorum dignos, & idoneos præ alijs se reputent, in suis circulis, conuiuijs, garritionibusque otiosis, quin & temulentis appellitant, se autem ipsos, in exemplum, non DEO placitum, sed diabolo gratiosum, magnificè, & gloriosè proponunt, quod ijs, satis, & abundè nimirùm sit, semel in anno, ad summum bis, teruè, Sacramentis vti dignari. Infeliciter & damnabiliter stulti homines: aberrantesque plurimùm, à rectâ ad salutem, gratiamque Diuinam viâ, quorum erroribus confutandis, hîc quidem locus non est: attamen in eorum gratiam, qui errare se ignorant & nolunt, hæc pauca perstringo.

Primò, Certum sit cuique, nulla opera bona, etiam à fidelib⁹, in statu peccati mortalis facta prodesse ad meritum, fructumque gratiæ, & vitæ spiritualis. Secundò,

Cer-

Christus sanctificatorij nostri titulo excellentissimus.

Certum esto, nullâ ratione certiùs faciliùsque recuperari gratiam DEI sanctificantem, vitamque Animæ, quàm per Sacramentum pœnitentiæ, ritè vsurpatum. Tertiò, Qui in peccata mortalia facilè, & crebrò incidunt, perque eaque DEO moriuntur, vt & gratiâ illius excidunt. Si volunt ad eam redire, DEOque reconciliari, & ad opera vitæ, viuaque, reuiuiscere: ij crebrò de peccatis confiteri debent, tum ne in statu mortalis peccati (quo nihil infelicius) hæreant, tum, ne DEO exosi sint, tum ne bona opera, si quæ agunt, sterilia illis, ingrata DEO, pereant: Et hinc isti stultè sapientes in malum Animæ suæ, discant, ijs esse consultissimum, vt crebrò confiteantur Sacramentaliter, qui crebrò in peccata mortalia labi se recognoscunt, & nihil se stultiùs, pernicioſiùsque facere, quàm confessionem sacramentalem differendo, sese DEO mortuos, & omni momento æternæ damnationi obnoxios, seruare. Quartò, Non tantùm propter mortales noxas ab Animâ detergendas, Sacramentalem confessionem vsurpari; plures enim sunt iustæ vtiles, rationabilesque causæ, qualis est? 1 Expurgatio venialium culparum. 2. Confirmatio Animæ contra peccata mortalia, & tentationes, occasionesque peccandi. 3. Puritas & nitor Animæ, & cordis, qui per frequentes Confessiones, Communionesque Sacramentales acquiritur, seruatur, augetur. 4. Augmentum Gratiæ sanctificantis, & profectûs in virtutibus, atque perfectione spirituali. Quæ vna causa, (vt aliæ deessent) iustissima est, ad frequenter confitendum, communicandumque, quâ in re non pauci homines, cæterà pij, & virtutibus dediti, sed frequentationem Sacramentorum negligentes, plurimùm sibimet damni inferunt, subtrahunt enim sibi, sponte suâ plurimos Gratiæ sanctificantis, simulque gloriæ æternæ, gradûs; subtrahunt etiam Christo Domino occasionem, quâ Dominus paratissimus est vti, ad eos sanctitate Spiritûs sui, liberaliter ditandos. Quæ damna suarum Animarum, (& non desunt alia plura, quæ

Excell. 8. hic non recensentur,) si homines spirituales parui faciunt, fateor me non videre, quæ nam sint magni facturi; fateor etiam me non videre, quomodo hi verè pietatem sanctitatemque, ex animo, suo, atque Diuino diligant.

Christus sanctificatoris nostri titulo excellentissimus.

At enim tandem finis imponendus est præsenti tractationi: Amemus Christum sanctificatorem nostrum. Amemus ipsam sanctificationem adeò pretiosam nobis à Christo indultam. Amemus huius sanctificationis possessionem, augmentum, & augendæ illius diligentissimam auaritiam, & auarissimam innocentissimè diligentiam.

EXCELLENTIA IX.

Christus omnibus gratijs Diuinis in summo gradu, repletus est.

NONA Excellentia supra omnes Creaturas, Domini Nostri IESV Christi est. Quia omnibus Diuinis donis & gratijs, quibus humanam, seu rationalem creaturam, fas est instrui, plenissimè repletus fuit, & est; seclusis gratiarum istarum imperfectionibus, eò quod, vel supponant peccatum, quod in Christo locum non habuit, vel cum Beatitudinis statu, quem Christus habuit, non consistunt. Eiusmodi dona & gratiæ sunt, post gratiam habitualem, de quâ superiùs est actum. Virtutes Theologicæ Spes, & Charitas: exceptâ fide, quæ in Christo DEVM intuitiuè semper vidente, non fuit: & nihilominùs licet in Christo fides Theologica non fuit, fuit tamen in eo, quidquid perfectionis est in fide, vt ait D. THOMAS, fuit enim in Christi voluntate, quidquid ad obedientiam, vel meritum fidei pertinet. Paratus namque fuit Christus, pijssimâ, & deuotissimâ voluntatis suæ affectione, omnia credere assensu fidei, si in fidei circumstantijs positus fuisset. Deinde virtutes omnes morales infu-

3. p. qu. 7. art. 9. & artic. 3.

infusæ, Dona Spiritus sancti, eiusdemque fructus, de quorum in Christo Domino præsentiâ, atque abundantiâ, luculenter, & prædixit, & testatus est Isaias. Præter virtutes autem morales per se infusas: fuerunt etiam in Christo Domino, aliæ virtutes morales, illi quidem infusæ, attamen naturâ suâ acquisibiles, & rationali naturæ, præsertim humanæ, necessariæ, necessarioque acquirendæ per exercitium actuum suorum, vnde & acquisitæ dicuntur, & à per se infusis distinguuntur. Fuisse tales virtutes etiam in Christo, siue Habitus earum, illud euincit: quia tales virtutes, conferunt perfectionem rationali naturæ congruam, disponendo illam & potentias illius benè, ad bonum, rectum, honestumque, inclinando etiam illam & illas, facilitatemque illis conferendo, ad id præstandum. Nempè vt & refrenentur ab actibus inordinatis, & vt promoueantur ad actus rectos, atque ordinatos. Et quamuis Christus Dominus, nullam in se potentiam habuit, ad aliquid inordinatum, propendentem: hoc enim impediebat, & impossibile plenè reddebat in eo, Gratia Vnionis: habuit tamen omnes potentias naturales, ad bonum operandum, naturaliter idoneas, vnde etiam habuit, iuuandis hisce potentijs, habitus congruos, quoniam neque potentiæ, neque habitus huiusmodi, dedecent Personam Christi Humanitatis, neque statui beatitudinis eius repugnabant, & poterant commodè pro libitu, & occasione à Christo exerceri, in suosque actûs educi, cum directione eorum ad finem supernaturalem: & cum eo, quod essent tam meritorij, quàm satisfactorij, iuxta voluntatem Christi. Igitur fuit Anima Domini Iesv, hisce virtutibus, etiam de suo genere acquisitis ornatissima, & quidem, ab ipso instanti primo creationis suæ, necnon in summo perfectionis gradu, qualis condignè decebat Vnionem hypostaticam; sine dubio autem decebat summus, & in primo creationis puncto, non minùs quàm in quocunque alio succedente. Semper enim Christus, erat Christus; id est:

Isai. 11. 2.

Dei

Excell. 9. DEI Filius, & ideò statim à principio sui exortûs, habuit omnes potentias, affectionesque humanas, optimè, in summo dispositas, attemperatasque, & rectæ rationi plenè, seu modo optimo, per internam affectionem, dispositionemque subiectas. Non minùs (imò tantò ampliùs, quantò iustiùs condigniùsque) quam Adam primus Homo, in statu innocentiæ, à primo suæ creationis puncto, istis omnibus præditus, atque ornatus exstitit.

His virtutibus naturâ quidem acquisitis & naturalibus, per accidens licet Christo, propter eminentem eius Dignitatem infusis, etiam accedunt gratiæ, quæ vocantur gratis datæ: sic dictæ, quod nõ tam in bonũ eius ipsius, cui dantur, quàm in commodum aliorum, propter quos dantur, & in quos, ab eas habente diffunduntur, à DEO conferantur. Has fuisse in Christo Domino dubium non est, nam & nullam imperfectionem inuoluunt, nec statui beatitudinis repugnant: & præterea faciunt ad ornatum Animæ, cui insunt, atque gratiæ cui annectuntur. Maximè autem, quia seruiunt & ordinantur, ad fidei, & spiritualis doctrinæ manifestationem, & quia Christus Dominus primus fuit, & summus principalisque Doctor, & Magister, manifestatorque fidei, propterea, excellentissimè debuit in se habere gratias hasce gratis datas. Videre est in Apostolo PAVLO, recensitas hasce gratias, secundùm species suas, ait enim: *Vnicuique datur Manifestatio Spiritûs ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ, alij autem sermo Scientiæ, secundùm eundem Spiritum, alij fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum in vno Spiritu; alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* 1. Cor. 12. 8. Hasce gratias, teste eodem Apostolo, *operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens singulis*, à se delectis fidelibus, *prout vult*, non enim omnes credentes promiscuè habent hæc dona, siue omnia, siue horum aliqua, cum palàm sit, in multis Ecclesiæ filijs, esse etiam horum, nulla. Cæterùm in Christo Domino, istæ gratiæ

tiæ omnes fuerunt, & non per diuisionem, sed secundùm plenitudinem pertingentem, ad summum cuiusque gratiæ, in maximâ excellentiâ, in quâ potest quæuis earum haberi: necnon in maximâ extensione ad omnes effectus suos, & denique in maximâ perfectione facultatis super gratiam quamlibet, ad ea omnia, quæ pertinebant ad officium, statumque Christi Domini. Quem in harum, sicut in nullarum aliarum gratiarum, obtentione atque vsu limitari non oportebat; tum ob gratiam Vnionis Hypostaticæ, ratione cuius, debebantur Humanitati ipsius, omnes gratiæ, in plenitudine, super omnes excellentis; tum ob dignitatem, atque munia, quæ Christus erat obiturus, & reipsa obibat, quin & adhuc, pro conditione statûs sui, obit; quandoquidem & fuit, & est adhuc vniuersalis dispensator, atque, vt se in Euangelio vocat, *Procurator*, Oeconomusque, ac distributor bonorum, atque gratiarum, quas proinde oportuit, & oportet eum habere omnes illas in se, vt alijs communicare possit, tum deniq̃ue ob munus (vti superiùs memini) Vniuersalissimi, perfectissimiq̃ue Doctoris, ac Magistri, & Prædicatoris Euangelij. Cui muneri prædictæ gratiæ, partim sunt necessaria adiumenta, partim conuenientissima ornamenta, in Doctore tali requisita. In quo, præter exactam rerum, atque mysteriorum tradendorum alijs cognitionem, & (vt dicebat D. PAVLVS,) Sapientiam, atque scientiam, necessaria est facultas ad explicanda, & clarè, distincteque proponenda mysteria, eademque persuadenda, & confirmanda. In hunc enim finem istæ gratiæ, gratis datæ ordinantur in Ecclesiâ DEI, in Christo quidem secundùm omnem plenitudinem, cui non ad *mensuram* DEVS *dedit Spiritum*, sed de *plenitudine eius accepimus omnes nos:* in ministris autem Ecclesiæ secundùm diuisionem, quorum singulis diuidit, prout vult, vnus atque idem Spiritus Christi. Fuit ergo in Christo Domino sermo sapientiæ, ipse enim lucidissimè proponebat & explanabat altissima Mysteria, siue

Christus solus in summo gradu, omnib⁹ gratijs, excellẽtissimus.

Matt. 20. 8.

Ioan. 3. 34.
Ioan. 1. 16.

Trinitatis, siue Incarnationis, siue prædestinationis, siue
Ioan. 1. 18. Eucharistiæ. Vnde IOANNES dixit de eo. *Vnigenitus qui*
Luc. 4. 29. *est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et LVCAS ait. *Mirabantur*
omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius. Hinc
Math. 7. 29. etiam *docebat populos, non sicut Scribæ & Pharisæi, sed tan-*
quam potestatem habens. Fuit etiam sermo Scientiæ in
Christo, tum ad docenda hæc, quæ creditui, tum quæ
facta erant necessaria ad sciendum ab hominibus, quæ
Ioan. 6. 68. Dominus gratiosis parabolis explorabat, quædam eti-
am nudè proponebat. Vnde dicebatur ei, *Verba vitæ*
æternæ habes. Viam DEI, in veritate doces. Beatus venter
qui te portauit. Fuit & fides in Christo, fides miraculo-
Excell. 9. rum, ex qua dicebat Patri: Scio quia semper me audis, &
Marc. 9. 23. cuidam dixit; *Omnia possibilia sunt credenti.* Et si *habue-*
Math. 12. 19. *ritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, tollere hinc,*
& mittere in mare, & fiet. Fuit gratia sanitatum, vt in-
finitæ sanitates, collatæ ab ipso, probarunt: sed & Hæ-
Luc. 8. 46. moroissæ dixit; *tetigit me aliquis, quia ego scio virtutem ex*
me exisse. Fuit operatio virtutum, vt patuit in excellen-
tibus miraculis ab eo patratis. In resuscitatione quatri-
duani Lazari, & aliorum mortuorum. In calcatione
Maris. In increpatione eiusdem; In quinque & septem
panum miraculo. Magis autem, In subita conuersione,
& ad se adiunctione Animarum. Vt PETRI, ANDREÆ, Fi-
liorum etiam Zebedæi, MATTHÆI, ZACCHÆI, MAGDALENÆ,
Luc. 2. 12. Latronis in Cruce. Fuit in Christo Prophetia. *Surrexit*
Magnus Propheta in nobis, & quia DEVS visitauit plebem
suam; multa etiam & occulta, & futura prædixit. Fuit
Luc. 9. 55. in Christo Spirituum discretio, ex hac dicebat. *Nescitis,*
Math. 8. 33. *cuius Spiritus estis.* Et, *Vade retrò sathana, non sapis quæ*
Math. 4. 10. *DEI sunt, sed quæ sunt hominum.* Et aliàs. *Vade sathana:*
scriptum est, Non tentabis Dominum DEVM tuum. Genera,
seu, Donum linguarum, habuisse certum est Dominum
nostrum: & si eo aliquando vsum non constat, forsitan
tamen eo tunc est vsus, quando Milites, (qui fortè gen-
tiles erant) missi ad eum comprehendendum, reuersi di-
cebant:

cebant: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, posset & ad vsum huius doni reuocari, illa scriptio digito in terrâ, accusatoribus adulteræ. Deniqúe habuit Dominus gratiam interpretandi sermones seu scripturas, quod ostendit, quando lecto Isaiæ Prophetæ quodam loco, dixit præsentibus: *Hodie, hæc scriptura impleta est in auribus vestris.* Et quando discipulis duobus *in Emmaus euntibus; incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.*

Ioan. 7. 46.

Luc. 4. 21.

Luc. 14. 27.

Præter hæc dona, fuerunt & alia plura in Christo, non minora modò dictis, tale fuit, cognitio cordium, & secretorum eius, vnde sæpè dicebat: *vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et, cognita autem IESVS nequitiâ eorum: tale fuit Dominium, & rerum, & mentium humanarum, vt fuit, quando aquam in vinum mutauit, quando Panem & Vinum in Carnem & Sanguinem suum conuertit, quando animos Militum, ad sui captiuationem submissorum, mansuetos, & laudatores sui reddidit, item quando pueros, & turbas in suo Ierosolymam ingressu triumphare fecit, quando Asinam cum pullo eius, cum bona dominorum voluntate ad se adduci iussit, quando cænaculum grande stratum, cum toto apparatu cænæ Paschalis sibi & discipulis suis instrui mandauit. Tale etiam fuit donum subtilitatis, etiam in passibili suo corpore, & quando illæsâ Matris integritate natus est, quando calcauit Mare pedibus, & calcari, à PETRO dedit. Donum etiam Claritatis, in suâ potestate fuisse, in Monte Thabor manifestauit, vbi Moysem mortuum, & Eliam viuum ad se venire, & secum apparere, ac loqui fecit. Per donum Impatibilitatis è manibus hostium lapidare, præcipitare, apprehendere conantium exiuit Sic etiam potestatiue eijciebat dæmonia, imperabat febribus, lepris, cæcitatibus, alijsque huiusmodi, etiam absens, solâ voluntate. Imperabat & ventis, & Mari, & tempestatibus, & obediebant ei. Semetipsum pluribus simul locis præsentem, simul & semel fecit, nam in vltimâ cænâ,

Matth. 9. 4.

Christus solus in summo gradu, omnib⁹ g⁹atijs, excellẽtissimus.

Excell. 9. *Christus solus in summo gradu, omnib⁹ gratijs, excellentissimus.*

vel potiùs, in primâ Eucharisticâ cænatione, & ipse præsens visibiliter in medio discipulorum sedit, & sub panis viniq́ue speciebus, Sacramentaliter, realiter tamen, & verè, tum in suis proprijs, tum in discipulorum manibus adfuit, & quamuis manducatus, non tamen absumptus est.

Jstis quoque Gratijs annumerandæ sunt illæ, seu Dignitates, seu Potestates, seu Officia, atq́ue Munia, Regis, Domini, Patris, Pastoris, Medici, Magistri, seu Doctoris, Legislatoris, Sacerdotis, ac Summi Pontificis, Saluatoris, Capitis, Iudicis viuorum, & mortuorum, Iustificatoris, & peccatorum condonatoris, omnium virtutum, meritorum, Donorum largitoris, Remuneratoris etiam & vitæ æternæ collatoris, quid multa? *Data est illi omnis potestas in cælo, & in terrâ:* & *in Nomine eius, quod est* IESVS, *omne genu flectebatur*, flectitur, flecteturq́ue in æternùm, *siue cœlestium, siue terrestrium, siue infernorum*.

Math. 28. 18

Philip. 2. 11

Et ista omnia, simulq́ue alia, quæ digna sunt DEO-Homine fuêre Christo Domino collata, à primo instanti suæ Incarnationis: & collata in summo suæ perfectionis gradu, qualis, Vnionem Hypostaticam, personamq́ue Diuinam Verbi, & Filij DEI, addecebat; decebat autem talis, & tanta: ad quam nec vlla, nec simul vniuersa pertingeret creatura: propter illam autem, illum super omnia æstimaret, amaret, veneraretur, laudaret, audiret, desideraret, timeret, ad illum confugeret, in illo confideret, illi gratias ageret, illum deprecaretur, illi adhæreret, illi seruiret, ac illius voluntati obediret, potestatiq́ue subesset, tum quælibet singillatim, tùm omnis vniuersim Creatura.

EXCEL-

EXCELLENTIA X.

In solo Christo habitat, omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.

DECIMA Domini Nostri IESV, super omnes Creaturas Excellentia est: quia *in eo solo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Excellentia hæc, omnium Excellentiarum aliarum, quæ in Christo sunt, excellentissima est, quin imò est fons omnium aliarum, adeò vt hanc vnam de Christo Domino enarrasse, sit enarrasse omnes. Multus admodum & perfrequens est in ea S. IOANNES Euangelista, ita vt toto Euangelio suo nihil agat aliud, nisi vt Christum fuisse DEVM, atque esse annuntiet & confirmet, ipsum eius Euangelij exordium attendatur. *In principio erat VERBVM, & VERBVM erat apud DEVM, & DEVS erat VERBVM. Hoc erat in principio apud DEVM. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in Nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Et de plenitudine eius, nos omnes accepimus, gratiam pro gratiâ. DEVM nemo vidit vnquam, Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Hæc IOANNES de Christi Diuinitate, ante omnia sæcula: & de eiusdem Incarnatione, in mundumque aduentu in tempore, quæ si quis explicatione illustrare velit, luci potiùs tenebras affusurus sit, ad expressam enim æternæ Diuinitatis, & temporaneæ Incarnationis Christi assertionem, quàm hæc à IOANNE enarrata sunt, certè non est quid superaddi possit. Apostolus quoque PAVLVS, sæpissimè in hac Domini nostri IESV Christi ab æternâ

Coloss. 2. 9.

Ioan. 1. 1.

Excell. 10. Deitate, eiusdemque in carne ad nos aduentu enarrandâ, atque probandâ occupatur: sed præclarissimè, necnon copiosissimè scribens ad Hebræos, vbi ita exorditur.

Hebr. 1. 1. *Multifariam, multisq; modis olim* DEVS *loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit Hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ: purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in Excelsis: tantò melior Angelis effectus, quanto differentiùs præillis Nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursum: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit Primogenitum, in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli* DEI. *Et ad Angelos quidem dicit; qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus* DEVS *in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga Regni tui: Dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te* DEVS, DEVS *tuus oleo exultationis præparticipibus tuis.* Et, *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Et hæc quidem de Æternâ Filij DEI Diuinitate luculentissimè, addensatis veteribus scripturis testatus est. Iam de eiusdem Humanitate, illis non minùs luculentis, ac de veteris testamenti scripturis, delumptis ver-

Hebr. 2. 9. bis attestatur, pariter ad Hebræos scribens. *Eum autem qui modico minoratus est quam Angeli, videmus* IESVM *propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum: vt* DEI *gratiâ pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno*

omnes:

omnes: Propter quam causam non confunditur, fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi* DEVS. *Quia ergo communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium: id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde & debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad* DEVM, *vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Nihil attinet plura adducere Apostoli testimonia, cum in hoc vno luculentissimè Incarnationem Domini DEI nostri, eiusque in carne opera, & in primis Passionem pro nobis, salutisque Nostræ operationem, oblationem suimet pro nobis, & ex seruitute mortis, atque diaboli eliberationem asserat, ediserateque. Vt suprà modum demirandus, deplorandusque sit Anti Christianorum, tam veterum, quàm modernorum stupor: qui Christum in Scripturis, quas manibus terunt, inuenire talem, qualis reuera in eis, & in semetipso, & in veritate est, non possunt. Nimirùm effinxerunt sibimet ipsis talem Christum, qui inuentionibus ipsorum placuit, eumque in Diuinis scripturis, perpetuò inuenire laborant: id circò omni ratione torquent, distorquentque easdem in absurdos & impossibiles sensûs, figmentis, & idolis cerebrorum suorum accommodatos *ad suam ipsorum perditionem*, vt præ- 2. Pet. 3. 16.
dixit de eis B. PETRVS Apostolus. Qui si verum Christum nosse & habere vellent, eum ab Ecclesiâ Christi, quæ vt Sponsa eius, non potest eò carere, & falli in notitiâ eius, acciperent; & sine dubio acceptum, eundem omninò in Scripturis sacris viderent, inuenirent, haberent, eumque in suam salutem, amarent, venerarentur, audirent. Nunc autem quia totis viribus infelices, Ecclesiam Christi fugiunt, & oderunt, ipsumque Christum blasphemant, necessariò

Christus ob inhabitantē in se solo corporaliter plenitudinē Diuinitatis, excellentissimus.

Excell. 10. sariò ab eodem, & à gratiâ ipsius excidunt: incidunt
Ioan. 9. 22. verò *in iudicium eius, quod omne Pater dedit Filio: vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium*, (vt certè isti Antichristiani non honorificant, qui illum creaturam faciunt,) *non honorificat etiam Patrem, qui misit illum;* quia vt etiam isti faciunt, auferunt illi Filium, Vnigenitum, Consubstantialem, verumque DEVM: obtrudunt autem ei creaturam, adoptiuam, & quid adoptiuo viliùs, ingeniorum suorum figmentum & idolum. Sed his relictis cum apprecatione, vt veniant aliquando ad lucem, & credant in Nomine Vnigeniti DEI, redeamus ad propositam nobis Excellentiæ Christi DEI nostri pertractationem: quam ex plenitudine Diuinitatis, se corporaliter inhabitantis ille solus habet.
Hebr. 5. 11. *De quâ nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum*, etiam *si haberemus omnem scientiam, & linguis loqueremur hominum, atque Angelorum.* Quis enim satis vestigabit, *inuestigabiles illas diuitias Christi?* quis inueniet *dispensationem Sacramenti absconditi à sæculis in DEO, qui omnia creauit?* quis cognoscet *multiformem Sapientiam DEI secundùm præfinitionem sæculorum, quàm fecit in Christo IESV Domino nostro?* quis aut comprehendet, aut enarrabit, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum, communicatum & effusum nobis, in Incarnatione Filij DEI?

Absoluit totam huius immensitatis vndiquaque infinitæ enarrationem, ipsa Incarnata Sapientia DEI, quando Nicodemo sui in mundum aduentûs, suæque in mundo conuersationis, exitûsque de hoc mundo, siue exaltationis in CRVCE suæ, rationem & causam, enarrauit, dicens. *Sic enim DEVS dilexit mundum, vt Filium suum*
Ioan. 3. 16. *Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vnicâ syllabulâ complexus est, inuoluitque totius Negotij, Mysterij, Beneficijque Incarnationis molem, sed nullis creatis ingenijs, atque linguis vnquam satis euoluendam. Nam quis creatus

Intel-

Intellectus illud Domini nostri Sic: vel comprehendet, vel enarrabit? Liceat, ô Diuina Incarnata Sapientia, ex te ipsâ cognoscere, & audire abyssalem huius tui. Sic sensum. Enarratura Sapientia DEI, opus quoddam inenarrabile DEI: præfationem & exordium dictioni suæ præmisit magnificum, attentionis plenissimum, beneuolentiæ conciliatissimum. Quis audiens ex ore sapientiæ progressum istud. Sic. Non conuertat Animum, non auditum arrigat, non constet sibi totus, non consistat in expectatione cupiens cognoscere, quid enarraturum sit, istud. Sic? *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Credis hoc Nicodeme? an etiam dicis, *quomodo possunt hæc fieri? quis ascendet in cælum, Christum Filium DEI & Hominis deducere?* quis audebit Filium DEI & Hominis, super lignum instar Mosaici serpentis suspendere? Noli mirari, noli quærere, noli ambigere Nicodeme: futurum est hoc omninò, futurum; *oportet enim ita exaltari Filium Hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Miraris hoc: Ita oportet? maius horum audi: ex quo sciat quare ita oportet. *Sic enim DEVS dilexit Mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Parcite cæli, parcite Angelicæ mentes, Parce tu quoque Sapientia DEI, ignoscite vel adhuc hæsitanti, vel adhuc quæritanti? Audio enim, quia ita oportet exaltari Filium DEI & Hominis, super lignum, sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, hæreo, & horreo audiens, sed audio, futurum hoc, quia DEVS Filium suum Vnigenitum dedit. Quid? Itanè DEO, vel vilis, vel exosus, vel superfluus fuit; Filius suus, Vnigenitus, & vnicus suus, vt eum ad exaltandum, hoc est, suspendendum, occidendumque in ligno daret? Neque superfluus, quia vnicus; neque exosus, quia filius, neque vilis, quia consubstantialis DEO fuit: sed tamen eum dedit, & ad occidendum in ligno dedit, Sic enim DEVS dilexit mun-

Christus ob inhabitantē in se solo corporaliter plenitudinē Diuinitatis, excellentissimus.

Ioan. 3. 14.

Rom. 10. 6.

Ioan. 3. 15.

Excell. 10. mundum, quamuis pretiosissimus DEO filius, quamuis dilectissimus Vnigenitus, quamuis obseruandissimus consubstantialis coæqualisque vnicus, tamen illum dedit, & pro mundo dedit, & mundo dedit, & ad occidendum in Cruce tanquam serpentem dedit; Sic enim DEVS dilexit mundum, Apage cum isto mundo, Quid enim DEO & Mundo? quid DEI Filio & mundo? quid Vnigenito DEI & mundo? Quis est iste mundus, qui in contentionem pretij, & amoris venit, apud DEVM cum filio, cum vnico, DEI? Nonnè Mundus iste est, qui non nouit DEVM? Nonnè iste Mundus est, qui odit DEVM? Nonnè iste Mundus est, cuius omnis sapientia inimica est DEO? Nonnè iste Mundus est, cuius sapientia stultitia est apud DEVM: & apud quem Sapientia DEI, stultitia est apud ipsum? Nonnè iste est Mundus, hostis DEI: contemptor DEI rebellis & contumax DEO? Nonnè iste est Mundus, in quo nihil est mundum coram DEO, in quo quidquid est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum est, superbia vitæ est? Nonnè iste est Mundus, qui est apud DEVM reus mortis, filius perditionis, diaboli seruus, scelerum regnum, combustionis æternæ pabulum? Hunc ergo Mundum, sic DEVS dilexit, vt filium suum Vnigenitum daret, vt Mundus saluetur per ipsum. Ergo nè, ô DEVS! peribit in ligno, infami, crudeliter suspensus Filius tuus, vnigenitus tuus, consubstantialis tuus, vt non pereat, sed saluetur per mortem illius mundus, improbissimus mundus, ingratissimus mundus, inutilissimus mundus, exosissimus, & perditissimus mundus? Si mundus esset mundus, esset innocens coram DEO, esset recti & iusti amator & cultor, esset DEI voluntatis & veritatis obseruans, esset honoris Diuini, gloriæque nominis eius subditus & studiosus, si amatorum DEI, seruorumque amicus, si essent in mundo, quæ digna sint DEO, talem mundum amari DEO, non fortè indignum esset DEO, magnum tamen, & adhuc non planè debitum esset mundo: at sic à DEO diligi etiam sanctum mundum, vt Filium

suum

suum Vnigenitum det DEVS pro eo; ista talis dilectio DEI superaret omnem mundum, ornatum, meritumque Mundi. Nunc autem quod sic DEVS dilexit mundum, mundum per omnia impium, per omnia inimicum, per omnia omni bono, omnibusque bonis aduersarium, idolorum cultorem, DEI creatoris sui osorem: à dæmone principe possessum, eiusque damnationis æternæ socium: quod (inquam) sic DEVS dilexit talem mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro mundo, pro salute mundi, ab ipso per omnia extremè dira cruciamenta, & probrosissima supplicia excarnificandum, sic amato, sed amori odia hostilia rependente mundo: quæso in cuius cor creaturæ ascendere potuit, ista DEI erga mundum dilectio? venit tamen in mentem, in voluntatem, in decretum, in opus ipsum DEO, & vnigenitus eius, qui est in sinu eius, ipse enarrauit, qui etiam ipse adimpleuit voluntatem, atque dilectionem istam eius. Quia sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt Mundus saluetur per ipsum. O Munde, si DEVS sic dilexisset te, vt pro te, tuâque salute, dedisset quem piam hominem, aut Angelorum: stupendam in te & nunquam rependendam à te impensam fecisset, beneficioque te cumulasset DEVS. Dico amplius fortè aliquid, in sensu saltem nostro imbecillo, si DEVS brutam aliquam creaturam, si vel ipsum vnum canem nostrum, pro te, ô munde, impendisset: tu quidem neque isto Amore dignus, neque huic beneficio, impendioque pro te à DEO facto refundendo idoneus nunquam fuisses: aut esse de tuo proprio peculio posses. Nunc quando sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum, non alienum, non adoptiuum, non aliquem Angelorum aut Hominum, non quiddam brutum, non ad Regnum, & honores, & Maiestates, & Diuitias, delitiasue, non in suum, aut Filij sui commodum quodcunque, sed ad omnia indignissima, indigna pro te, & etiã à te sustinẽda, adusque mortem dedit, congrega in vnum omnes etiam possibi-

Christus ob inhabitantẽ in se solo corporaliter plenitudinẽ Diuinitatis, excellentissimus.

Excell. 10. les creaturas, earumque Vires, conatus, industrias, dignitates, merita, affectûs, & quidquid cum totâ possibilitate ac æternitate potes, & pro hac dilectione tui, pro hoc sumptu gratis planè quantùm ad se, sine vllo merito, imò cum immenso demeritò quoad te; propter bonum tuæ salutis æternæ effuso in te, à Charitate istâ DEI, impende ac repende; tantùm proficies (imò verò, ne tantùm quidem; nam finiti ad finitum comparatio esse potest, sed finiti ad infinitum nulla est proportio) quantùm si paleam vnam, aut muscæ alam vnam, toti huic vniuerso admetireris. Cum autem, ô Munde, sic te à DEO dilectum legis, vel audis, vt Filium suum vnigenitum daret, vt mundus saluetur per ipsum: noli munde cogitare sermonem esse de Cælo in quo sol, & stellæ lucent, non de Aëre, Nubibus, Auibusque; non de Aquis & Piscibus: non de terrâ, & omnibus quæ in eâ sunt: sed, scitote Vniuersi & singuli homines. Adæ veteris filij, scitote Vos mundum esse, & vocari: Scitote, dum Christus, ait, Sic à DEO dilectum esse mundum, mundi appellatione compellari vniuersum hominum cætum, & vnumquemque singillatim vestrûm. Amatores mundi, vos estis Mundus; Impij, & iniqui, qui facitis peccatum, qui diligitis vanitatem; qui quæritis mendacium, vos estis mundus, qui concupiscentijs carnis diffluitis, qui concupiscentiâ oculorum, & auaritiæ tabescitis, qui superbiâ vitæ, & vestrî amore nimio, proprioque in vanum turgetis, vos estis mundus, quem sic dilexit DEVS, non vt in vobis maneat, sed vt à vobis dispereat iste mundus, vt saluetur in vobis, eiectus ex vobis, vt purgetur ex vobis; Christo Vnigenito DEI, & charitate eius regnante in vobis.

Ad hoc enim DEVS-Homo factus est: adhoc VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis, adhoc plenitudo Diuinitatis in Christo habitat corporaliter, ad hoc sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt saluetur mundus per ipsum, & habeat vitam.

tam æternam, ad hoc vt mundus desinat diligere mundum, & incipiat diligere, consuescat æstimare, discat audire, & sequi DEVM, & quem misit ille IESVM Christum, ad hoc vt formetur Christus in eò, vtque pertingat ad mẽsuram perfectionis plenitudinis Christi. adhoc deniqúe, vt etiam sic mundus, seu omnis mundanus diligat DEVM, & simul eum, quem misit ille mundo IESVM Christum, vt illi viuere Christus sit, & mori lucrum, vt illi mundus sit crucifixus, & ille vicissim mundo, vt omnia quæ mundi sunt arbitretur, propter Christum detrimenta, vt etiamsi ad placitum DEI sit in mundo, non sit tamen de mundo.

Christus ob inhabitantẽ in se solo corporaliter plenitudinẽ Diuinitatis, excellentissimus.

Sed væ, væ, væ Mundo, seu potiùs omni, qui est de hoc mundo, omni amatori huiusce mundi, væ tali mundo: quia de illo, aliud nihil est videre, nihil audire, nihil credere, nihil deflere: nisi quia sic Mundus odit, sic contemnit, sic deridet, sic persequitur DEVM, vt filium eius Vnigenitum occidat, crucifigat, sanguinem eius polluat, vias & exempla vitæ eius deserat, mandata & leges eius despiciat, & meram stultitiam reputet: & quasi, aut praua, aut noxia, aut vana ridiculaque sint eà, quæ Christus probat, mandat, commendat, desiderat, sanguinis & mortis suæ impendio consignat: hæc mundus tanquam deliramenta, tanquam ipsissimas nugarum nugas despuat, & exsufflet, omnia verò eis contraria, oraculorum instar, & rectissimarum regularum normam suspiciat, suscipiat, omnibus æternæ suæ salutis damnis, emptitet: omnibus æternæ damnationis lucris indubitatis comparet, & accepteț.

Atque si hoc fieret à Mundo gentili, à Mundo idololatrâ, à mundo nullam cognitionem, fidemuè, Christi, & DEI, in eo, per eumque beneficij præstiti habente: esset hoc quidem durum admodum, & indignum: aliquomodo tamen excusabile, tolerabile, & enormitate suâ omnem moderationem, in suâ punitione non excluderet. Sed hoc fieri, ab Hominibus, qui fidem, notitiamque de Chri-

Excell.10. *Christus ob inhabitantē in se solo corporaliter plenitudinē Diuinitatis, excellentissimus.*

sto habent, habere saltem se credunt, & fatentur, fieri hoc ab hominibus, qui Christum DEVM-Hominem esse, & suâ causâ esse factum, ad idque à DEO Patre sibi missum, & donatum esse profitentur: fieri hoc ab hominibus, qui omnia beneficia gratiæ & gloriæ æternæ, per Christum sibi à Patre æterno donata esse fide Diuinâ contestantur: plusnè in huiusmodi facto, & agendi modo sceleris & criminis, impudentiæ & ingratitudinis, an stultitiæ temeritatisque humanæ sit: nescio an creatus, quis intellectus satis discernere, ac decernere possit. Reuera sicuti est nihil ad beneficentiam DEI, in homines exaggerandam Diuiniùs, quàm quia sic DEVS dilexit mundum, nempè homines, vt Filium suum Vnigenitum daret, ad operandam eorum salutem, abolendam verò eorum æternam perditionem; Ita vicissim est nihil ad improbitatem humanam in DEVM, & Christum eius effingendam exprimendamque consummatiùs, quàm quia sic Homines, (& credentes quidem, confitentes Diuinam in se beneficentiam Homines) DEVM, & Christum eius, ita indignè tractant, contemnunt, deserunt, diaboloque postponunt. Stupet certè hoc inspiciens Animus, hebescit & deficit cogitatio, manus à scribendo torpescit & emoritur, dum ex vnâ parte, Diuinum sic dilexit DEVS homines; ex alterâ verò parte Humanum: sic contemnunt DEVM homines: componere, & vtriusque excessûs immensitatem permetiri nititur. Quocirca huius, de hac Christi Domini nostri Excellentiâ, pertractationis hic finis esto. Christus DEVS-Homo est: & in ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis habitare corporaliter, ideò, quia sic DEVS dilexit mundum, siue omnem hominem, vt non pereat, sed habeat vitam æternam. Hic cogitet Mundus, cogitet ac attendat omnis Homo, quid illum facere DEO: qualem illum esse in DEVM, quas illius partes erga DEVM esse oporteat?

EXCEL-

EXCELLENTIA XI.

In solo Christo omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI, *sunt absconditi.*

VNDECIMA Domini Nostri IESV Christi Excellentia, super omnes Creaturas est, Sapientiæ atque Scientiæ perfectissima plenitudo, atque plenissima perfectio, de quâ PAVLVS egregium testimonium dedit Colossensibus scribens de Christo: *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi.* Col. 2. 3. Multum dixisset Apostolus, si dixisset in Christo esse thesaurum Sapientiæ & Scientiæ: sed videbatur sibi, non satis commendaturus Christum, propter aliquem thesaurum sapientiæ & scientiæ in eo latentem: nisi absolutè omnes thesauros in eo reconditos, esse affirmasset. Multi enim sunt Sapientiæ & Scientiæ DEI thesauri, propter quos dictum est de DEO. *DEVS Scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* 1. Reg. 2. 3. Multæ sunt res, quæ per scientias cognoscuntur: Multæ etiam & variæ scientiæ, quæ rerum omnem varietatem cognoscunt, & harum omnium DEVS Dominus est, harum omnium thesauri omnes, in Christo absconditi sunt. Quidam thesauri, nulli creaturæ communicati sunt, quidam communicati quidem, sed quidam tantum, omnes autem nulli. Est in Hominibus sapientia atque scientia, rerum quandoque magna & multa nimis: qualis specialiter fuit in primo Adam, fuit & in Dauide, fuit & in Salomone eius filio, cui DEVS dederat Sapientiam, quâ *præcedebat omnes Sapientes omnium gentium, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris.* 3. Reg. 4. 29. Attamen plusquam Salomon hic, nempè Dominus noster IESVS Christus ad cuius sapientiam, scientiam prudentiamque, omnis sapientia prudentiaque Salomonis, & omnium hominum, est quasi gutta roris amtelucani ad immensitatem maris. Est etiam sapientia atque scientia recondita in Angelis, maximè

Excell. II. ximè in his, qui supremorum ordinum sunt, vt Throni, Cherubim, ac Seraphim: attamen nec in vllo horum, nec in omnibus simul, reconditi sunt omnes thesauri, sed sicut lux scintillæ, ad luminis solaris immensitatem, ita est omnis Angelorum scientia, ad Scientiam Christi, cuius solius hoc priuilegium est, vt in eo thesauri omnes Sapientiæ & Scientiæ DEI, sint absconditi. Est in DEO thesaurus abyssalis Sapientiæ & scientiæ, ipsâque Sapientia substantialis, increata, æterna, DEVS. Hæc in Christo abscondita est vniuersa, per ineffabilem illam, quam Hypostaticam vocamus Vnionem: quæ & simul Persona Christi est: & propter nos Incarnata. Hac Sapientiâ sapit DEVS ipse, quantumcunque sapit: hac scit, nouitque omnia, quæcunque nouit. Hæc Sapientia, est DEO consubstantialis, coæterna, coimmensa; Hæc Sapientia DEVM comprehensione adæquat, & eam nihil latet DEI, nihil eorum quæ in DEO sunt, vel potiùs quæ ipse DEVS sunt, & illa est idem ipse DEVS. Hæc Sapientia, ab omni æternitate conuixit DEO, omnibus eius cogitationibus interfuit, omnia consilia eius probauit, omnia decreta eius concepit, omnia secreta eius penetrauit. Hæc de omnibus tam futuris, quàm non futuris legem fixit: Hæc rerum omnium ideas, & artes, iuxta quas aliquando futuræ erant efformauit. Hæc Sapientia dignius DEO, iudicauit in productis de nihilo creaturis, bonitatem suam gloriamque manifestare, quàm ipsam Bonitatem atque Gloriam, intra semetipsum per omnem æternitatem latere. Eadem sapientia melius iudicauit de malis benè facere, quàm nulla mala esse permittere. Eadem inuestigauit modum atque fructum, quo ex malis permissis essent bona eruenda, & quo gloriæ Diuinæ fructus, mala prohibenda & tamen liberis creaturis essent permittenda. Eadem Sapientia selegit, *Electos ante mun-*
Ioan. 17. 24. *di constitutionem*, ipsa quoque in creaturis, *antequam quidquam boni aut mali egissent:* de alijs quidem dixit, *Dilexi eos*, de alijs autem, *Odio illos habeo.*

Hæc

Hæc Sapientia est, quæ ex ore Altissimi prodijt, quam ex vtero ante luciferum, in splendoribus Sanctorum æternus Pater genuit, quæ medullas cordis Diuini inhabitat, & abscondita illius nouit vniuersa: illa pascit DEVM in suo intellectu, & ludit coram illo fæcunditate immensâ viscералis substantiæ eius, & in speciositate omnium quæcunque condita sunt in orbe terrarum, architectante in omnibus scientiâ illius. Absque sapientia enim, neque in vllis creaturis, neque in ipso DEO quidquam esse, quidquam permanere, quidquam operari commouereque sese potest: sed illa est omnium esse, omnium vita, omnium ratio, omnium species, omnium ordo, omnium lex, omnium lumen, in quo operantur & perseuerant omnia.

Christ⁹ propter omnes sapiētiæ, & scientiæ DEI, thesauros, in se solo absconditos, excellentissim⁹.

Deniqúe hæc Sapientia, & Filius DEI, *ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis*, & redemit, atque saluauit nos: *& adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam nobis: & hic in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est* DEVS-HOMO. Atque hæc Sapientia, siue thesauri istius Sapientiæ, omnes in Christo absconditi, latent.

Ioan. 1. 14:

Bar. 3. 37.

Sed præter hos thesauros Sapientiæ & Scientiæ Increatæ, & qui ipsemet DEVS sunt, ipseque DEI Filius, ipsumque Verbum: sunt alij, fueruntque insuper sapientiæ scientiæque DEI creatæ thesauri, in Domino nostro IESV Christo, Homine-DEO dignæ, & in tantâ copiâ, atque sublimitate, in quantâ nulli creaturæ infuerunt, insunt, ineruntque vnquam.

Inprimis fuit in Christo Domino scientia naturalis, vt potè connaturalis Animæ ipsius rationali humanæ: Quæ Anima, sicut & tota Humanitas Christi, habuit omnes perfectiones, atque proprietates sibi connaturaliter debitas; quarum vna Scientia atque Sapientia non tantùm est, sed ex præcipuis præstantissimisque Naturæ rationalis ornamentis & perfectionibus est. Sicut enim maximus est defectus in tali Naturâ, carere sapientiâ atque scientiâ, seu cognitione rerum, saltem sibi necessariarum, penèque

Excell. 11. nihil talis natura differt à brutâ: ita è contrario scientijs pollere, est maxima dos rationalis Naturæ: & hæc vna est illius supra res brutas excellentia, ab ijsque differentia. Quare Anima Christi, nullâ penitus scientiâ, sciendique ratione (quæ modò statum Vnionis hypostaticæ, visionisque beatificæ in illa non dedeceret) caruit; comprehendo sub nomine scientiæ, quemcunque habitum ad creatum intellectum pertinentem verumque enunciantem. Itaque in Animâ Christi fuit perfectus Sapientiæ habitus: quo res ex altissimis causis cognoscebat. Fuit & Habitus Intellectus, sic dictus, quia eo principia per se nota veritatum rerumque cognoscuntur. Fuit quoque & habitus scientiæ naturalis, cuiuscunque cognoscentis effectus omnes per suas causas, aut etiam causas per suos effectus. Fuit & prudentia, quæ est de singularibus cognitio, comitem habens experientiam, ac memoriam. Fuêre denique habitus Artium omnium, inquantum illæ ad intellectum spectant, ab eo dependent, & in eo resident. Ista enim omnia fuisse in Christi Animâ, eiusque intellectu, nihil derogabat Dignitati Personæ illius Diuinæ, nihil etiam obstabat beatifico eius statui, multùm autem ornabat, & perficiebat connaturali perfectione Animam illam atque Intellectum. Proinde quod de Christo Domino dice-

Ioan. 7. 15. bant admirantes: *quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* pari modo quærere poterant, de omnis artis cognitione, si eam exercere visus esset, sicut procul dubiò exercuit fa-

Mar. 6. 3. brilem: vnde dicebant de eo. *Nonnè hic est faber?* quam tamen ab Ioseph non discebat, potiùs Ioseph suam artem à Christo perficiebat, & in operando secundùm suam artem proficiebat. Porrò opiniones, siue habitus assensusue opinatiui & probabiles nulli erant, nullique esse poterant in Intellectu Christi, his enim cum possit subesse falsum & error, non decebat eos in Christo reperiri, quia hoc derogabat Diuinæ Personæ, & beatificæ visioni, & perfectioni muneris Christi, ad quod requirebatur infallibilitas dicendi, docendi, diiudicandi, decernendique: hanc enim

enim nisi habuisset, autoritatem irrefragabilem non habuisset. Non habuisset autem, si tantùm opiniones aliquando affirmare potuisset, sic enim falsitates, deceptiones, errores, obscuritates, & incertitudines, ac demùm ignorantiæ, in eius tam sensis, quàm verbis esse potuisset: quod tam esse in Christo, quàm asserere de Christo, absurdum est. Nouerat Dominus noster opiniones omnes, & earum rationes probabiles, & poterat de earum probabilitate ferre iudicium: sed hoc iudicium erat certum, & euidens intellectui Christi, in eoque nec falli, nec fallere potuit, perinde sicut falsitates & mendacia, & errores, & dubia, & ignorationes nouerat Christus, facere tamen ista omnia non poterat Christus.

Christ⁹ propter omnes sapiētiæ, & scientiæ DEI, thesauros in se solo absconditos, excellētissim⁹.

Fuit præter hunc scientiæ naturalis thesaurus: alius etiam scientiæ Thesaurus supernaturalis per se infusus, à naturali scientiâ distinctus, eaque præstantior, ac Christi Animæ, naturâ quidem suâ indebitus, vt tamen Animæ illa erat Verbi Incarnati, seu DEI-Hominis, propter eximiam eius perfectionem, ac Dignitatem, eidem fuit debitus, vt ei nihil deesset in vllâ gratiâ, tanquam subiecto adeò sublimiter eleuato & honorificato. Si enim talis infusa scientia in Angelis, & in Adamo fuit, æquiori iure in Christo esse debuit: quandoquidem & plusquam Angelus, & plusquam Adam fuit hic. Et quamuis Christus Dominus, in terris licet degens, fuit nihilominùs simul tunc comprehensor, beatamque scientiam habuit, ideòq; poterat non egere scientiâ aliâ infusâ, supernaturali, quia illa sufficiebat ei ad cognitionem tam naturalium, quàm supernaturalium, contingentium & liberorum, sub quauis conditione, suppositioneque futurorum, non futurorum, & à DEO destinatorum: tamen hac non obstante beatâ scientiâ, capax fuit scientiæ per se infusæ, nec ea repugnabat Vnioni Hypostaticæ, visionique beatificæ: & insuper in Mundo viuens erat simul adhuc viator perfectus, ad quem statum pertinebat istiusmodi Scientia infusa, perinde vt pertinebat naturalis, absque præiudicio tam Vnionis, quam Visionis.

Excell. II. Præter supradictas, atque etiam super supradictas scientias, Dominus noster IESVS Christus habebat, atque habet Beatam scientiam Visionis, quam & omnes beati in cælo habent, sed perfectiorem longè quam omnes beati habent. Consistit hæc Scientia Visionis beatificæ, in Visione DEI sicuti DEVS in se est, non eo, quo illum in viâ & vitâ istâ videmus modo, per fidem, per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem. Illam faciem quam
Exo. 33. 13. desiderabat Moyses, dicens: *Domine ostende mihi faciem tu-*
Psal. 79. 4. *am*, quam cupiebat Dauid, orans: *Domine ostende nobis faciem tuam, & salui erimus:* quam optabat PHILIPPVS, dicens
Ioan. 14. 8. Domino: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, quam
Psal. 16. 15. Dauid promittebat sibi affirmans: *Satiabor, cum apparuerit Gloria tua.* Ista Visio Beatifica, atque Scientia Beata, prouenit in Beatis ex lumine gloriæ, infuso eorum mentibus,
Psal. 35. 10. iuxta illud Prophetæ, *In lumine tuo videbimus lumen*, & de-
Eccl. 1. 5. riuato à fonte Verbi Diuini, dicente Ecclesiastico: *Fons Sapientiæ, Verbum DEI in excelsis.*

Huic Verbo propinquissimè vnitur Anima Christi, neque vlla creatura, tantâ vnitur propinquitate, quia nulla vnitur hypostaticè: ista benedicta super omnes Animas, plus haurit influentiam luminis gloriæ, in quo DEVS ab ipso Verbo videtur; ideòque etiam præ cunctis creaturis videt DEI Essentiam, dicente IOANNE: *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum non solùm Gratiæ, sed etiam Veritatis, quæ veritas, Essentia DEI est.*

Ob hanc causam, quamuis Angeli habeant perfectiorem intellectum naturâ suâ, quam est intellectus etiam Christi creatus ac humanus, tamen quia nullus Angelus, tantùm accedit ad Vnionem cum DEO, per suam gratiam, quantùm accedit Christus per suam, pro mensurâ autem gratiæ, non verò pro mensurâ naturæ, datur lumen Gloriæ, quæ est finis connaturalis Gratiæ non naturæ: sicut omnes Angeli impares sunt Christo in Gratiâ, ita & in lumine, & consequenter etiam in Visione gloriæ, ac Diuinæ Essentiæ impares sunt. Et idem est sentiendum de omnibus

bus Beatis creaturis Essentiam DEI videntibus. Quarum omnium Beatitudo, dependet, emanatque tanquam à fonte, atque à principio, ab ipso Christo: quamobrem superat omnes beatos in beatitudinis suæ Gloriâ; aliâs esset dicendum, esse in beatis aliquid gloriæ, quod ex Christo in eis non esset, quod dici non potest. Christus enim est hæres gloriæ, beati cohæredes; Christus hæres naturalis, sicut & Filius: beati verò sunt hæredes adoptiui, sicut & Filij. Christus est hæres quasi Vnigenitus à Patre, siue Patris, beati verò sunt quasi serui, ad summùm amici per beneuolentiam, seu gratiam.

Christ⁹ propter omnes sapiētiæ, & sciētiæ DEI, thesauros, in se solo abscōditos, excellētissim⁹.

Hac Visione, scientiâque beatâ, Christus videt, nouitque inprimis Essentiam DEI, & DEVM, vt in se DEVS est, vnus in Essentiâ, trinus in Personis: videt autem beatificè, intuitiuè, fruitiuè, clariùs, pleniùs, perfectiùs, quàm vlla creatura beata, vel quàm simul omnes, etiamsi omnes earum beatæ visiones congregentur in vnam. Sicut enim Dignitas solius Christi Animæ, exuperat omnium Beatorum dignitates simul sumptas, & Gratia solius Christi, excedit omnium Beatorum gratias item simul sumptas, & merita solius Christi, (imò vnum quodque meritum eius) euincit omnia omnium beatorum merita etiam simul accepta, ita quoque solius Christi Beata scientia, ac visio Essentiæ DEI, & eorum quæ illi innexa sunt, excedit omnes beatas visiones, scientiasque Beatorum etiam simul coniunctas. Nam beati, & non ita limpidè, plenè, profundè, profusèque vident DEVM, eiusque Essentiam, sicut vnus solus Christus: & non vident etiam in DEO, ea quæ speciali ter pertinent ad ipsam Animam Christi, secreta enim Animæ illius, illis non patent. Cum tamen Christus omnia videat, sciatque in DEO, quæ DEVS nouit in quacunque differentiâ temporis, & nouerit etiam omnia, quæ sibi sunt propria, & denique nouerit omnia, quæ omnes beati vident, quæque illis in ipsis sunt propria, omnia enim illorum Christo sunt euidentia.

Quod autem obiter attigi de meritis Christi, supra

omnium beatorum merita; Non ideò id adduxi, quasi Christus Dominus ex meritis suis Visionem beatificam, acceperit: accepit enim illam ex Vnione Hypostaticâ, quæ & anteceſſit, & exceſſit omnia merita, & in primo ipso conceptionis, creationisque Christi instanti, est illi tam Excell, 11. Vnio, quam ex vnione Visio collata; sed ideò meritorum mentionem feci, quia si per merita Beatam Visionem habere debuisset Christus, debita illi fuisset ea tota beatitudinis, beatæque Visionis ac scientiæ perfectio, atque plenitudo, quæ de facto ei collata est, & quæ per merita secundùm legem ordinariam comparari posset.

Deinde, nouit per hanc Visionem Scientiamque Beatam Christus Dominus, omnia illa, quæcunque in quauis temporis differentia DEO decernente, vel iam fuerunt, vel sunt, vel erunt: Et hæc per Essentiam DEI, nouit peritissimè atque perfectissimè, tum in semetipsis, tum etiam in omnibus adiunctis suis. Nouit (exempli gratia) omnes & singulos homines, nouit & omnes omnium cogitationes, voluntates, commotiones internas externasque, quas habuerunt, habent, habituri sunt per omnem æternitatem. Atque idem de alijs omnibus creaturis, esto iudicium: Scire hæc omnia Christum, pertinet ad Dignitatem, statumque illius, tum propter Eminentiam Personæ Verbi, cui Hypostaticè vnita est Anima Christi, tum quia Christus est caput omnium rerum, specialiter omnium Angelorum & Hominum, & specialissimè iustorum, prædestinatorum, electorumque, propter quos omnia condidit DEVS, tum quia Christus est Iudex omnium, à DEO constitutus & ordinatus, tum deniqué, quia in Christi gloriam & exaltationem honoremque, suo (post DEVM) modo, omnia creata sunt, & propterea eidem omnia subijciuntur, & demùm omnia illi perspecta sunt, ad eiusque statum pertinent. Hæ sunt Scientiæ Christi Domini nostri, euincentes omnes scientias nostras, Hominum æquè ac Angelorum, quarum exæquationem nullæ, nec simul omnes creaturæ assequi prævalent. Has Domi-

nu

nus à primo suæ conceptionis momento accepit: iuxta illud ipsiusmet de ipso Sapientiæ testimonium. *Dominus possedit me, in initio viarum suarum,* quibus in carne ad Homines venire dignatus est, *antequam quidquam faceret,* in negotio salutis humanæ, *à principio.* Prou. 8. 22.

Porrò ista quæ de tam multiplici, tamque perfectâ, & incomparabili Sapientiâ atque Scientiâ, Domini DEI & Saluatoris nostri adducta sunt, vtilem, & necessariam, summè ingerunt nobis, ingerere certè debent cogitationem, quin potiùs multiplicem animi eruditionem. Ad quid enim tanta Christo nostro Sapientia, & Scientia rerum omnium, & maximè humanarum? ad hoc vtique, vt sciant homines, quoniam homines sunt, & quoniam DEVS suus cognoscit eos, non secus vt aut REX subditos, aut Imperator milites, aut Pater filios, aut Magister discipulos, aut Pastor oues, aut Medicus infirmos, aut Tutor pupillos, aut Iudex reos, aut vindex damnatos, aut creditor debitores, aut Dominus seruos, aut Pater familias familiam, aut Agonotheta certatores, aut Coronator victores suos. Væ filijs desertorum, væ filijs Belial, quia illis nulla cum Christo conuentio alia, nisi quæ reproborum, & damnandorum est, cum vindice, & vltore. Væ illis, *qui dicunt Christo, recede à nobis, Scientiam viarum tuarum nolumus,* nolumus vt cognoscas nos. Etenim velint nolint incidunt in oculos scientiæ, & in manus vltionis eius, quoniam *impij in circuitu ambulant semper,* & dum eripiunt se de manibus regiminis & protectionis: deuoluunt sese in manus tremendi supplicij, & æternæ castigationis. Iob. 22. 17. Psal. 11. 9.

Christ⁹ propter omnes sapiẽtiæ, & sciẽtiæ DEI, thesauros, in se solo abscõditos excellẽtissim⁹.

Enimuerò beati, qui cum Sapientiâ Christi, imò Christo commorantur: Sapientia enim eius, *Doctrix est Disciplinæ* DEI, *& infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ* DEI, *propter disciplinæ illius, dona commendati. Neminem enim diligit* DEVS, *nisi eum qui cum Christo inhabitat, sicut etiam Generositatem Christi, & veritatis atq; Scientiæ legis eius, glorificat nemo nisi contubernium habens* Sap. 8. 9. Sap. 8. 3.

habens DEI: quocirca ipse loquitur, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me: & nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*
Ioan. 5. 20. *Pater enim diligit Filium*, & est *Dux eius ad omnes, & sapientium eius Emendator.*

Quare quicunque fideles, inuenimini in testamento Domini: state in scientiâ legum, atque viarum eius, & erit sanitas, & vita in ossibus vestris: & in nouissimo occurret
Coloss. 3. 4. Pax extremis vestris, cum scilicet *Christus apparuerit vita vestra: tunc enim & vos apparebitis cum ipso in gloriâ.* Et quid tam necessarium Christiano, quàm vt ibi sit, vbi est, & regnat Christus? quid tam formidandum Christiano, quàm nè illum in extremo abneget Christus, nesciat Christus, repellat, & coram Patre suo, illum confundat Christus?

EXCELLENTIA XII.

Solus Christus est, Electorum DEI, *& primus, & Caput.*

DVODECIMA Domini nostri IESV Christi Excellentia, super omnes Creaturas est, quia ipse est Electorum DEI omnium primus: & in ipso omnes reliquos Electos, prædestinatosque elegit DEVS, secundùm abundantes diuitias gratiæ suæ, & ipse est Electorum omnium Pater, & Caput, & omnia in ipso constant: sicut & in ipso con-
Coloss. 2. 16. dita sunt vniuersa. Quẽadmodũ hoc disertè Apostolus
Ephes. 1. 3. attestatur. Et ad Ephesios quidem loquitur hunc in modum. *Benedictus* DEVS, *& Pater Domini nostri* IESV *Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: vt essemus sancti & immaculati, in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per* IESVM *Christum, in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, & in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos, in Dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem*

sionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientiâ & prudentiâ, vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eos, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terrâ sunt, in ipso. Simillima his, & quædam etiam expressiora habet, idem Apostolus affirmatque de Christo, Colossensibus scribens, quos cum hortatus esset: *ad ambulandum dignè* DEO, *per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ* DEI, *in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius, in omni patientiâ & longanimitate cum gaudio, gratias agentes* DEO *Patri:* cum hæc inquam & optando, & exhortando præmisisset, mox eorum causam subinfert dicens. *Qui* DEVS *Pater, dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij Dilectionis suæ. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Qui est Imago* DEI *inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terrâ, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatûs, siue Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, qui est Principium: Primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum: pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Coloss. 1. 14

Coloss. 1. 12.

Hæc Apostoli verba, cum aliarum veritatum fidei Nostræ sunt prægnantissima, tum verò magnificũ permanent testimonium de hac, quam in præsenti tractatiâ: Christi Domini, super omnes creaturas excellentiam: nimirùm, quod ipse solus sit Primogenitus, atque etiam simul Vnigenitus DEI, etiam quatenus carnem nostra indutus: ad hoc à DEO Patre institutus, primusque omnium Electus, vt per eum, atq; post eum omnis

Excell. 12. reliquus Electorum DEI cætus, tanquam à capite membra, corporisque tota compages descenderet, quocirca Christus est Caput, fons, & princeps Electionis prædestinationisque nostræ ad salutem, & vitam æternam, ad cuius merita, & passionem, & in Cruce mortem, respiciens Pater, omnes ei Electos, prædestinatosque dedit in hæreditatem, in mercedem, in Corpus, & membra, in regnum, ipsiusmet sanguine, ac meritis, & morte reddens eos, sanctos & immaculatos. Ad huius Excellentiæ consortium, tam nulla est ex creaturis admissa, quàm nulla est admissa ad consortium Vnionis Hypostaticæ cum Verbo, & Filio DEI Vnigenito, atque consubstantiali Patri, aut ad hoc vt esset Filius Dilectionis Paternæ. Ratione cuius, in ipso, & per ipsum condita sunt vniuersa, & omnia constant in eo. Et ipse est ante omnes, ipse Caput Corporis Ecclesiæ vniuersæ; Principium, & primogenitus, & in omnibus primatum tenens, tanquam omnia pacificans per sanguinem Crucis suæ, tam quæ in terris, quàm quæ in cælis sunt.

Propter hæc: libet, necessarium, atque iustissimum est, exclamare cum Apostolo, ad DEVM Patrem æternum, affectu confitentis, exultantis, gratiasque agentis animæ, simulque omnis creaturæ rationalis Nomine. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui secundùm incomprehensibilem charitatem voluntatis suæ, Vnigenitum Filium suum, sibi consubstantialem; ab æterno decreuit, mittere in mundum: & facere eum sibi ex semine Dauid, facere ex muliere, DEVM-Hominem, Verbum carnem. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui hunc Vnigenitum Filium suum, dedit Primogenitum omnis creaturæ, & elegit eum in Principale, atque Vniuersale, & vnicum instrumentum omnis gloriæ, omnis voluntatis, omnis propositi sui. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, quem fecit esse ante omnia, & per quem fecit omnia, & quem elegit ante omnia, & in quo

elegit

elegit omnes Electos, vt ille esset Primus Electorum suorum, & Caput Electionis, atque Prædestinationis omnium, quotquot præordinati sunt ad vitam æternam. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui nos dedit eidem Filio suo, & eundem Filium suum nobis donauit: vt ipse sit in omnibus Primatum tenens, & Pater omnium, qui per ipsum accedunt ad partem hæreditatis gloriæ DEI. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui est nobis Principium & Finis, Alpha & Omega, liber vitæ, signatus sigillis septem, idemque Agnus DEI, solus dignus, solus potens, soluere signacula eius. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, per quem fecit & sæcula, & reconciliauit nobis semetipsum, regenerauitq; nos in spem viuam, vt ipse esset Pax nostra, & Princeps Pacis, tam in cælestibus, quàm in terrestribus: caputque Corporis sui, quod est Ecclesia. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos, in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem: vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. DEO per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, in omni virtute confortati, secundùm potentiam claritatis eius.

Christus titulo Capitis, & primi Electorum, excellentissimus.

Justum etiam ac necessarium est, nos Domino nostro IESV Christo tum gratulari, tum gratias agere ex vniuersis nostrarum Animarum, cordiumque viscerib⁹. Gratulari quidem, quia DEO Patri complacuit in ipso, tanquam Filio Dilectionis suæ: Filio à sæculis Vnigenito, Filio verbo virtutis suæ: Gratulari quoque, quia ipsi DEVS Pater, omnia dedit in manus: & constituit eum hæredem, omnis hæreditatis ac familiæ suæ, & in meritis humilitatis, ac obedientiæ illius, inuenit omnium nostrûm gratiam & merita, salutem & vitam æternam, vniuersamque viam Misericordiæ, & Charita-

Eccli. 12. tis, & Gloriæ suæ. Gratulari etiam, quia ipse est Imago DEI inuisibilis, & figura substantiæ illius, splendor quoque claritatis eius, per quem & omnia facta sunt: & quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Gratulari deniqúe eidem, quia in ipso proposuit Pater, in dispositione plenitudinis suæ, temporumque educendorum, instaurare vniuersa, & sanctificare pacificareque per sanguinem Crucis, atque mortis eius, tam ea quæ in terris, quàm ea quæ in cælis sunt.

Gratias verò agere conuenit nos, Domino nostro JESV Christo: quia ille cum esset in Formâ DEI, & verus consubstantialis, æqualisque Filius: naturâ & hæreditate omnium Dominus, & ex omnibus liber: fecit se tamen seruum voluntatis Paternæ, per omnia subiectum, statuens legem eius in medio cordis sui, & obediens ei vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Conuenit etiam gratias illi agere nos, quia absque vllâ necessitate suâ, cum esset apud Patrem in gloriâ substantiæ illius: respexit tamen miseriam nostram, & inclinauit ad nos vsque Misericordiam suam: & descripsit nos in libro vitæ apud Patrem, destinauitque nos ad consortium gratiæ filiationis, cohæreditatisque suæ in cælestibus. Conuenit etiam Gratias agere, Domino nostro IESV Christo, quia cùm posset ipse solus esse, apud Patrem suum æternum in Gloriâ: nullius indigens consortio, aut communione creaturæ: solus Electus, solus prædestinatus, solus consummatus in gloriâ: Noluit tamen esse solus, sed elegit, voluitque esse Pater Electionis, ac Dilectionis etiam nostræ: elegit esse primogenitus etiam mortuorum, quamuis solus inter mortuos liber, elegit esse DEVS, DEVS noster: DEVS potens ad saluandum, & DEVS Saluator, DEVS sciens atque consummans, solus redemptionem.

Post hæc omnia, dignum, necessarium, iustumque est, nos, quotquot per electionem, prædestinationemque Patris æterni, secundùm fidem in Christum, confidimus,

dimus, annumerati esse in sortem Hæreditatis eius: vt secundùm propositum voluntatis, tam Paternæ, quàm Filialis, efficiamur sancti, & immaculati in Charitate, in omni opere bono crescamus, & fructificemus, in omni quoque virtute confortemur, vsque ad consummationem sortis Sanctorum in nobis, per Filium eius dilectum, qui est benedictus in sæcula. Dignum quoque ac necessarium est, vt conformemur Christo per omnia, secundùm formam & similitudinem exempli vitæ eius, donec ille formetur in omnibus nobis, & crescat in mensuram ætatis plenitudinis perfectionis, consummationisque suæ.

Christus titulo Capitis, & primi Electorum, excellentissimus.

Alioqui nulla nobis est pars in Christo IESV, nullus fructus in fide eius, imò & nulla reuera fides in professione eius, si verbis quidem confiteamur, nosse DEVM, & quem misit ille IESVM Christum, factis autem abnegemus eum: neque exhibeamus fidem, quæ per dilectionem operatur. Talis enim fides, infidelitati æquiparatur: imò & infidelitate deterior est, quoniam melius erat ad agnitionem veritatis non venire, quàm post agnitionem iustitiæ & veritatis, ad iniquitatem retrò conuerti. Quare si reuera credimus in Filium DEI atque si reuera fundati atque radicati sumus, & esse volumus in iudicio eius, manifestemus per opera nostra in Christo, fidem nostram in Christum: non diligentes, neque credentes, verbo, tantùm & linguâ, sed etiam opere & veritate, tales enim quærit Christus fideles, tales & Pater eius adoratores.

EXCELLENTIA XIII.

Solus Christus est, Humani Generis Saluator.

DECIMATERTIA Domini Nostri IESV Christi, super omnes Creaturas Excellentia est, quia in solius *Christi* *Act. 3. 16.*

Excell. 13. *Sti Nominis fide est*, salus omnium, & vita æterna: &
Act. 4. 12. *non est in vllo alio salus, præterquam in ipso, neq; est aliud sub sole Nomen, in quo oporteat nos saluari:* breuiter; Solus Iesvs Christus est verus, proprius, summus, absolutusque Saluator, quo sine, & saluat, & saluatur nemo, verâ, propriâ, & plenâ salute.

Hoc vt intelligatur benè, æstimeturque condignè, à Nobis præsertim, qui Iesvm Saluatorem habemus, necesse est enarrare, quid & quæ sit ista Salus nobis, per Christum Iesvm parta, & pro quâ datum est ei Nomen, quod est super omne Nomen, quod est Iesvs, & in quo solo est Salus.

Salus ergo & si latè & variè in hoc suo Nomine pateat: tamen in fide tantùm Christianâ de eâ loquendo, Salus proprijssimè dicitur, obtentio beatitudinis ac vitæ æternæ: euasio verò amissionis illius, & æternæ perditionis. Salus ita explicata, licet, contineat in se beatitudinem, cuius est possessio, siue obtentio, differt tamen ab eâ in hoc, quia beatitudo obtineri potest etiam ab eo, qui eam amittere nunquam potuit, neque est capax amissionis eius, sed est Naturâ & Essentiâ suâ beatus, atque adeò etiam ipsa Beatitudo, quomodo Devs beatus est, & solus quidem, qui cum sit (vt dixi) necessariò & essentialiter beatus, nunquam eâ carere potuit: & ideò etiam neque salute, neque Saluatore eguit, aut egere potuit. At verò salus competit ijs, qui capaces vel erant, vel sunt amissionis vitæ & beatitudinis, reatûs verò perditionis æternæ, talibus enim propriè competit salus, & saluari: idque vno ex his modis; Primò ita, vt beatitudinem æternam, non permittatur, quis amittere suâ vel alienâ culpâ: sed potiùs detur illi eam assequi, efficaciter etiam cum proprio merito, atque talis est Angelorum Sanctorum salus, & ad beatitudinem æternam peruentio. Secundò ita; vt collatum sibi habitumque ius aliquod ad beatudinem, quispiam illud non conseruet, sed potiùs malitiâ suâ sponte deperdat,

& se

& se in perditionis æternæ reatum, pænamque deuoluat; & ita deuoluat, vt impossibile sit ei omnibus creatis suis, alienisuè, viribus, ius perditum recuperare, & ad beatitudinem peruenire, ex æternoque exilio seseliberare, per alienam tamen (puta Diuinam) gratiam, misericordiamque, in hoc adeò desperato, & collapso rerum suarum statu subleuetur, atque in integrum restituatur, & erutus ab æternâ perditione, ad beatitudinem æternam deducatur. Atque talis est humani generis Salus, cui procurandæ, à DEO Patre, per gratuitissimam misericordiam suam, absque vllo hominum merito, imò & cum summo & insolubili eorum demerito, datus est Dominus noster IESVS Christus, attestante Apostolo. *Commendat autem charitatem suam DEVS in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab irâ per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filij eius, multò magis reconciliati, salui erimus in vitâ ipsius.* Ita nimirum, *vbi abundauit delictum, superabundauit gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per IESVM Christum Dominum nostrum.* Propter quod competit ei nomen Saluatoris, nomen scilicet IESVS, ad quod nulla creatura est idonea, solus autem Christus idoneus est.

Christo Saluatoris nomine, excellentissimus.

Rom. 5. 8.

Ibid. ℣. 20.

In hoc verò Saluationis seu salutis, quam per Christum habemus beneficio, ista sicut maxima sunt, ita & maximè contuenda, atque æstimanda veniunt. Primò: ipsa res & substantia salutis & saluationis, quæ est vita æterna & Beatitudo: aliâs autem, Possessio DEI summi boni, & finis vltimi, quæ res adeò summa, & supra omnia bona est, vt cum eâ nulla reliqua bona in comparationem venire sint apta. Secundò: Huius salutis, siue beatitudinis, DEIque possessionis amissio æterna; quâ nihil potest esse, cogitarique damnosiùs & calamitosiùs. Tertiò: Reatus & debitum æternæ damnatio-

Excell. 13. mnationis, damno supradicto accedens, eidemq; mortem æternam, & perennem in supplicijs sempiternis perdurationem superaddens, quisquis enim suâ culpâ vitam & beatitudinem æternam amittit, non eam solùm amittit, sed insuper æternam in supplicijs ardoribusque sempiternis vitam, seu potiùs mortem acquirit. Quartò: Impossibilitas creaturis vllis viribus euadendi siue ad vitam, siue ex morte æternâ. Quintò: Inimicitia cum DEO contracta, nullis modis creatis reconciliabilis: contracta enim erat per offensam, iniuriam, contemptumque DEI, à nobis incompensabilem, & ideò cogebat DEVM ad odium nostrî implacabile, & ad derelictionem nostrî, obliuionemque, ac sepulturam in æterno furore suo, exitio nostro.

Omitto hic enarrare Supremam Dignitatem, Maiestatemq; DEI, cuius offensio à nobis, enormissimè fuerit infinita. Omitto vilissimam indignitatem, hominum offendentium. Omitto conditionem inexplebilis seruitutis, subiectionis, obedientiæque omnimodæ, ob creationem, conseruationemq; DEO debitæ. Omitto inutilitatem hominum, cui enim bono, aut vsui homunciones vilitate ipsa viliores, DEO summo, & summè Bono, atque Perfecto? Omitto eorundem cæcissimam malitiam, quâ illi diabolum, eiusque mendacissimas suggestiones prætulerint DEO, eiusque iustissimæ voluntati ac præcepto. Omitto desperatissimam, ac nullis nequidem æternis luctibus, planctibusque eluendam perditionem, perditionisque causam; hæc, similiaque omitto. Addo suprà dictis, Sextùm: quod est Misericordia DEI, atque dignantissima cordis eius, ad opem ferendam hominibus, in tam perditâ causâ inclinatio. Addo Septimum: quod est, Misericordia talis; id est, tale bonum hominibus conferens, quale bonum est Vnigenitus DEI, consubstantialis Patri, collatus in salutem hominum: addo & Octauum: quod est, Modus ineffabilis, atque incomprehensibilis, quo idipsum Vnigeniti

DEI

DEI beneficium, reipsa in effectum deductum, atque hominibus impensum, & applicatum est. Hoc est: Modus quo iste ipse Vnigenitus DEI Salutem nostram, quam curandam susceperat, operatus est, quantos sumptus in eam rem profudit. Non insipiens vtique Negotiator, sed ipsa Æterna Sapientia DEI, DEVS de DEO: qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis, atque de sinu Patris, & incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine, ET HOMO FACTVS EST. Crucifixus insuper etiam pro nobis, Passus, Mortuus, Sepultus est, & vsque ad inferna descendit, Resurrexit demùm ex mortuis, nostramque mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, tandem ad cælos ascendens, sedit ad dexteram Patris, & nos in se atque secum consedere fecit in cælestibus

Christi Saluatoris nomine, excellentissimus.

Atque hæc est benedicta Salus nostra, quam nobis Dominus noster operatus est, propterea que Nomen JESVS, Nomen inquam Saluatoris hæreditauit. Hæc est salus vera, cui nulla succedit perditio, nulla insidiatur mors, nulla ægritudo, vel miseria immiscetur. Hæc est salus summa, plena, & perfecta. Solius DEI-Hominis Virtute, Sapientiâ, Potentiâ, Charitate, Maiestate digna. Hæc est Salus, quæ saluat Animam à peccatis, corpus à corruptione, vitam à morte, totum Hominem à perditione, restituit innocentiæ, reparat ad integritatem, inserit immortalitati, consecrat beatitudini, absorbet in Æternitate, consummat in securâ DEI possessione. Hæc est salus, quæ naturam superat, gratiam complet, gloriam perficit, merita remunerat, excedit vota, abolet omnem miseriam, inundat omnem felicitatem, donat DEVM in Hereditatem, & omnia claudit æternitate.

O Salus, quàm verè salus, quàm magna, quàm inæstimabilis es, quàm in cor hominis non ascendis? O Salus, quanti constas Saluatori & Domino DEO nostro?

Excell. 13. O salus, quomodo in acquisitionem tui, profusi sunt non argentei montes, non infinita auri talenta, non gemmarum congeries immensa, non opobalsamei Oceani, non vlla corruptibilia pretiosa, sed qui his omnibus solus, imò gutta eius vnica sola, pretiosior est Sanguis IESV Christi, quasi Agni immaculati, quasi Verbi Incarnati, quasi Vnigeniti DEI. Propter te, & pro te ô salus hominum, DEVS creator hominum, DEVS Dominus & possessor absolutus hominum, DEVS nullo modo indigus Hominum, DEVS infinitis, infinities violatur, & læsus iniurijs, rebellionibus, contemptibus hominum, DEVS indignissimorum, iniquissimorum, ingratissimorum misertus hominum, factus est vnus de filijs hominum, factus abiectio plebis, & opprobrium hominum, factus vermis, & quasi nullus, aut nouissimus hominum, factus est aspectu, conuictu, nomine indignus hominum, vt æternæ perditioni eximeret, æternæ beatitudini salutique assereret genus hominum.

O salus hominum, tibi vt impenderet se DEVS, Verbum de cælo descendit, VERBVM CARO FACTVM EST. DEVS Homo, quasi colonus interris visus, & cum hominibus conuersatus est, nullâ humanâ felicitate conspicuus, nullâ humanâ gloriâ admirandus, nullo mundi splendore illustris vixit, infrà mendiculos, infrà cæli volucres, infrà terræ vulpeculas paupertatem, nuditatemque assectatus est. Impendit Deitatem, impendit Humanitatem, impendit Animam, impendit Corpus, impendit Personam, impendit sanguinem, impendit vitam, impendit laborem, impendit fatigationem, impendit honorem, impendit virtutem, impendit dignitatem, impendit Sanctitatem, impendit Innocentiam, impendit Potentiam, impendit Charitatem, impendit merita, impendit libertatem, denique omnem quantam quantam habuit Theandricam suam substantiam, propter te ô salus hominum, pro te, pro tui acquisitione, & reparatione, & recuperatione, & auctione, & plenitudine, & æternitate, ô salus hominum.

Ad

Ad hæc autem omnia, quid tu, aut quomodo tu reſpondes, reponisque Saluatori tuo, ô Genus hominum? Non ad te mihi ſermo, (quamquam & ad te, ſed gratis ad te) totum genus hominum: & ſi enim etiam pro vniuerſo te à Saluatore, omnium hominum IESV ſalus quæſita, & acquiſita, & quantum ex ipſo tibi quoque vniuerſim parata eſt, ſed quia non eſt tibi pars in cognitione, receptione, & fide, & amore, ac lege IESV Chriſti, ideò etiam non eſt pars tibi in vnione, in meritis, in ſalute, & hereditate IESV Chriſti. Ad te mihi ſermo, ô plebs fidelis, & credens in Chriſtum: ad te congregatio fidelium, populus ſciens & confitens Charitatem IESV Chriſti, miſericordiam Saluatoris, Sapientiam Paſſionis eius, & Crucis, atque mortis eius, virtutem & efficaciam Incarnationis, & laborum, & meritorum, & donorum, & præceptorum, & Sacramentorum, & demùm vniuerſæ profuſionis Filij DEI, in ſaluationem tui. Ad te mihi ſermo, ô Chriſtiana congregatio vniuerſa: quid retribuis DEO Saluatori tuo, in quem credis, in quem ſperas, quem veneraris, quem confiteris, quem laudas, quem ſcilicet etiam diligis? cuius notitiam, doctrinam, gloriam, zelas, cuius exemplis & legibus erudiris, cuius corpore & ſanguine paſceris, cuius meritis ab omni peccato mundaris, cuius gratiâ & miſericordijs ſaluaris?

Chriſto Saluatoris nomine, excellentiſſimus.

Agedum quid reddis Saluatori tuo? Populo Chriſtiane, quid retribuis tuo IESV Chriſto pro omnibus his, quæ ſcis, quæ credis, quæ prædicas, tibi exhibita, & retributa eſſe ab ipſo? Ah quantula eſt ex vniuerſo genere hominum, pars Chriſtianorum hominum? Ah quantula eſt ex vniuerſo cetu Chriſtianorum, verè Chriſtianorum, & nomini Chriſtiano reſpondentium? *Quis cæcus*, (aiebat olim DEVS per Prophetam ad populum ſuum,) *niſi ſeruus meus? & quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi?* Hodie autem Saluator noſter, ſic de fideli populo ſuo queri, ex veritate cogitur. Quis cæcus, niſi

Iſa. 42. 19.

Excell. 13. populus meus Christianus? aut quis surdus, nisi ad quos saluandos ipse descendi, nisi quibus totam substantiam Jncarnationis meæ tradidi, nisi quos de lege meâ, de fide meâ, de gratiâ meâ, præ omnibus terræ nationibus erudiui? Si appenderentur peccata omnium infidelium, & peccata fidelium in staterâ, sine dubio quasi arena maris, ista, præ illis, grauiora apparerent, grauiora dico: & si non multitudine ac numero, quanquam & de hoc addubitari possit: sed enormitate, sed malitiæ exaggeratione, sed ipsius fidei lumine atque veritate, tum conscientiæ obluctatione, atque oblatratione exacerbata, sed excusatione ignorantiæ destituta, sed eo ipso quia fidelium, quia DEVM, & legem, & pœnas, & præmia scientium.

Et miramur quod populus Domini, populus inquam Christianus, vix vnquam siue priuatim, siue publicè respiret à plagis furoris Domini, vtinam verò magis miremur, & cum fructuosâ morum nostrorum emendatione ad DEVM conuertamur, atque humiliemur! At nos potiùs duramur flagellis, & correptionem Domini, reprobantes, etiam peiores reddimur, & talia patramus, qualia reperias nec inter gentes quidem. Superbia nostra ascendit semper, auaritia nostra, & terrenorum cupido insatiabilis, ascendit semper, ambitio ascendit semper, gula, ebrietas, comessationum luxus, ascendit semper, turpitudo & fœditas luxuriæ, ascendit semper. Jræ, odia, inimicitiæ, cædes, homicidia, sanguinis humani effusio, ascendit semper. Inuidia, æmulatio, & dolor de bono proximi, exultatio de malis alienis ascendit semper. Iniustitia, pauperum oppressio, deprædatio, deuoratio, iniquitas iudiciorum, ascendit semper. Proditio, fraus, perfidia, periurium, tam priuatorum, quam ipsorum populorum, atque regnorum ascendit semper. Contemptus DEI, Religionis Ecclesiæ, fidei, Sacrarum, tam rerum, quàm personarum, Diuini cultûs & gloriæ. Salutis animarum, & æternitatis obliuio

ascen-

ascendit semper. Deniqúe (nam quis enumeret omnia) Atheismus, politheismus, idololatria, id est, Statistatum dementissima impietas, ascendit semper, & hoc inter Christianos.

Christo Saluatoris nomine, excellentissimus.

Et *quis est in vobis*, ô Christiani, *qui audiat hoc, attendat, & auscultet futura?* Vnde &, *quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus? Nonnè Dominus ipse, quia peccauimus ei? Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius, & effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu: & non cognouit, & succendit eum, & non intellexit.* At ista prosequi, nec locus, neque animus in præsenti est. *Isa. 42. 23.*

Vos Christiani sentite, aliquando tandem secundùm spem vocationis vestræ, quod votum Apostoli est; Saluatorem vestrum IESVM DEI Filium, dignis eius munere honoribus, & laudibus colite: dignis eius in vos Charitate amoribus æstimate, dignis eius Sanctitate virtutum imaginibus referte. Diligite salutem, salutem æternam, salutem omni salute, omni felicitate, omni beatitudine, omnibus bonis DEI, ipso demùm DEO, eiusque possessione perpetuâ plenam, diuitem, redundantem. Diligite salutem, quam à vobis amissam, & desperatè perditam, & nullâ creatâ industriâ recuperabilem, solus IESVS Christus potuit, solus voluit, solus quæsiuit, solus inuenit, solus restituit, solus dedit. Et quid dignius amabit Christianus, quàm, aut Saluatorem Christum IESVM: aut Salutem, in cuius pretium impendit sese totum Saluator noster Christus IESVS? Finem faciat Apostolus, & dicat Christianis, eosque obstringat: *Si quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum, sit anathema, Maran Atha:* veniat Dominus Iudex, vt eum qui Christum IESVM non amat, anathemate feriat, damnet, & puniat. *1. Cor. 16. 22.*

EXCELLENTIA XIV.

Solus Christus est, Redemptor Generis Humani.

DECIMAQVARTA Domini Nostri IESV Christi Excellentia, super omnes Creaturas est, quia solus est, & solus esse potuit generis humani Redemptor. De hac Domini nostri Excellentiâ, actum videri potest satis suprà, tum in Excellentiâ 4. tum etiam in proximâ Excellentiâ 13. Saluatorem enim ac Redemptorem esse, in Christo præsertim, coincidere videntur: nihilominus hoc loco de Excellentiâ Redemptionis seu Redemptoris, est aliquid, quod præter in superioribus dicta, afferatur: & hæc in Domino IESV Christo Excellentia Redemptoris, peculiaris esse adstruatur. Dominus ergo Noster IESVS Christus, Redemptor noster est per singularem in hoc officij munere, illiusque executionis excellentiam. Ita & hoc sit proprium eius: & nemini cum eo commune, & quidem non solùm quâ DEVS est, sed etiam quâ Homo est.

Hanc Redemptoris prærogatiuam, & Redemptionis beneficentiam, in Domino nostro IESV Christo, frequenter nobis Diuina Scriptura inculcat, eiusque magnitudinem commendat. Dauidi Prophetæ hæc res frequens in ore, & laude. *Redemptionem misit populo suo*, Dominus, & *Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in Misericordiâ & miserationibus.* Et, *Copiosa apud DEVM redemptio, & ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.* Isaiæ ore loquitur Dominus. *Dies vltionis*, (hostium) *in corde meo: annus Redemptionis*, (ciuium, ouium, hominum,) *meæ venit.* Et, *Scies quia ego Dominus saluans te, & Redemptor tuus fortis Iacob. Non audietur vltrà iniquitas*

Psal. 110. 9. *Psal. 102. 1.* *Psal. 129. 7.* *Isaiæ 63. 4.* *Isa. 60. 16. & 18.*

tas in terrâ tuâ, & occupabit salus muros tuos. Beatus quoque Iob, *Scio* (inquit) *quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terrâ surrecturus sum.* Iam verò Dominus ipse Noster de seipso id ipsum attestatus est. *Filius hominis* (ait) *non venit ministrari, sed ministrare, & dare Animam suam redemptionem pro multis.* Id ipsum laudans concinit Zacharias, Pater Ioannis Baptistæ, dicens. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Porrò Paulus Apostolus est, in eâ re frequens, Nunc enim hortatur nos, vt *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, abnegemus omnem impietatem, & secularia desideria.* Nunc autem iubet, vt *benedicamus Deum, qui gratificauit nos in Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ eius.* Quod ipsum ijsdem ferè verbis ad Colossenses scribens, repetit: Sed & Petrus Apostolus grauissimè hortatus, cum esset fideles, vt *in timore, incolatus sui tempore conuersentur*, addit: *Scientes quod non corruptibilibus, auro, vel argento redempti sint, de vanâ suâ conuersatione paternæ beatitudinis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* Denique Sanctorum in cælo canticum nouum, referente Ioanne, istud est: *Dignus es Domine accipere Librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es: & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & linguâ.* Sic ergo passim Sacra Scriptura nobis Dominum Iesvm, & Redemptorem, & Redemptionis beneficij collatorem commendat, ostenditque proprium, & munus, & opus, & beneficium, & Nomen Redemptoris, ac Redemptionis esse Christi; perinde ac proprium eius est incarnari, hominem esse, pati, in Cruce mori. Quamuis enim Pater, seu tota Sanctissima Trinitas, sicut Incarnationem Verbi ordinauit, & operata est, ita etiam in Devm-Hominem, seu Christum, deposuit humanam & vitam, & san-

Iob. 19, 28. *Matt. 29. 28.* *Luc. 1. 18.* *Tit. 2. 13.* *Eph. 1. 6.* *1. Pet. 1. 17.* *Apoc. 5. 9.*

Excell. 14. & sanguinem, atque adeò totum pretium, quo nos posset redimere: quin etiam, eadem Sanctissima Trinitas inspirauit voluntatem, vel, vt ipse Christus Dominus loquitur, mandatum dedit, moriendi pro nobis, in eodemque opere illi cooperata est, ita vt propterea opus nostræ Redemptionis attribui possit, debeatque toti Sanctissimæ Trinitati, tanquam causæ primæ, & remotæ; nihilominùs, solus Christus immediatè soluit pretium, solus vitam suam, & sanguinem obtulit pro nobis, & ipsimet proprium est *dare* ac dedisse: *Animam suam redemptionem pro multis.* Atque ideò proprium est Domini nostri IESV Christi esse Redemptorem, & fecisse Redemptionem hominum, quoniam ipse *factus est nobis Sapientia à DEO, & Iustitia, & Sanctificatio, & Redemptio*, & quoniam ad ipsum solum pertinet, tam actus persolutionis, quàm pretium ipsum persolutum in redemptionem nostram, pertinet verò in quantùm est Homo, sicut ad hominem pertinet, sanguinem, & vitam habere, eandemque profundere, & mori.

Mar. 10.45.

1. Cor. 1.30.

Hæc quæ iam dicta sunt, ostendunt nobis Dominum nostrum IESVM Christum Redemptorem esse, & nostrum esse, & solum esse; ostendunt etiam pretium, ab hoc Redemptore pro nobis persolutum, quia scilicet non aurum, aut argentum, aut aliquid huiusmodi, quod mundi iudicio pretiosum esset, dedit, sed id quod omnium maximum, pretiosissimum, ac æstimationis valorisque infiniti est, sanguinem scilicet suum, vitamque suam, ac Animam, ac deniique seipsum totum pro nobis impendit. Operæ pretium est adhuc exponere, quod sit malum quod periculum, quæ perditio ex quâ ab isto nostro Redemptore, redempti sumus. Non enim leue aliquod fuit, pro quo exsoluendo, tam inæstimabili pretio opus fuit, & à quo persoluendo negotiator, neque insipiens, quia Sapientia ipsa, neque egenus, quia Diuinitas Incarnata, minimè tamen abhorruit, sed potiùs liberalissimè illud profudit.

Aduer-

Aduertendum ergo est, quod Redimi propriè competat ijs, qui sunt serui, captiui, venundati, in alienamque potestatem redacti: quorum ea sit conditio, vt secundùm alienam voluntatem, & agant, & patiantur, siue quod volunt, siue quod nolunt, neque possint vti semetipsis prout volunt, quod liberorum est. *Christus Redẽptoris officio, excellẽtissimus.*

Aduerti etiam potest discrimen inter redimere, atque emere. Redimere enim dicimur, id quod antea possederamus, sed casu aliquo amiseramus, ac iterum dato pretio recuperamus. Emere autem dicimur, id quod nunquam nostrum fuit, sed eius dato pretio dominium acquirimus. Sed de hoc inferiùs aliquid videbimus, nunc ad priorem redimendi rationem attendimus.

Homo per peccatum duplicem contraxerat seruitutem, siue captiuitatem. Primam peccati, quod commisit, dixit enim Dominus IESVS, *Amen, amen, dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati:* & Apostolus Domini PAVLVS ait: *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.* Obediuit autem homo peccato, imò victus est abeo, & à peccati Patre diabolo, propterea iuxta S. PETRI edictum: *à quo quis superatus est, huius & seruus est;* atque ita homo propter peccatum commissum, factus est seruus tum peccati, quo victus est, tum diaboli, à quo in peccatum inductus est, peccatum enim erat veluti laqueus, autgladius diaboli, quo homo & captus, & vulneratus lethaliter, in seruitutemque addictus est. Secundam seruitutem contraxerat homo per peccatum; Pœnæ nimirùm, quam propter commissum peccatum debebat homo DEO, & ipsius Iustitiæ. Et hoc enim debitum supplicij atque pœnæ, seruitus est, & grauis quidem; quia per eam homo debet, cogiturque pati, pœnam: non iuxtà suum, sed potiùs contrà suum, iuxtà verò alienum arbitrium. Hæc verò pœna, siue seruitus *Ioan. 8. 34.* *Rom. 6. 16.* *2. Pet. 2. 19.*

Rom. 5. 23. tus pænæ, est pænæ mortis. *Stipendia enim peccati mors*, & mors non tantùm temporalis, & corporalis, quàm etiam homo per peccatum incurrit cum omnibus mortalitatis ærumnis, ac miserijs: sed etiam mors animæ, etiam mors damnationis æternæ, quæ dicitur mors secunda, & in æternùm dominans.

Excell. 14.

Præter hæc autem insuper venundatione, homo seruus fuit factus: Vendiderat enim se homo, tum peccato, & eius concupiscentiæ, tum diabolo, & eius voluntati, atque potestati, tum morti eiusque irrefragabili necessitati. Hanc venundationem, seu venditionem sæpè exprobrat peccatori Sacra Scriptura: *Venundatus es, vt faciat malum in conspectu Domini.* Hanc eandem peccatorum venditionem suæ Iustitiæ, atque vindictæ in eos attribuit DEVS, vt cùm ait. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis;* Hac venditione, siue quâ homo se ipsum vendit, siue quâ venditur à DEO in seruum: alienatur homo à DEO, & ab eius veluti possessione, & transit in alienam potestatem, seruitutemque peccati, diaboli, mortis seu pænæ. Non ita quidem, quasi homo, peccator quantus quantus, exuat Dominium, & potestatem DEI, cum impossibile sit eum non esse, iuris & Dominij absoluti Diuini, quam diù creatura est; sed quia peccator, ob peccatum desinit esse vnitus DEO, & amicus, amatorque DEI, & amatus à DEO per charitatem: recessit enim à DEO, & ab eius obedientiâ, atque seruitute, abijt autem voluntate suâ prauâ, & DEO iniuriosâ, atque rebelli, ad seruitutem, simulque potestatem diaboli, & peccati, & mortis, DEO id iustè permittente in hominem, vt qui noluit seruire legitimo, & naturali, & optimo Domino, scilicet DEO: seruiat crudeli, iniusto, & impio, tyranno: nempè diabolo. In quâ ipsâ suâ pænâ homo peccator, subiectus, & obligatus est, plenè, & principaliter, & dominatiuè, DEO, tanquam summo & absoluto Iudici, diabolo autem, tanquam tortori & exactori, iuxta illud:

3. Reg. 21. 25.

Isa. 50. 1.

Iratus

Iratus Dominus eius, (serui nequàm, & debitoris) *tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum*, itemque iuxta illud. *Da operam liberari ab illo* (*aduersario tuo*) *ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Matt. 18. 34.

Luc. 12. 58. Christus Redemptoris officio, excellentissimus.

Ab hac totâ conditione seruitutis suæ, plusquam cogitari potest miserandæ, atque execrandæ: impossibile fuit hominem vllis suis, aut vllius, etiam simul omnis, creaturæ viribus, meritis, pretijs, satisfactionibusque redimi, prout superiùs non semel affirmatum est: Sed solus, & vnus inuentus est Dominus noster IESVS Christus, qui & potuit, & voluit, & Patri per eum complacuit redimere nos. Redemit ergo. Oh, quis? quis? quanto? vnde? Quis! DEVS-Homo, ad cuius magnitudinem addi nihil potest, quos? Homines nos vilitate viliores, nequitiâ nequiores, ingratitudine ingratiores, inutilitate inutiliores, quanto? potuit quidem redimere minimo, quia opus eius minimum, pretiosiùs fuit omni nostro debito, sed qui potuit redimere nos minimo, elegit redimere maximo, & qui potuit guttâ, maluit toto Oceano, redemit sanguine, redemit vitâ, seu morte, redemit honore, redemit charitate, redemit totâ suâ & Deitate & Humanitate. Vnde redemit, siue à quo malo, à quâ miseriâ, à quâ perditione? Redemit à seruitute diaboli, peccati, mortis. Ah! quàm crudeles, quàm iniqui, quàm indigni tyranni isti, quàm abiecta, quàm dura, quàm præpostera, quàm ineluctabilis seruitus ista? Nihil peccato viliùs, nihil nocentiùs, nihil fœdiùs, nihil iniquiùs, nihil detestabiliùs: Non ei sufficit ipsa æternitas suppliciorum, sed solus filij DEI sanguis illi expiando, abolendo, corrigendo, suffecit. Quid diabolo indigniùs, execrabiliùs, malitiosiùs, immaniùs? eius rabiem soliùs DEI-Hominis mansuetudo, solius eiusdem Patientia, solius eiusdem humilitas, solius eiusdem obedientia, euincere, & destruere potuit.

Jam verò Morte, præsertim æternâ, quid acerbius,

Excell. 14. quid tristius, quid amarius, quid ineuitabilius, inuincibiliúsque? Istam, sola Diuina vita morte suâ vincere, & partim in somnum, partim in vitam immortalem commutare prævaluit. Istis tamen dominis, potiùs sæuissimis ac iniquissimis tyrannis, Homo vesanus, & excors sese subdere, & in seruum æternum venundare non dubitauit; oblitus Creatoris, Domini, Patris, Regis, Benefactoris, & Summi, Omnisque Boni sui.

Sed DEVS recordatus est misericordiæ suæ, & miserationum suarum, quæ à sæculo sunt: Filium suum in
Rom. 8. 3. mundum *mittens redemptionem populo suo, in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnans, ac destruens peccatum, necnon adducens Iustitiam sempiternam.* Per hunc eundem
Dom. 9. 24. Filium suum, *fortem illum armatum diabolum, qui in pace*
Luc. 11. 21. totum mundum genusque humanum, *possidebat: fortio-*
Col. 2. 15. *re* Domino nostro IESV Christo *superueniente, vicit, & vniuersa arma eius in quibus confidebat, abstulit, & spolia eius*
Psal. 67. 19. *distribuit.* Qui etiam *exspolians principatus, & potestates*
Ephes. 4. 8. *tenebrarum harum, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipsò:* demumque *ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.* Ad extremum nouissimam, inimicam debellauit, & destruxit moriendo mortem nostram: resurgendo autem reparauit vitam nostram, cumulatissimè adimplens illud, quod per suum prophetam, morti comminatus fuerat, nobis-
Ose. 13. 14. que populo suo promiserat dicens. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors.*
Tit. 2. 12. *morsus tuus ero Inferne,* propter quod indubitanter *expe-*
1 Cor. 15. 57. *ctamus beatam illam spem:* quia *cum mortale hoc induerit*
Ose. 13. 14. *immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriâ, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?*

Sic Dominus IESVS Christus, & à morte, & à dia-
1. Ioan. 3. 8 bolo, & à peccato redemit nos, *dissoluit opera diaboli, &*
Isa. 39. 25. *abstulit à forti captiuitatem, & quod eripuit à robusto saluauit.* Sciat ergo omnis Caro, quia ipse est Dominus saluans

uans nos, & Redemptor noſter fortis, & nos ſumus fructus Magnifici cordis eius, & præda victoriæ illius, & merces redemptionis eius. Ille ſaluauit nos abundanter, & copioſa apud eum redemptio. Quomodo ſi quis debitum habens paucorum nummorum, in carcerem propterea conijciatur: veniat autem quiſpiam alius, qui non ſolùm paucos illos nummos exſoluat, ſed etiam inſuper innumera auri talenta impendat, & elargiatur, incarceratumque ipſum in regalem aulam inducat, & Regem eſſe, omnibusque bonis abundare faciat: Ita Dominus noſter IESVS fecit nobiſcum, abſtulit captiuitatem noſtram, perſoluit debita noſtra, redemit nos de ſeruitute pluſquam durâ: induxit nos in libertatem filiorum DEI, & coheredes nos fecit Hereditatis ſuæ, & fecit nos DEO regnum, & regnabimus cum eo, & regni noſtri cum ipſo, non erit finis in æternùm.

Chriſtus Rẽdẽptoris officio, excellẽtiſſimus.

Supereſt, vt iam non ſimus noſtri, ſed eius qui pro nobis mortuus eſt, vt *iam nemo noſtrum ſibi viuat, ſed ei, qui propter nos tradidit in mortem Animam ſuam, vt iam non deſiderijs noſtris, quod reliquum eſt, in carne viuamus, temporis, ſed voluntati eius, qui in* pretium noſtrum tradidit ſemetipſum: & eripuit nos, tum à ſeruitute præteritâ, tum ab Irâ venturâ, & induit non tantùm veſtimento ſalutis, ſed etiam ſanctitatis ac Iuſtitiæ, in præſenti: in futuro autem beatitudinis, & vitæ, gloriæque ſuæ æternæ.

2. Cor. 5. 15. 1. Pet. 4. 2.

Sciamus nos liberatos, *quidem eſſe à peccato:* ſed mutatâ vice *ſeruos eſſe factos Iuſtitiæ:* propterea nunc *liberati à peccato, ſerui autem facti* DEO, afferamus, *& habeamus fructum noſtrum in ſanctificationem, habituri finem vitam æternam.* Illud ſemper memoriâ retinentes, & gratias agentes, quia Dominus noſter IESVS Chriſtus, nos, qui ante peccatum fueramus in DEI poteſtate, & amicitia: per peccatum verò facti eramus eiuſdem DEI inimici, & per iuſtam vindictam DEI, Dominique noſtri, traditi eramus peccati, & diaboli, & mortis poteſta-

Rom. 6. 18. Ib. 22.

Excell. 14. *Christus Redẽptoris officio, excellẽtissimus.*

ti. Nos inquam tales Dominus noster IESVS, satisfaciendo plenè pro nobis, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, & redimit sibi tanquam DEO, & emit sibi tanquam Homini, recuperans nos, quos ante habuit iure diuino, & acquirens, quos nunquam habuit iure humano. Acquisiuit enim per illam vnam eandemque satisfactionem pro nobis oblatam, singulare atque speciale, sibique Homini proprium quoddam ius, & dominium, atque Hereditatem, in Nos: vt simus serui eius propter emptionem, sicut eramus, & sumus serui eiusdem, propter Creationis & Naturæ conditionem.

EXCELLENTIA XV.

Solus Christus per Spiritum Sanctum Incarnatus, Conceptus, Natus est ex Virgine.

DECIMAQVINTA supra Creaturas omnes Excellentia Domini nostri IESV Christi est: quia de Spiritu Sancto Incarnatus, conceptusque, in & à Virgine, & de eadem Natus est etiam Virgine, ita vt Nascendo non temerauerit, aut minuerit, sed potiùs sacrauerit, auxeritque Virginitatem, ac puritatem Matris suæ, sic tamen vt & ipse verè Natus ac Filius, & MARIA verè & vera Genitrix, atque puerpera extiterit.

Hoc priuilegium de Spiritu Sancto Conceptionem habendi, solius & vnius est Christi, maximè ex hoc capite, quia illâ Conceptione, non est purus homo conceptus, sed Homo-DEVS, quia in ipso primo Conceptionis instanti, Hypostaticè vnitam sortiens Humanitatem suam cum Verbo, semper ab illo primo instanti exstitit Homo-DEVS, & nunquam purus homo, semper ita in Sanctitate, atque etiam Scientiâ & Sapientiâ perfectus, sicut nunc est, semper Filius DEI, gratusque DEO absolutè; Gratiâ non creatâ, sed Increatâ, nimirum Hypostasi Verbi Diuini, & ex vi Vnionis Hypostaticæ: quæ

Chri-

Christo in nullo eius existentiæ momento defuit. Quoniam non priùs Humanitas Christi exstitit, quàm vnita esset, sed simul ac semel, & integrè tota simul concepta est, & vnita Verbo Hypostaticè Spiritu sancto id operante infinitâ suâ virtute, Virgine autem Matre à Spiritu Sancto superuentâ, & Altissimi virtute, obumbratâ, atque confortatâ, cooperante. Ex quâ ideò DEVS natus est, & esse dicitur, quia, & conceptus in vtero, ex sanguinibus purissimis illius, & in ipsâ conceptione Humanitatis, DEVS illi personaliter vnitus est. Ita vt simul Caro, simul DEI Caro, simul Caro animata rationalis, simul DEI Caro animata rationalis exstiterit, absque vllâ etiam instantaneâ morâ, præcedente inter Conceptionem & Vnionem, adeò vt nec Naturâ priùs sit Homo, vel hic Homo, quàm Filius DEI.

Atque de Excellentiâ Conceptionis Christi ex Virgine, & de Spiritu sancto, hoc dixisse sufficiat, de Natiuitatis eiusdem singularitate, hoc quoque perstrinxerim, quod Ecclesia Catholica summopere admirans atq; dilaudans, DEVM non cessat in Beatâ MARIâ semper Virgine collaudare, benedicere, & prædicare, quia videlicet, & Vnigenitum DEI Spiritûs Sancti obumbratione concepit, & Virginitatis gloriâ permanente, Lumen æternum mundo effudit, IESVM Christum Dominum nostrum. Hanc intemeratam, atque intemerantem Domini nostri, de Virgine Natiuitatem, omnes Sancti Patres Ecclesiæ, quàm vno quasi ore, sensuque indubitanter adstruunt, tam illius singularitatem satis admirari non sufficiunt. CYRILLVS Alexandrinus, præstantissimus Maternitatis simulque Virginitatis assertor, fateri non dubitat, totumque illi Concilium Ephesinum adstipulatur, verba eius sua faciens ac repetens. O rem admirabilem, miraculum hoc me stupidum reddit. AMBROSIVS autem, præfert hoc miraculum, nati, saluâ Virginitate Maternâ, Christi, præfert inquam miraculo Resurgentis, & de sepulchro absque resignatione sigillorum

Excell. 15. gillorum eius prodeuntis. AVGVSTINVS non defugit fateri, se hoc miraculum capere non posse, non ideò tamen illud factum, non credere, si haberet (ait) exemplum, non esset singulare, fateamur ergo DEVM aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. Quæ AVGVSTINI verba, Concilium Toletanum, de hoc eodem miraculo agens, sua fecit. Ad idem propositum faciunt, illa eiusdem AVGVSTINI grauissima verba. Hoc fides credat, intelligentia non requirat: neque aut inuentum putet incredibile, aut non repertum, non credat singulare.

Congruentiam huius singularis in Natiuitate Christi, & in partu Virginis miraculi, egregiam affert LEO Papa, cum sic loquitur. Meritò Virgineæ integritati, nihil corruptionis intulit Partus Salutis; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. Et alio loco, ait: Nouâ Natiuitate genitus est, Conceptus à Virgine, Natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentiâ, sine maternæ integritatis iniuriâ, quia futurum hominem Saluatorem, talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret. Humano vsu quod credimus, caret; sed Diuinâ potestate subnixum est, quòd Virgo conceperit, quòd Virgo pepererit, & Virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, vt volebat, & poterat. Propter huius totius Excellentiæ Domini nostri IESV Christi vberiorem declarationem, libet ac perutile est, saltem enumeratione solâ indicare miracula quædam, quæ in Conceptione, ac Natiuitate Christi, infinitâ DEI virtute perfecta esse, & Natura ineffabilis, adeò Mysterij exegit, & Theologi obseruant, & ab omnium credentium mentibus in isto totius Miserationis Diuinæ oceano considerari, quàm penitissimè dignum est.

Primum Miraculum est: Quod Natura completa, quæ in instanti formationis suæ, per seipsam alioqui substi-

Christi Conceptione de Spiritu S. & Natiuitate ex V. Matre, excellentissimus.

subſtitiſſet, propriamque Hypoſtaſim, ſeu Perſonam conſtituiſſet, fuerit præuenta, accepto modo inexiſtendi, quo ſuprà omnem creaturam eleuata, exiſteret in Verbo, eiusque Perſonam Diuinam ſortiretur.

Secundum Miraculum: Quod Verbum Diuinum, ita Naturam illam exceperit, eam ſuſtentans, eiusque inexiſtentiam terminans, vt tamen nullam ſubierit in ſe mutationem, nullam intrinſecùs nouam contraxerit ad illam habitudinem, nullum ordinem, nullam inclinationem. Sufficiebat enim infinita illa vis hypoſtatica, vt ſe ad illam naturam extrinſecùs attractam, & veluti inſertam, abſque vllâ ſui mutatione, velut terminus & baſis hypoſtatica extenderet.

Tertium: Quod Verbum Diuinum, abſque vllâ nouâ habitudine ad Naturam humanam, factus ſit Homo verus, ſitque inter Naturam Diuinam & Humanam, ratione vnionis in Verbo mutua complexio. Eſſe enim Hominem generaliter loquendo, eſt habere in ſe Humanitatem, ſiue per identitatem: quomodo nos omnes ſumus homines, ſiue per Vnionem Hypoſtaſeos extrinſecæ: quomodo ſolus Chriſtus eſt Homo, in quo Verbum, propterea eſt Homo, quia habet Humanitatem ſibi ſubſtantialiter vnitam, eſtque eius Hypoſtaſis. Itaque eadem eſt Humanitas ſpecie in Verbo, quæ & in nobis, & Verbum æquè perfectus eſt Homo, ac ſumus nos; ſed tamen cum hoc diſcrimine, quia nos habemus Humanitatem per identitatem, Verbum autem per vnionem, nos naturaliter, illud ſupernaturaliter.

Quartum: Quod Corpus Chriſti, in inſtanti totum perfectè ſit formatum.

Quintum miraculum: Quod omnipotens Spiritûs Sancti virtus, vicem virtutis ſeminalis in conceptione ſuppleuerit.

Sextum miraculum: Quod Anima illa Chriſti beatiſſima, in primo inſtanti creationis & infuſionis ſui, lumine gloriæ, & omnibus cæleſtibus bonis eminentiſ-

Excell. 15. *Christ⁹ Cõceptione de Spiritu S. & Natiuitate ex* V. MATRE, *excellentissimus.*

simè, & in summo fuerit repleta, adeò vt per sequentia temporum spatia, nulla illi potuerit fieri accessio.

Septimum: Quòd à Virgine conceptus.

Octauum: Quod ex Virgine, saluâ eius per omnia integritate, & non tantùm in nullo temerata, sed auctâ potiùs, atque sacratiore redditâ Virginitate, natus, atque vt lumen per vitrum penetratus, atque effusus est. Vnde Virgo & Mater eius:

Vt vitrum non læditur sole penetrante,
Sic intacta permanet post partum, vt ante.

Nonum: Quod tamen Animæ gloria in Corpus non redundarit, sicut gloria Diuinitatis in Animam: sed remansit Corpus passibile, & subiectum necessitatibus huius mortalitatis.

Decimum: Quod gaudium beatificum, ex intuitiuâ Deitatis visione manans, mæstitiam perennẽ animæ illius, vsque ad instans mortis in Cruce, dolorumque acerbitates non excluserit.

Hæc sunt decem miracula, quæ in hac admiranda DEI-Hominis Dominique nostri IESV Christi Conceptione, Natiuitate, Vnione, ac vitâ reperta sũt: quorũ singula quotidianã, ac deuotã, gratiarũque ac laudationũ pleniſſimam consideratione, meritò ab vniuerso genere humano requirunt. Requirunt autem potiſſimum condignam, tantis DEI nostri miserationibus, atque dignationibus, propter nos susceptis viuendi, conuersandique, coram, & cum eodem DEO nostro rationem.

Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & Diuinæ consors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento, cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in DEI lumen & regnum. Per Baptismatis Sacramentum, factus es Spiritûs Sancti templum. Noli talem habitatorem prauis de te actibus effugare: & diaboli te iterum

iterum subijcere seruituti. Quia pretium tuum Sanguis est Christi, qui te in veritate & Iustitiâ iudicabit, sicut te in Misericordiâ & pietate redemit.

EXCELLENTIA XVI.

Solus Christus vixit, viuitq; vitam super omnes viuentes creaturas, Nobiliorem, Dignioremq;.

DECIMASEXTA Domini Nostri IESV Christi, super omnes Creaturas Excellentia est: quia solus & vnus ille vixit in hoc mundo, & viuit viuetque in cælo vitam præ omnibus Creaturis, dignissimam, Nobilissimam, ac omni decorè Maiestateque plenissimam, ac speciosissimam.

Non ago hic de Sanctitate vitæ Christi, eiusque morali perfectione, hanc enim sequenti tractationi reseruo, sed ago de Dignitate ac Nobilitate, quasi Physicâ.

Igitur Dominus Noster vitam vixit in terrâ, & viuit in cælo, nobilissimam splendorisque omnis plenissimam, à nullis Creaturis vnquam exæquandam. Libet hanc vitæ nobilitatem Domini nostri, esto immensam, metiri tamen mensurâ illâ, ab Apostolo PAVLO oblatâ & exoptatâ, de quâ ille sic loquitur. *Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terrâ nominatur; vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*, ordiamur ab altitudine Christi. *Eph. 3. 14.*

Ergò Altitudo Christi est, in eo, vnde est, ac vnde venit in terras, quâ in re demus locum, primum eius ipsius testimonio, quo laudare illi collibuit, Animâ suâ, & in DEO honorari, atque in cõspectu virtutis Altissimi gloriari. *Ego (inquit) ex ore Altissimi prodiui, primogenita* *Eccl. 24. 5.*

Excell. 16. *ante omnem Creaturam. Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Ab initio, & ante secula creata sum, & vsq; ad futurum seculum non desinam.* Ad eandem Domini nostri Altitudinem pertinet, illud quod Ioannes Apostolus intonuit, dicens. *In principio erat* VERBVM, *&* VERBVM *erat apud* DEVM, *&* DEVS *erat* VERBVM. Hanc eandem Domini IESV altitudinem, Gabriel Virgini concepturæ annuntiauit, cum dixit: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius* IESVM, *hic erit Magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius* DEI. Hac Domini nostri Altitudine cogitari, altiùs nihil potest, neque ad illam addi quidquam. Ex eâ enim promanauit omnis Dignitas, atque Eminentia, quæcunq; ad Christi sublimitatem accessit, hæc omnem Christi Domini altitudinem, non exaltauit solùm, sed omnem exaltationem super excedere fecit. Factus siquidem homo Filius DEI, & id quod erat, permansit, & id quod non erat, ita assumpsit, vt DEVS Homo, Verbum Caro fieret. Et licet Humana Christi Natura traxisset originem, quam summam ex mortalibus celsitudinibus trahere potuit, nimirum ex Patriarcharum, ex Regum, ex Summorum Pontificum sanguine: ista tamen ipsa Domini humanitùs celsissima origo, per ineffabilem illam Vnionem suam cum VERBO in immensum, in infinitumque celsior, dignior, altiorque reddita est, vt potè facta Diuinæ celsitudinis substantialiter, & Hypostaticè particeps, ita, vt ex Personâ Verbi, & ex Humanitate conflatus, coalitusque sit DEVS-Homo. Verbum Caro, Filius DEI, Filiusque Hominis. quâ DEVS, consubstantialis & vnicus DEO Patri. quâ Homo, consubstantialis & vnicus homini Matri. Atque hoc ex fonte naturalis & absolutus, & summus, factus etiam est rerum omnium Creatarum Dominus, Rector, Possessor, Heres, factus est Rex Regum, & Dominus Dominantium, factus est DEVS, super omnes DEOS, factus

Ioan. 1. 1.

Luc. 1. 31.

Ib. ℣. 35.

est

est Caput omnium, factus est (vt vno verbo complectar omnia) omni altitudine altior, omni magnitudine maior, omni dignitate dignior. Ex hoc etiam fonte omnis eius siue interior mentis, siue exterior corporis actio, atque commotio, facta est suprà omnem dignitatem, eleuationemque celsior, præstantior, dignior, pretiosior, quam omne creatum, creaturarumque quarumlibet, ac etiam omnium simul, pretium. Hoc etiam è fonte, Dominus iste noster; etiam cum in stabulo natus est, cum pannis inuolutus, cum in præsepi reclinatus, cum non haberet vbi caput reclinaret suum, cum in patibulo Crucis latronum medius penderet, cum vermis & non homo, cum opprobrium hominum, & abiectio plebis esset: in his omnibus celsior fuit, & hæc omnia celsiora, sublimiora, pretiosiora, inæstimabiliora, ipsumque, & omnes etiam nos, pro quibus talis factus est, taliaque siue gessit, siue pertulit, in immensum ampliùs altiùsque dignificantia, & attollentia fuerunt; quàm vllæ etiam omnes vniuersim extollentiæ, celsitudines, eminentiæ, summitatesque creatæ, creaturam aliquam extollere idoneæ sunt. Inde PAVLVS Apostolus inhæsitanter, dicit: *Quod stultum est* DEI, *id est, Christi, sapientius est omnibus hominibus: & quod infirmum est* DEI *fortius est omnibus hominibus*, & ego sequens PAVLVM dico, quod humilius est DEI, altiùs est omnibus hominibus, quod vilius est DEI, pretiosiùs est omnibus hominibus. Inde etiam idem PAVLVS gloriosè dicit. *Absit mihi* (absit & omnibus) *gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri* IESV *Christi*, inde etiam dicit idem. *Nos autem prædicamus* IESVM *Crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, ipsis autem vocatis* (*ad fidem Christi*) *Iudæis atq; Græcis, Christum* DEI *virtutem, &* DEI *sapientiam:* quoniam *per stultitiam prædicationis, per scandalum Crucis, placuit* DEO *saluos facere credentes*, & Christum DEVM à ligno regnare. *Quæ enim stulta sunt mundi, elegit* DEVS, *vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit*

Christus vita omnium viuentiũ viuẽs nobilissimâ, excellẽtissimus.

1. Cor. 1. 25.

1. Cor. 1. 23.

Ib. V. 21.

Gal. 5. 11.

1. Cor. 1. 27.

Excell. 16. *git* DEVS, *vt confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia mundi elegit* DEVS, *& ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Tam altus est ergo Christus, vt ad infima eius, omnis altitudo Mundi pertingere non possit. Sed de altitudine vitæ Domini nostri, hæc sint satis.

Latitudo vitæ illius, in eo est, ad quos venit, siue descendit. Hanc Domini eiusque vitæ latitudinem, admirabiliter enarrauit Daniel Propheta, vnà cum pluribus insignibus operibus eius, in descriptione lapidis, qui statuam Nabuchodonosori in somnis manifestatam, caput ex auro optimo, pectus autem & brachia de ar-

Dán. 2. 34. gento, ventrem & femora ex ære, tibias ferreas habentem, contriuit: de quo lapide sic ait. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, qui percussit statuam, in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta, quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusq; locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est Magnus, & impleuit vniuersam terram.* Iste lapis est Dominus *noster* IESVS *Christus, de Virgine, operâ Spiritus Sancti conceptus, natus, & veluti abscissus*; qui Regno suo nouo, quod est Ecclesia, & cæli Regnum, *quod in æternùm non dissipatur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet & consumet vniuersa regna hæc, (aurea scilicet, argentea, ærea, ferrea,) & ipsum stabit in æternum.* Nec iam comminuet aut consumet, sed iam reipsâ comminuit, & consumpsit, & regni eius non erit finis,

Psal. 71. 7. siquidem *à solis ortu vsq; ad occasum, laudabile nomen Domini: & in diebus eius orta est Iustitia sempiterna, & abundantia Pacis, donec auferatur Luna: & dominabitur à mari, vsq; ad mare: & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procidunt Æthiopes, & inimici eius terram lingunt. Reges Tharsis, & Insulæ, munera offerunt, Reges Ara-*

Agg. 2. 8. *bum & Saba dona adducunt, & adorant eum omnes Reges terræ, & omnes Gentes seruiunt ei*; sicuti & ipse est, *desi-*

dera-

deratus cunctis Gentibus. Hanc latitudinem Christi Domini, siue vitæ, siue Potestatis, sub alio schemate, exponunt nobis Prophetæ, & Apostoli, atque etiam Dominus ipse Noster, Dauid ita concinit: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, à Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris.* PETRVS Apostolus, ea ipsa verba Prophetæ adducit, & ea Christo Domino applicat in auribus Iudæorum, dicens. *Hic* (Christus) *est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus.* Idem Apostolus PETRVS, alio in loco pleniùs ex Isaiâ, hanc ipsam similitudinem hoc modo contra incredulos, & pro credentibus in Christum adducit, dicit enim: *Accedentes ad* (Christum Dominum,) *lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à* DEO *autem electum & honorificatum, & ipsi* (fideles) *tanquam lapides viui, superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles* DEO *per* IESVM *Christum, propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum; & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & Petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt.* Hucusque Princeps Apostolorum: in quo habet consentientem etiam PAVLVM, sed pro omnibus est Domini ipsius assertio: dicentis ad Iudæos, de semetipso. *Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? ideò dico vobis, auferetur à vobis regnum* DEI, *& dabitur genti facienti fructus eius, & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem autem ceciderit, conteret eum.* Ista adeò frequentata repetitio huius comparationis Domini nostri, cum lapide angulari, plurima quidem alia ad enarrandam eius singularem excellentiam continet, sed specialiter quod præsentis mei instituti est. Latitudinem

Christ⁹ vitæ omniũ viuẽtiũ viuẽs nobilissimâ excellẽtissim⁹. *Psal. 117. 22.*

Act. 4. 11.

1. Pet. 2. 4.

Isa. 28. 16.

Rom. 9. 33.

Matt. 21. 42.

Excell. 16. nem Domini nostri vitæ, Potestatisque exaggerat⁹ Ostendit enim Dominum nostrum, esse caput omnium populorum & gentium, in duas quidem classes distinctarum, & quondam contra se mutuò diuisarum, dissidentiumque; aduenientè tamen in terras Domino, collectas esse in vnum populum, Christianum scilicet, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus, & quidem sine discrimine, aut exceptione vniuersis, congregatum, atque tanquam duplicem parietem ex diuerso venientem, in vnum nihilominùs lapidem angularem adductum, atque colligatum, & consertum, & in vnum ædificium DEI compactum. Enarratorem Mysterij huius adducere competentem magis hoc loco non possum, quàm PAVLVM Apostolum, qui enarrans ex vnâ parte, *nimiam DEI Charitatem in nos, qui eramus Naturâ filij iræ:* & ex alterâ, quod *essemus creati in Christo IESV, in operibus bonis, quæ præparauit DEVS, vt in illis ambulemus:* hæc deniEphes. 2. 11. que subdit. *Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab eâ, quæ dicitur Circumcisio in carne, manu facta, quia eratis in tempore illo sine Christo, alienati à conuersatione Israel: & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine DEO in hoc mundo. Nunc autem in Christo IESV, vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est Pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne suâ: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem faciens pacem: & reconciliet ambos in vno corpore DEO per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit Pacem vobis, qui longè fuistis, & Pacem ijs, qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo, in vno Spiritu ad Patrem. Ergò iam non estis hospites & aduenæ, sed estis Ciues Sanctorum, & domestici DEI: superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in*

quo

quo & vos coædificamini, in habitaculum DEI *in Spiritu.* Hæc Apostolus, cui, ad enarrandam Latitudinem eam, quæ in Christo IESV est ad coadunandas, omnes gentes in se vnum: addere aliquid ampliùs, superuacaneum censeo. Non est tamen prætereunda, alia quædam similis huic, sed celsior atque admirabilior, Christi ad complectendum, coniungendumque in vnum se, & in vnam Societatem, atque Ecclesiam populorum, latitudinis expressio, quam ab Apostolo quoque PAVLO enarrari satis erit, de hac ergo ille sic. *Accessistis ad Sion montem, & Ciuitatem* DEI *viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium* DEVM, *& spiritûs iustorum perfectorum, & Testamenti noui Mediatorem* IESVM, *& sanguinis aspersionem, melius loquentem, quam Abel. Videte ne recusetis loquentem.* Quibus verbis indicat Apostolus, etiam Cælestem illam Ecclesiam, atque Ierusalem, ex Angelis & Hominibus, ex antegressis iam, & adhuc sequentibus, mediante Christo necti, & adunari: vt etiam ibi sit *vnum Ouile, & vnus Pastor*, idemque *Princeps Pastorum.* Ex hac Domini nostri IESV Christi Latitudine vitæ, pullulat eiusdem omnimoda & absoluta potestas, Dominiumque in omnes creaturas, regimen quoque earum vt sibi subiectarum, ius quoque viuificandi, & mortificandi illas: discernendi quoque merita earum, & eadem præmijs, vel pœnis afficiendi, condonandi quoque, aut vindicandi peccata, &c. Quibus in omnibus, summus est & solus Christus, neque vllam creaturam parem habet. Sed de his, alius erit dicendi locus.

Christi vitæ omniũ viuẽtiũ viuẽs nobilissimâ, excellẽtissimq. *Hebr. 12. 22.*

Longitudò vitæ Christi Domini est in eo, quia complectitur omnem æternitatem, omnia sæcula, omnia tempora. In principio enim erat Verbum, apud DEVM: & claritatem habuisse se apud Patrem, priusquam Mundus fieret, ipse testatur. Sicut etiam quod sit α & ω, principium & finis. Ipse attingit à fine ad finem, &

 suaui-

Excell. 16. ſuauiter fortiterque omnia diſponit. Ipſe etiam eſt Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi, & ſalus eius vsque ad terminum ſæculorum, & vsque ad extremum terræ: In fide nominis eius, omnes quotquot præordinati ſunt ad vitam æternam, ſaluati ſunt, ſaluantur, & ſaluabuntur vsque ad conſummationem ſæculi, & Iudæi
Ioan. 4. 22. ex quibus natus eſt, *quia ſalus ex Iudæis eſt*, prout ipſe aſſeruit, & Gentes à quibus receptus eſt. Quodſi qui non ſaluantur, ſed pereunt: non defectu ſalutis eius, ſed propriâ ſuâ culpâ pereunt. Nam quantùm ex ipſo ſalus omnibus parata eſt, etiam hoſtibus, etiam Crucifixoribus, etiam interfectoribus, fudit enim pretioſum ſanguinem ſuum, etiam pro eorum Animabus, quorum eum fudit manibus. Itaque in manibus eſt longitur-
Dan. 7 14. nitas vitæ ſuæ, & omnium noſtrûm ſalutis. *Regnum eius, regnum omnium ſæculorum, & poteſtas eius, poteſtas æterna:* & ipſe eſt nobiſcum, non tantùm ad conſummationem ſæculi, ſed vsque in omnem æternitatem regnabit nobiſcum, & nos cum eo. Et hæc enim eſt ſors longitudinis vitæ illius, vt non tantùm ipſe ſit longæuus, verùm etiam, vt videat quoque ſemen ſuum longæuum: tam in generationibus & generationibus vsque
Eccl. 24. 46. ad finem ſæculorum, *& vsq; in æuum ſanctum*, quàm etiam in omnium & ſingulorum filiorum, hoc eſt, fidelium ſuorum vitâ, & gloriâ & beatitudine ſempiternâ: iux-
Ionn. 10. 10. ta fideliſſimum promiſſum illius dicentis. *Ego veni vt*
Ib. ℣. 28. *oues meæ vitam habeant, & abundantiùs habeant, & ſequun-*
Hebr. 1. 10. *tur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternùm: & non rapiet eas quisquam, de manu meâ.* Deniqueipſe eſt, qui fundauit terram, & opera manuum eius ſunt cæli, ipſi peribunt, & omnes vt veſtimentum veteraſcent, & velut amictum mutabit eos, & mutabuntur: ille autem idem ipſe eſt, & anni eius non deficient: imò & ipſa verba eius, tranſeuntibus terrâ & cælo, nequaquam præteribunt, ipſo teſte, ipſo aſſertore.

Profunditas vitæ Domini noſtri IESV Chriſti, in eo eſt,

est, quousque descendit. Descendit de cælo in terram, de sinu æterni Patris, in vterum Virginis Matris, ex vtero in stabulum & præsepe, de stabulo in Crucem, de Cruce in sepulchrum, & in ipsas *inferiores partes terræ*, infernalesque abyssos, *vt adimpleret omnia.* Vbi & *his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit*, & emisit *vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua*, & de tenebris, ac vmbrâ mortis, dans eis lumen vitæ æternæ, *deglutiensq; mortem ipse, vitæ & gloriæ æternæ heredes illos effecit, profectus inde in cælum subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.* In eo quoque profunditas Domini nostri est, quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI, quia omnia quæ nouit Pater, & ipse nouit, quin imò ipse est Sapientia Patris, & vniuersa plenitudo scientiæ eius, ipse est cui cor omne patet, & omnis voluntas loquitur, *ipse est cui non est opus, vt quis testimonium ei perhibeat de homine, ipse enim nouit quid sit in homine.* Ipse est, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, quoniam nulla est creatura inuisibilis, in conspectu eius: & omnia nuda sunt, & aperta oculis eius, & *oculi eius multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Quare nemo dicat, *contemnens animam suam, quis me videt? tenebræ circumdant me: & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus:* quoniam expellit à se timorem DEI, huiusmodi hominis timor, *agnoscant potiùs* omnes filij hominum, *quoniam nihil melius est, quàm timor DEI: & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini;* quemadmodum & ipse Dominus IESVS dixit credentibus in se. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quibus promissis Domini, certè nihil melius, nihil dulcius, atque etiam nihil certiùs cogitare, aut desiderare mens humana potest.

Christus vita omnium viuentiũ viuẽs nobilissimâ, excellẽtissimus.

Eph. 4. 9.
1. Pet. 3. 19.
Zach. 9. 11.
1. Pet. 3. 22.

Ioan. 2. 25.
1. Cor. 3. 5.

Eccl. 5. 28.

Ib. ℣. 25.

Ib. ℣. 37.

Ioan. 14. 23.

Excell. 16. *Christ⁹ vitâ omniũ viuẽtiũ viuẽs nobilissimâ, excellẽtissimus.*

Atque hæc est Domini nostri IESV Christi vita, quam & vixit, & viuit, & viuet semper, omni nobilitate nobiliorem, omni splendore splendidiorem, omni dignitate digniorem, & à nullis vnquam creaturis exæquandam. Et est hæc quidem Gloria Domini nostri, cui neque addi, neque detrahi quidquam potest: at simul est etiam Gloria omnium nostrûm, quicunque credimus fideliter in eum: tunc autem fideliter credimus, quando operibus ipsis exercemus, quod credimus. Quod si quis credere se dicit, sed fidei suæ operibus contradicit, hic mendax est, & veritas DEI in eo non est. Vera enim fides Christi, diligit Christum, & non verbis neque linguâ, sed opere & veritate, quemadmodum & Ioan. 14. 21. ipse Christus Dominus asserit, dicens *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et rursum. Ioan. 15. 9. *Manete in dilectione meâ, si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione meâ, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.*

EXCELLENTIA XVII.

Christus Dominus solus vixit vitam, super omnes Creaturas sanctissimam, Religiosissimam, atq; Perfectissimam.

DECIMASEPTIMA Excellentia super omnes creaturas, Domini nostri IESV Christi est, quia ille solus in hoc mundo degens, vixit vitam præ omnibus Creaturis, sanctissimam, religiosissimam, perfectissimam, consummatissimamque, ita vt in hac, omnes quidem creaturæ rationales, illum imitari possint, imò & debeant: à nullis tamen, neque etiam omnibus simul exæquari possit. Vt enim exempli gratia dictum sit, quantumcunque vel Homo, vel Angelus, vel Cherubinus, vel Seraphinus, DEVM amauerit, amantior Christo non erit,

erit, sed neque tantùm quantum Christus, amabit: quantumcunque se humiliauerit, humilior Christo non erit: quantumcunque obediens DEO, vel propter DEVM fuerit, obedientior Christo non erit: & sic de omni virtute, totâque sanctitate Christi iudicandum est, quia illam nec aliqua, nec omnis simul creatura exæquabit, aut superabit.

Cum enim Christus Dominus, esset DEVS Homo, quod Creatura nulla est, & in quo Dominus IESVS, omnes simul creaturas infinitè excedit, non potuit non talem vitam viuere, quæ illius Personæ esset conuenientissima, atque ipsius Sanctitate Personali dignissima. Vixit ergò Dominus noster, vitam Diuino-humanam, diuino-humanè sanctam, perfectam, omnique ex parte consummatam, omnis creaturæ vitâ quantumlibet perfectâ perfectiorem; & à nullis creaturis, in genere sanctitatis adæquandam. Idque.

Primò: quia Christus in viuendo, & in actionibus vitæ suæ regulabatur à Diuinâ Personâ Verbi, seu Sapientiæ æternæ, à Sapientiâ & Ratione Primâ immediatè: erantque actiones illius Diuino-Humanæ, summi valoris ac dignitatis, simulque etiam summæ & absolutæ sanctitatis. Valoris quidem ob Personæ agentis, quæ Diuina fuit, dignitatem, nam actiones sunt suppositorum, seu Personarum, perfectionis verò ob rectitudinem Rationis, sanctitatemque voluntatis.

Secundò: quia Christus in viuendo regulabatur etiam quoad humanam rationem, regulis perfectissimis, tam intellectus quam voluntatis suæ creatæ, quæ erat rectissima, & ad declinandum à recto, vel minimum inflexibilis, impassibilisque.

Tertiò: quia Christus quidquid agebat, agebat ex cognitione plenâ omnium conditionum, circumstantiarumque, tàm obiecti circa quod agebat, quàm finis cuius gratiâ, quàm mediorum iuxta quæ agebat.

Quartò: quia Christus agebat omnia opera sua ex

Excell. 17. virtutibus, & cum virtutibus perfecti ſimis, exemplaribusque, ac Idealibus: quæ proximè & maximè Diuinis approximabant, & æquiparabantur.

Quintò: quia Chriſtus in agendo, à nullâ re præpediebatur, à quâ præpediri nollet: vtebatur paſſionum, ſeu propaſſionum magis, affectuumque dominio perfecto in omnibus, ambulabat ſuper mare tanquam ſuper terram, quin & PETRVM ambulare ſuper illud iuſſit, & fecit, imperabat ventis & mari, & obediebant ei, dæmonia eijciebat verbo & imperio, panes multiplicauit paucos, ad millia hominum ſaturanda, inimicorum inſidias, & rabies, & impetûs, quandò voluit declinauit, voluntates poſſeſſorum aſinæ, & cænaculi in quo manducaret phaſe, ad ſuum arbitrium flexit, capturam piſcium, qualem voluit piſcantibus dedit, piſcatores & publicanos ad vnum ſuum verbum, relictis ſubitò omnibus poſt ſe abire fecit, cogitationes & corda inſpexit, arguit, correxit, infinitaque alia egit nullo præpediente, ſolâ ſuâ iuſtiſſimâ voluntate.

Sextò: quia Chriſtus in agendo, plenè & vniuerſaliter, ac omnimodè perfectus & ſanctus fuit, ita vt eius quælibet actio, omni ſibi congruâ perfectione plena fuerit: aliorum actiones, etiam bonæ ac perfectæ, in vno aut etiam pluribus ſunt tales, attamen in aliquo deficiunt, vt plurimum, in Chriſti Domini actionibus, nihil omninò imperfectionis, nihil defectûs vnquam fuit; Vnde & in Angelis reperta eſt coram DEO prauitas, & nec ſtellæ mundæ ſunt, in conſpectu eius, & omnes iuſtitiæ noſtræ reputantur coram rigore, iudicij & ſanctitatis eius, tanquam pannus menſtruatæ, at verò Chriſtus meritiſſimâ confidentiâ dicere potuit, & dixit.

Ioan. 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* non enim peccatum fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, neque defectus in opere illius.

Septimò: quia vita Chriſti incomparabiliter fuit perfectior interiùs, quàm apparebat exteriùs, eſto & hic reuera

reuera esset per omnia perfectissima, quomodo in templo Salomonis, quod figura Christi Domini fuit, fenestræ longè ampliores latioresque erant interiùs, quàm exteriùs apparebant. Sic Charitas Christi in Patrem, aut in nos, & si esset exteriùs supra modum maxima, atque planè nimia: hæc tamen comparata interiori Charitatis, Christi ardori, minuta & quasi frigida videri poterat. Similiter Humilitas, Patientia, Mansuetudo omnisque virtus Christi Domini, quantumuis esset exteriùs excellentissima, interiùs tamen quæuis earum, omnem excellentiam in immensum superabat. De Obedientiâ Christi, exteriore non dubitauit asserere Pavlvs, quod propter illam exinaniuerit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; cæterùm interioris obedientiæ Christi affectus, infinities amplior, & ad exinanitionem sui in immensum maiorem, innumerisque vicibus repetendam, aut in æternum continuandam, si Patri placuisset existebat. Sed ad Interiora Iesv penetrare, nullius oculus præterquam solius Christi, & Patris eius est idoneus.

Christo Sanctitate Vitæ omnium superate sanctitatē sanctorū, excellentissimus.

Octauò: quia vita Christi, complexa est omnes viuendi, sanctitatisque perfectiones creaturæ possibiles, & etiam creatam vim superantes. Vixit enim Christus vitam Diuinam, eandem, & vnam cum vitâ Patris, atque Spiritus Sancti; Vixit deinde vitam Theandricam, seu Dei virilem, Dei viriliterque perfectam: erantque omnes & singulæ actiones eius Dei-viriles, quo in genere nulla creatura, nullæque creatæ actiones, actionibus Christi assimilari possunt, aut debent. Hæc actionum Christi perfectio, consistebat & consistit in eo, quod omnis Christi actio, non fuerit purè humana, sed altiore nixa Principio: quia & ab altiore, imò ab ipso Altissimo, proficiscebatur vt Agente, Diuino scilicet ac Verbi æterni supposito, quod suppositum & Agens perfectiùs est tam in se, quam in actione suâ, omni creato supposito etiam Angelico, etiam Cherubico, atque Seraphi-

Excell. 17. raphico, ista enim omnia creata sunt, illud autem Increatum, ac DEVS. quo fiebat, vt nulla, non solùm vna aliqua, sed nec simul omnis actio creaturarum omnium, etiam beatarum, licet sanctissima ac beatifica æquari potuerit, possit, æquandauè, vni alicui actioni Christi, siue in valore & merito ac dignitate, siue in sanctitate ac perfectione, Altioris enim est hæc vna ordinis, ratione sui Agentis, quàm illæ omnes. Itaque si Christus Dominus pedem, manum, oculum mouit suum, hæc eius motio magis, fuit sancta & perfecta moraliter, quàm omnes creaturarum sanctitates, sanctissimæque, etiam Martyrij, etiam beatificæ visionis actiones ac perfectiones. Vt nemini mirandum sit, quod vna oculi, vel manûs Christi motio satis esse potuerit, ad totius mundi salutem, omnes verò actiones & sanctitates Sanctorum, non potuerint, nec possint, pro vnico peccato mortali, etiam in hoc genere minimò satisfacere.

Præter iam dictas vitæ Christi Domini perfectiones, fuit in vitâ Christi perfectio, omnis statûs ad sanctitatem pertinens, & in summò quidem, atque incomparabiliter. Fuit in Christo vitæ beatæ, atque comprehensoris perfectio, inchoata ab ipso primo Conceptionis instanti, & nonnisi in morte illius interrupta, quanquam & tunc ab Animâ eius exstitit continuata. Et hæc vita adeò fuit redundans, vt non solùm in Corpus, inferioremque Humanitatis portionem, verum etiam in Animas aliorum refundi potuerit, sicut aliquantulum refusa fuit in Transfigurationis horâ, & in limbo in Patrum Sanctorum omnes animas beatificè redundauit. Fuit etiam in Christo vitæ Angelicæ, & omnium Hierarchiarum sanctitas ac perfectio, & quidem in gradu infinitè perfectiori, vt enim saltem in supremâ Hierarchiâ exemplificem quod asserui: in Christo infinitè perfectius resedit Diuinitatis plenitudo, æquitatisque completio, quàm in omnibus Thronis, propter quod

dixit

dixit Propheta, requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, & ipſemet Dominus dixit, Spiritus Domini ſuper me, & in ſpecie Columbæ ſuper eum ſedit, poſt baptiſmum à IOANNE ſuſceptum, & alibi Dominus, de ſe teſtatus eſt: *quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater.* Omnes enim creaturæ ſolæ ſunt, quia tantùm creaturæ ſunt: at Chriſtus nec eſt ſolus, nec eſſe poteſt, quia DEVS-Homo eſt, & Verbum Patris, & apud Patrem ſemper eſt. Fuit in Chriſto vita Cherubica, quoniam in ipſo requieuit Spiritus Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, & Conſilij, quinimò, in ipſo *ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi:* ad hæc ipſe eſt Lux Mundi, Lux vera quæ illuminat non ſolùm omnem hominem, in hunc mundum venientem, in eoque viuentem, ſed etiam in illum Superiorem & Cæleſtem mundum ingredientem, atque inibi æternaliter commorantem, & in lumine DEI, Lumen DEVM intuentem, eoque beatificè fruentem. Fuit in Chriſto vita Seraphica: atque in immenſum perfectior, adeò vt Seraphini, qui apud Iſaiam coram Domino noſtro (vt teſtatur IOANNES) ſuper ſolium excelſum & eleuatum ſedente, ſtabant volantes, atque faciem, pedesque eius alis ſuis velantes, & Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantes, erubeſcerent (interprete Chryſoſtomo) amoris ſui tenuitatẽ, comparatam & Dignitati eius atque Amabilitati, & ſimul eiuſdem in DEVM Patrem ſuum amori, atque Charitati, de quâ ſuâ Charitate in Patrem, atque propter Patrem in nos, dixit Dominus. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: Animam ſcilicet meam, pro ouibus meis, quas dedit mihi Pater, pono;* & in mortem illam trado. Nimirum, immensitatem Charitatis Chriſti erga Patrem ſuum æternum, nihil æquè commendat, nihil æquè manifeſtat, nihil æquè conuincit, nihil, fuiſſe, & eſſe illam omni Seraphicâ, omnium Seraphinorũ, & omnium creaturarũ poſſibili in DEVM dilectione, maiorem probat, quàm opus

Chriſtꝰ Sãctitate vitæ omnium ſuperante ſãctitatẽ Sanctorũ, excellentiſſimus. *Ioan. 8. 16.*

Coloſ. 2. 3.

Ioan. 12. 41. *Iſaiæ. 6. 1.*

Ioan. 14. 31.

Ioan. 10. 15.

Excell. 17. redemptionis nostræ, à Christo & susceptum, & perfectum in gratiam, & amorem æterni sui Patris, illud sibi demandantis. Et tamen hoc ipsum Salutis nostræ opus, nullis hominum, nullis Angelorum intellectibus cognoscendum satis, aut æstimandum dignè, adeò modicum est, si conferatur toti Charitatis Christi in Patrem, & in nos propter Patrem immensitati, quæ in eius Diuino corde feruebat, atque in effectum, adhuc, & adhuc prodire, si Pater æternus voluisset, anhelabat, vt minutam solùm quandam portionem in Redemptionis nostræ negotium, illius effudisse videri possit Dominus Jesvs. Etenim ideò totam vitam, totam seriem laborum, totam Passionis molem, totam mortem, & in morte exinanitionem suam non plus putauit, quàm Calicem quendam, vno quasi hausta ebibendum, quo exsorpto, magnâ voce contestatus est, sibi charitatis suæ nequaquam satisfactum esse. Itaque Charitas Christi parata erat, id quod pro totius mundi salute egerat, egisse pro vno quoque separatim homine, parata erat id quod agebat, tunc per annos 33. agere, patique vsque ad finem mundi, parata erat, innumera alia, maxima, & grauissima opera peragere, perpetique, propter charitatem, & exaltationem Patris sui. Ergo Charitas Christi Domini nostri, omni Seraphica fuit maior, eiusque vnius vita, omnium Seraphinorum dilectrice Dei vitâ, in charitate perfectior in immensum fuit. Et hunc in modum etiam reliquarum Hierarchiarum Angelicarum vitam, vita Christi Domini suprà omnem modum excessit. Sanè, si Pavlvm decuit confidenter dicere;

Rom. 8. 35. *Certus sum, quia neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; vlla creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesv, Domino nostro.* illis Oceanis ipsius Christi Charitatis, cæterarumque Virtutum, ac Perfectionum, quarum scintillas Pavlvs svix habuit, comparatione illius Immensi, quod in Christo exundabat: quis Angelorum quorumcunque

Cha-

Charitatis, aliarumque virtutum perfectionem, Christi immensitati censebit esse componendam. Fuit præterea in Domini nostri vitâ, perfectio vitæ Apostolicæ, vitæ Patriarchalis, vitæ Propheticæ, fuit Christus Legislator, Doctor, & consummator, & ad omnem perfectionem deductor, fuit Christus Martyr, & Caput Martyrum, & totâ vitâ suâ mortali, per omnia vitæ suæ momenta, perpetuum tolerauit Martyrium: non omninò quidem in Corpore, omninò tamen in Corde, in quo perenne, & grauiùs quàm in Cruce sustinuit tormentum, expressit hoc ipse illâ suâ voce: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsq; dum perficiatur?* Confessus est Dominus hic, se totâ vitâ suâ in corde coarctatum, opere redemptionis nostræ, quod pendens, moriensque in Cruce, confessus non est: imò se sitire Calicem, atque baptismum professus est, quasi maiorem senserit pœnam cordis, quàm Corporis.

Christ⁹ sanctitate vitæ omniũ superãte sanctitatẽ sãctorũ, excellẽtissimus.

Luc. 12. 50.

Vixit etiam Dominus IESVS vitam Summi Sacerdotis atque Pontificis, & quidem non sanguinem hircorum, aut vitulorum offerens DEO pro peccatis populi, sed semetipsum obtulit, tam Melchisedechiano, quàm Aaronico ritu, non pro vno populo, sed pro vniuerso genere humano, quatenùs *acquireret sibi Ecclesiam sanguine suo*, & *exhiberet eam non habentem rugam, neq; maculam, aut aliquid huiusmodi.*

Act. 20. 28.

Ephes. 5. 27.

Vixit Dominus noster vitam contemplatiuam, & solitariam, tum aliâs, tum in deserto post Baptismum. Vixit & actiuam maximè ante Baptismum, vixit & Mistam noctibus pernoctans in Oratione DEI, diebus verò circumiens & prædicans vbique regnum DEI.

Vixit Dominus vitam toti mundo renuntiantem, vsque adeò, vt ipso teste, non haberet vbi caput reclinaret, tàm in vitâ, quàm in morte, quàm in sepulturâ, pauperior vulpeculis, atque auiculis, quarum illæ foueas suas, istæ nidulos suos habent; Dominus verò neque Natiuitati in mundum, neque sepulturæ, locum habuit, nisi

Excell. 17. nisi partim à bestijs, partim ab alienâ miseratione commodatum. Cui paupertati Christi, nulla potest Paupertas comparari: attentâ enim eius personæ conditione, quasi impossibile erat illi pauperem esse: si quidem & quâ DEVS, & quâ Homo-DEVS, erat naturaliter, essentialiterque totius mundi, & rerum eius omnium Dominus, Possessor, & heres. Vnde IOANNES miratur, Ioan. 1. 11. quod *in propria veniens, sui eum non receperint:* attamen cum ita diues esset, egenus propter nos factus est, vsque adeò, vt ipsas dominij, & possessionis propriæ incapaces creaturas, egestate, & pauperiè superauerit.

Vixit etiam Dominus noster vitam, secundùm statum Virginitatis perfectissimam, atque incomparabilem, conceptus quippè per Sanctum Spiritum, ex MARIÂ semper Virgine natus, Virgo semper permansit, & ita Virgo, vt ei neque Angelica Virginitas, seu puritas æquari mereatur. Æmulatus est Christus Sanctissimam Trinitatem, quæ, (vt ait HIERONYMVS,) Prima Virgo est, altera autem DEVS-Homo IESVS Christus. Vt enim in Trinitate, Pater est infinitæ fæcunditatis: sic Verbum-Caro Christus, per Euangelium, & gratiam, meritaque sua Ecclesiam genuit, quam & desponsauit sibi, suscipitque ex eâ filios innumerabiles, ipsâ nihilominus tantò plùs sanctâ & purâ permanente, quantò plurium filiorum Matre. Tertia Virgo, DEI Mater est MARIA, cuius Virginitatem Maternitas DEI, non tantùm non temerauit, sed etiam sacrauit, auxit, consignauit, futuram minus puram Virginem, nisi simul DEI Mater fuisset. Puritas hominum à Domino nostro comparatur Matt. 22. 25. Angelis: *Neq;* (ait) *nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI,* at Christi Virginitas, sicut Virginitate hominum omnium, ita & Angelorum vniuersâ puritate eximia magis fuit, non tantùm secundùm mentem, sed etiam secundùm carnem, vt potè Diuinam, seu, Diuinitati vnitam: quòd nulla Angelorum habet puritas.

Vixit quoque Dominus noster vitam, secundùm obe-

obedientiæ ſtatum atque virtutem, per omnia perfectiſſimam, & omnibus creaturis perfectiorem. Idque ſiue attendas cui, aut quibus, & in quo, ſiue quomodo fuerit obediens, & propter quem, ſiue poſtremò quis & quantus? His, licet ſint omni admiratione digniſſima, omni magnitudine maiora, quia tamen Chriſtianis mentibus ſunt, (eſſe certè debent) cognitiſſima, non libet immorari, ſatis ſit dicere, nulli creaturæ poſſibilem eſſe tantam obedientiam, quanta in Domino IESV Chriſto, tàm erga DEVM, quàm erga Homines propter DEVM, fuit, perinde ac nulla creatura paris cum Chriſto Homine DEO dignitatis eſt. Ratione cuius dignitatis ſuæ Chriſtus, nullo iure vlli hominum ſubdi debuit: propter Perſonæ ſuæ Maieſtatem, ac ſuper omnia creata excellentiam. Et tamen idem tantæ excellentiæ Maieſtatisque Dominus, omnem vitam ſuam in Obedientiâ fundauit, & per totam vitam ſuam mortalem prima, præcipua, maxima obedientiæ exempla atque opera, vsque ad mortem, mortem autem Crucis, & vsque ad depoſitionem corporis ſui de Cruce edidit, demonſtrauitque.

Chriſti ſanctitate Vitæ omnium ſuperãte ſanctitatẽ ſanctorũ, excellentiſſimus.

Per hæc tamen, quæ de Excellentiâ Paupertatis, Virginitatis, Obedientiæque Chriſti Domini, dixi, non volo intelligi, neque aſſeri, eundem Dominum, religioſum ſtatũ, aut eius vota profeſſum eſſe. Inſtituere huiuſmodi ſtatum auctoritatis & Dignitatis perfectionisque fuit, ſed eum profiteri ab ipſo conueniens non fuit. Status enim religioſi proprium officium eſt, tendere ad perfectionem virtutum, potiſſimùm Charitatis, ad quam perfectionem Chriſtus nunquam tetendit, quia à primo vitæ ſuæ exordio, plenus gratiâ & veritate, plenus perfectione & ſanctitate, plenus omni virtute & charitate, denique Sanctus Sanctorum Hypoſtaticâ vnione Verbi, præ omnibus participibus fuit. Votorum etiam nuncupatione, ad vitæ voluntatisuè ſuæ, in bono ſtabiliendam rationem opus non habuit, vt cæteri homines

Excell. 17. mines opus habent; nam Christo Domino sufficientissima, semper ad hoc erat voluntas sua sancta & deliberata, & proposito mentis firmata, quoniam ille semper erat confirmatus in omni bono, ex seipso, ita vt semper facillimè, promptissimè, constantissimèque operaretur, quòd esset perfectiùs. Cæterùm secluſis hisce, quæ in statu Religioso sunt, aut supponuntur, imperfectionibus: certum est, quod quidquid est excellentioris perfectionis in vitâ statuque religioso, id Christus Dominus in suâ vitâ plenè complexus executusque sit. Abstraxit enim se totum, ab affectu rerum humanarum
Ioan. 14. 30. omnium, adeò vt dixerit, quod nec mundus, nec *mundi Princeps in ipso habuerit quidquam*. Consecrauit etiam se cultui diuino æterno planè totum, eiusque nomini manifestando hominibus, & eius placitis faciendis semper, ita vt suus cibus fuerit facere voluntatem Patris. Fuit etiam in Christo summa perfectio Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ad DEVM quidem Patrem, ex iure ac debito: ad homines verò ex dignatione & vsu, & facto. Denique summam habuit Dominus Charitatis in vitâ suâ perfectionem, ad quam vnam omnia in vitâ, & statu religioso ordinantur. Atque ita fuit Dominus JESVS, perfectissimo modo Religiosus in vitâ suâ, quoniam sublimiori modo, complexus & executus est, quidquid in vitâ religiosâ perfectionis est.

Et hæc de perfectione, ac sanctitate incomparabili vitæ Domini nostri satis sint: omnibus enim quæ dicenda essent, nullum humanum ingenium sufficit. Horum tamen recogitatione nos, qui Christianâ professione censemur & gloriamur, infatigabiliter occupari, & insatiabiliter pasci, & incessabiliter ditari ornarique debemus. Vtinam hæc indoles, hæc vtinam fames, Christianos omnes inuadat, vt in Saluatoris ac Domini sui imitationem toti exardescant, vt amplectantur sanctitatem eius, humilitatem, mansuetudinem, puritatem, rectitudinem, veritatem, obedientiam, mundi contemptum,

temptum, patientiam, zelum & sitim gloriæ Diuinæ, & denique omnem virtutem, vt cibus eorum sit facere voluntatem DEI semper, vt in hoc dilectionem DEI sui manifestent assiduè, quia sicut mandatum dedit eis Pater, sicut exemplum præbuit eis Christus, sic faciant, sic viuant, sic perseuerent, vt vita IESV abscondita sit in eis, vt mors eius operetur in ipsis, vt vita Christi sit vita eorum, vt viuere instar Christi, sit viuere ipsorum, vt non sibi viuant, nec sibi moriantur, sed ei, qui pro eis vixit, & mortuus est, vt viuant illi, sed iam non illi, viuat verò in eis Christus; denique, vt nemo vnquam quæ sua sunt quærat, sed quæ IESV Christi, nemo sapiat quæ sunt super terram, sed quæ sursum sunt, vbi Christus est ad dexteram Patris. Ibi Christiane, ibi fige tui cursûs, profectûsque metam, vbi Christus posuit suam, ideò enim Christus ibi posuit suam, vt & tu Christiane ibidem contendas ponere tuam, ait enim. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis.* Prô pudor, prô dolor: quotidie, quin & assiduò, Christiani anxiè disquirunt, quomodo desideria sua terrena & carnalia exequantur: Nullo autem die recogitant, an & quomodo suam, cum Christo suo similitudinem assequantur, quasi plus eorum interfit, terrenos esse ac mundanos, quàm Christianos & cælestes.

Christo sanctitate vitæ omnium superate sanctitatē Sanctorum, excellentissimus.

Ioan. 13. 15.

EXCELLENTIA XVIII.

Solus Christus, summam potestatem, virtutemq; docendi habuit.

DECIMA OCTAVA Domini nostri IESV Christi, suprà omnes Creaturas Excellentia, fuit Potestas authoritasque docendi omnes, simulque Doctrinæ illius, absolutissima perfectio & eminentia. In hoc passu, nulla ei creatura fuit, est, esse potest, par vnquam.

Non est autem necesse probare, sed solùm modò satis

Excell. 18. satis est supponere, Christum Doctorem nostrum fuisse; cum manifestè, & crebrò vtriusque testamenti scriptu-
Isa. 30. 20. ræ hoc euincant. Isaias enim ait. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & non faciet auolare à te vltrà Doctorem tuum*, quod hic promittit, hoc alibi implet per-
Isa. 55. 4. eundem Prophetam DEVS, cum ait. *Ecce Testem populis dedi eum: Ducem, & Præceptorem gentibus*, non aliquibus, aut solis tribubus Israël, sed omnibus omninò gentibus, propter quod per eundem Prophetam dicit:
Isa. 49. 6. Pater ad Filium à se missum. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Israel, & fæces Iacob conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis Salus mea vsq; ad extremum terræ.* In nouo porrò testamento DEVS Pater in baptismo & transfiguratione Filij sui repetitò nobis proponit eundem in Doctorem, à nobis audiendum. *Hic*
Matt. 3. 12 *est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum au-*
Matt. 12. 4. *dite*. Deniq; ipse Dominus noster, hanc suam Potestatem docendi de se contestatus est, non semel aiebat
Matt. 23. 10. Discipulis: *Nec vocemini Magistri, vnus enim est Magister*
Ioan. 13. 13. *vester, Christus.* Et rursus inquit. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim;* iterumq; ait.
Ioan. 18. 37. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Fuit ergo Dominus noster, Doctor, atq; Lux Mundi, & lux vera, illuminans omnem hominem, quod & Iudæorum aliquibus notum
Ioan. 3. 2. fuit, vnde dicebant ei. *Scimus, quia à DEO venisti Magister.* Quàm verò auctoritatiuè docuerit Christus, &
Matt. 7. 30 planè pro potestate, testantur Euangelistæ. *Admirabantur turbæ super doctrinâ eius, erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum.* Et iterùm:
Luc. 4. 22. *Omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ eius, & stupebant in doctrinâ eius, quia in potestate erat*
Ib. 32. *sermo ipsius.* Neq; omninò aliter esse, aut poterat, aut debebat. Etenim Vnio Hypostatica, quæ fuit in Christo, imò quæ constituebat Christum, cum multa alia summa, tum etiam potestatem, auctoritatemq; ac

vir-

virtutem, efficaciamque docendi eidem, conferebat maximam & absolutissimam, omniqúe creatâ altiorem. Illâ enim Vnione factus est Christus, Caput omnium rerum, (vti supra vidimus,) proinde influens in eadem omnia, modo cuiqúe rei apto & accommodato. Hic verò influxus inter alios est doctrinæ, & illuminationis, & cum sit Diuinus, ex ipso Verbo DEI omnis sapientiæ, ac veritatis fonte dimanans, necessariò tantus est, tamqúe eminens, & abundans, vt non solùm homines, sed Angelos etiam docere possit, illiqúe ab eo doceri, ac illuminari egeant, quod incredibile esse non debet de Christo Domino, quando & ab eius Ecclesiâ illuminari Angelos, testatur Apostolus, cum ait: *vt innotescat principatibus & potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia DEI;* quanto ergò hoc magis sentiendum de Christo ipso? *Christ° sũmâ potestate docendi excellẽtissim°.* *Ephes. 3. 10.*

Ex hoc eodem fonte Vnionis Hypostaticæ, manat in Christo supremus Pontificatus, Pastoratusque: indubitatum est autem pertinere ad officium Summi Sacerdotis, Pastorumque Principis, docere, & illuminare subditos suos, in ijs, quæ sunt ad salutem eorum necessaria, quoniam *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, constituitur pro hominibus, in ijs, quæ sunt ad DEVM, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant.* Et Dominus noster, vbi se Pastorem bonum ouicularum suarum profitetur, hoc inter alia adiungit, quia oues eius, ipsius etiam vocem audiunt, & ipsum sequuntur. *Hebr. 4. 1.*

Rursùm autem, quoniam ex illo eodem Vnionis Hypostaticæ fonte, promanat in Christum Dignitas & Munus Saluatoris hominum, & ius atque obligatio quædam redimendi illos; quæ redemptio atque saluatio, requirit sine dubio vt redimendi, saluandique, viam vitæ ac salutis teneant, priùs autem cognoscant, ac ante omnia illam doceantur: inde consequitur, vt Christus Dominus habens officium saluandi nos, habeat etiam

munus erudiendi, ac docendi nos viam salutis, viam vitæ, viam DEI, alioqui nihil profuisset nobis, salutis
Excell. 18 pretium poni pro nobis, si non contigisset, viam, quâ ad salutem pergendum, perueniendumque esset, de-
Bar. 3. 37. monstrari nobis. Propterea ergo Christus *omnem viam*
Ioan. 14. 6. *disciplinæ adinuenit*, & nos docuit, & factus est *nobis via,*
Hebr. 5. 9. *veritas & vita*, propterea etiam *obedientibus sibi factus est causa salutis æternæ*, propterea quoque & discipulos suos in vniuersum mundum, ad prædicandum Euangelium
Matt. 28. 19. mittens, dicebat eis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ser-*
Mar. 16. 16. *uare omnia, quæcunq; mandaui vobis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Doceri enim homines, & scire, seu credere, ac seruare doctrinam Christi, est medium necessarium ad eorum salutem. Ideò Christus Dominus potuit obligare, & obligauit omnes homines, ad audiendam doctrinam suam, tam per ipsum se, quàm per discipulos suos prædicatam, prædicandamuè, vsque in fines terræ, & vsque ad consummationem sæculi.

Ex eadem Vnione Hypostaticâ manauit in Christum, non tantùm maior, sed etiam altiori, & nulli creaturæ assequendo modo, maior Scientiæ plenitudo, quæ illi à primâ conceptione summè perfecta, & plena, & connaturalis fuit. Exinde autem procedit & potestas, & virtus, efficaciaque Doctoratûs, & Doctrinæ Christi: simul verò & singularis, soliique Christo propria Excellentia eius. Accepit enim cum Vnione ad Verbum, scientiæ (vt dixi) plenitudinem, atque ita accepit, vt ea quæ sciuit, quæuè ex scientiâ docuit, nunquam didice-
Ioan. 7. 15. rit, quod fuit Iudæis in admiratione. *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Etsi enim Christus scientiam & doctrinam omnem, à Verbo Diuino acceperit, nunquam tamen ex nesciente sciens, ex non docto doctus factus est, sed in vno eodemque, id est primo instanti conceptionis & existentiæ suæ, sicut DEVS Homo,

sic

sic & scientiâ doctrinâque plenus exstitit. Et inde soluitur illud, quasi paradoxum Domini, quod admirationi Iudæorum reposuit, dicens. *Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me Patris.* Quid enim Domine, si tua doctrina est, quomodo non tua? aut si non tua est doctrina, quomodo ergo tua? sed nimirum & non eius doctrina fuit, quia Patris fuit, à quo Verbum, & cuius Verbum est. Quid enim tam tuum, quam tu, & quid tam non tuum, quam tu, si alicuius es, id quod es? & tamen eius doctrina fuit, quia cum Christus vnam eandemque Personam, cum Verbo componat, verè dicit suam se scientiam habere, neque didicisse, sed à se, vt sibi connaturalem, & perfectam, accepisse, cum omni potestate, auctoritate, atque iure, & virtute ad docendum, propterea prædictionem Isaiæ Dominus ipse, de se ipso interpretatus est. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis redemptionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis,* quem locum Prophetæ cum legisset Dominus, mox de illo subinculit dicens. *Quia hodie hæc Scriptura impleta est, in auribus vestris,* & cum Ioanni per discipulos quærenti: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* ex hoc ipso Isaiæ loco, aliqua respondit, & signa aduentûs sui posuit, ac inter cætera. *Pauperes euangelizantur.*

Ioan. 7. 16. *Christo summâ potestate docendi, excellentissimus.*

Isa. 6. 1. 2. *Luc. 4. 18.* *Ibidem.* *Matt. 11. 3. 5.*

Omitto, aut paucis tantùm perstringo, ex illâ eadem Vnione Hypostaticâ, manasse in Christum supereminentem, sanctitatem vitæ, (de quâ in præcedenti Excellentiâ dixi) quæ maximè, & necessaria, & vtilis Christo fuit ad docendum: ad quam etiam reuocabat sese Dominus, nolentibus Iudæis ei credere, dicebat enim. *Si verbis meis non creditis, operibus credite,* tum miraculosis quæ in confirmationem doctrinæ suæ faciebat, tum præstantium virtutum plenis ac omni culpâ vacuis. Vnde dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* & paulò post pro innocen-

Ioan. 10. 38. *Ioan. 8. 46.*

Ib. ℣. 46. tiâ allegabat. *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos non honorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam.*

Excell. 18. Similiter ex Vnione ad Personam Verbi, habuit Christus non tantùm potestatem docendi exteriùs, sed etiam virtutem ea quæ docebat, intimandi interiùs, conferendo lumen intus ad intelligendum, & permouendo mentes ad credendum, assensúque pleno acceptandum, altissimas, & difficillimas veritates, mysteriaque rationem superantia; quæ vtique caro, & sanguis, & ratio naturalis non reuelabat, sed Pater cælestis, & virtus Verbi æterni, mentibus audientium credibiles, & certas repræsentabat: vt etiam rudes, & penè incapaces, crederent, apprehenderentque subitò, magnâ cum capacitate, magnoque cum lumine, affectusque efficacitate, difficillima quæque mysteria doctrinæ Domini. Vt patuit in vocationibus PETRI & ANDREÆ, IACOBI & IOANNIS, MATTHÆI & ZACCHÆI conuersione quoque MAGDALENÆ, Chananææ, Centurionis vtriusque, Latronis in Cruce, aliorumque plurimorum, quorum corda & illustrauit, & commutauit Dominus doctrinâ suâ sæpissimè in momento, tum ad credendum, tum ad sequendum, tum ad confitendum se, suamque doctrinam, propter quod dicebant discipuli eius. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius DEI.* & ipsi hostes. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Adeoque primariè seruit Doctrinæ Christi Domini ab ipso prædicatæ, illud quod vniuersaliter asseruit PAVLVS, de verbo DEI, dicens: *Viuus est enim sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quam efficacitatem suæ Doctrinæ, ipsemet Dominus designare volens, appellauit eam aliquando gladium. *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus*

Ioan. 6. 69.

Ioan. 7. 46.

Hebr. 4. 12.

Matt. 10. 34.

uersus Patrem suum, & filiam aduersus Matrem suam: aliquando autem Ignem. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Luc. 12. 49. aliquando semen. *Semen est Verbum* DEI. Luc. 8. 12. aliquando triticum. *Quis putas seruus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt detillis in tempore tritici mensuram?* Chtist° sũmâ potestate docendi, excellẽtissim°: aliquando Spiritum, & vitam. *Verba* (ait) *quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt,* Ioan. 6 64. aliquando lucernam. *Nemo autem accendens lucernam operit eam vase, aut subtus lectum ponit.* Luc. 8. 17. aliquando Euangelium. *Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum* DEI, *quia ideo missus sum.* Luc. 4. 43. Itemque, *prædicate Euangelium omni creaturæ,* Mar. 16. 15. id est, bonum nuntium, seu DEI Verbum.

At enim de Doctrinæ Christi præstantiâ, alius erit dicendi locus, nunc de Potestatis eius ad docendum excellentiâ super omnes, hæc sufficiat attulisse. Interim audiamus & sequamur, monentem nos Prophetam. *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino* DEO *vestro, quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum sicut in principio.* Ioel: 2. 23. Verè enim vniuersæ hominum nationi, atque inprimis Ecclesiæ filijs, exultandum & lætandum est in Domino DEO suo, quia misit filium suum, Dominum scilicet nostrum IESVM Christum, qui esset lux mundi, & tenebras illas, plus sanè quam Ægyptiacas, tenebras dico ignorantiæ, tenebras malitiæ, tenebras impietatis, tenebras plusquam brutas ac bestiales, tenebras solo tenebrarum principe dignas, infernaliumque ac damnationis æternæ tenebrarum præambulas, veræ suæ lucis splendore discuteret ac dissiparet. Est profectò beneficium Domini DEI nostri super nos maximum: & à nemine alio præter quam ab ipso DEO, possibile ad præstandum, pro quo beneficio, nullæ satis gratiæ exhiberi possunt DEO nostro à nobis, ne quidem si omnes & singuli hominum filij, toti in gratiarum actiones sese commutarent. Interim autem viderint homines, quomodo

Excell. 18. *Christ⁹ sũmâ potestate docendi, excellentissim⁹.*

do debitum istud gratitudinis, Doctori huic suo exhibeant? Viderint ipsi filij Ecclesiæ Christi, filij luminis & regni, filij Euangelij DEI, quomodo ipsi quoque, debito huic satisfaciant?

An hoc satisfacere est gratitudinis officio, Doctorem Christum cum eius Doctrinâ abijcere, explodere, contemnere, atque conculcare? & quid hodie tam vile Christianis, quàm Christi Sapientia, quàm Christiana doctrina, quàm Christi, vel præcepta, vel monita, vel consilia? Mundi, Carnis, diaboli leges obstinatissimâ diligentiâ custodiuntur, adimplentur, vel vsque ad sanguinis, vitæque tam præsentis, quàm æternæ iacturam; & neglexisse vnum diaboli mundaniuè moris iota, apicemuè, pudendum & probrosum est: Christi autem doctrinam, cum ipso Doctore Christo, totis conatibus & ausibus abiecisse, atque despreuisse, generosi, & perquam culti pectoris est, atque animi. Istud est scilicet, filios Sion, filios Ecclesiæ, fideles Christi, exultare, & lætari in Domino DEO suo, quia dedit eis Doctorem Justitiæ, Magistrumque ac Ministrum salutis, & vitæ æternæ.

EXCELLENTIA XIX.

Solus Christus Doctrinam, super omnes doctrinas præstantiorem docuit.

DECIMANONA Excellentia Domini Nostri IESV Christi, super omnes creaturas est: quia Doctrina eius quam tradidit nobis, omnibus Doctrinis præstantior est. Non enim solùm potestate, & virtute docendi super omnes fuit, vt modò vidimus, verùm etiam ipsum Doctrinæ ipsius genus, quod tradidit, & vsque hodie per Apostolos, Apostolorumque successores tradit, suprà omnes alias doctrinas est, ita vt nullæ earum, cum hac, vel in minimo comparari mereantur. Hoc euidenter

denter eluceſcet, ſi attendere & expendere Doctrinæ iſtius, conditiones ſeu qualitates voluerimus, quæ omnes & multæ ſunt, & tales, vt nulli alteri doctrinæ ſint communicabiles.

Prima ergò Doctrinæ Chriſti conditio, & qualitas, & proprietas eſt, quia Chriſti eſt, quia nimirum DEI-Hominis eſt, non puri Hominis, ſed DEI-Hominis: ipſe enim in propriâ ſuâ Perſonâ DEVS, Verbum Caro factum, Doctrinam hanc tradere venit, & tradidit: prout de eo teſtatus eſt IOANNES Baptiſta, dicens: *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur:* dixerat autem idem IOANNES, id teſtimonium de eodem luculentius & vberius. *Hic erat, quem dixi: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat, & de plenitudine eius, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ; quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt. DEVM nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Propheta quoque de hac eiuſdem Domini noſtri, in docendis nobis operâ, hunc in modum eſt prælocutus: *Hic eſt DEVS noſter, & non æſtimabitur aliùs aduersùs eum, Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Iſta eſt prima conditio, proprietasque Doctrinæ Chriſti, & nulli alteri communicanda, & ex quâ omnes aliæ proprietates emanant, tanquam à ſuâ origine.

Ioan. 3. 31.

Ioan. 1. 15.

Baruch 3. 36.

Secunda eſt, Certitudo & infallibilitas, cum enim procedat à primâ veritate, Verbo DEO reuelante, qui neque falli, neque fallere poteſt, manifeſtum eſt Doctrinam eius certiſſimam, & infallibiliſſimam eſſe, in omnibus & ſingulis ſuis punctis; ita, vt perinde certum ſit vnum iota, vel apex, ſicut ipſamet vniuerſa. Ideò Dominus noſter affirmauit: *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ideò quoque tam eſt firmiter & conſtanter aſſentiendum, vni minimo Domini

Matt. 24. 35.

noſtri-

Excell. 19. nostri documento, aut dicto, sicut vniuersæ illius doctrinæ: etenim tam necesse est, veracem esse Dominum nostrum in vnico, quàm etiam in toto, & tam est impossibile fallere, vel falli illum in vno, quàm in omni asserto suo, & insuper tam est absurdum, & damnosum fidei & assensui nostro, in vno aliquo puncto non credere doctrinæ Christi, quàm & toti doctrinæ ipsius, indeque etiam qui vnum articulum fidei doctrinæque Christi non credit, nullum articulum fidei credit fide Diuinâ, quoniam qui fecit in vno aliquo puncto fallacem Christum, eiusque reuelationem dubiam: Vniuersam, & de omnibus, reddidit, & illam, & illum suspectum, atque fallacem.

Tertia conditio proprietasque Doctrinæ Christi est, quia est plenissima atque perfectissima, & complectens in se omnia, quæ sunt veræ & absolutæ doctrinæ necessariò complectenda. Duo autem potissimum complecti, ac tradere debet completa & perfecta doctrina: Primò, vt sit de DEO, tàm secundùm eius Esse, atque existere, quàm secundùm perfectiones eius, atque etiam opera siue naturalia, siue supernaturalia, quin etiam legem & voluntatem, & veritatem, & potestatem, sapientiam, Gubernationem, prouidentiamque illius naturalem & supernaturalem; arcana quoque & iudicia, præcepta, & consilia, præmia, & promissa, supplicia & minas. Secundò perfecta doctrina complecti debet, vt sit dirigens creaturæ, nempè Hominum Animas, mentes, ac voluntates, studia, desideria, actiones, intentionesq; ad vltimum finem, & summum bonum: Vt nimirum dirigat homines, ad DEI cognitionem, amorem, obedientiam, venerationem, possessionem, ad vitæ morumq; sanctitatem, integritatem, perfectionem, DEIque similitudinem, & ad æternam beatitudinem. Vtrumque hoc Doctrina Christi complectitur, & præstat plenissimè, neque alia vlla ad hoc pertingit, potestuè pertingere. De hac perfectione Doctrinæ Domini Nostri, Apostolus

ſtolus fusè ſublimiterque diſſerens, inter alia hæc ait, *vt ſimus in laudem gloriæ eius,* (DEI) *nos, qui ante ſperauimus in Chriſto: in quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis,* (*Euangelium ſalutis veſtræ*) *in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.* *Epheſ. 1. 12. Chriſtus doctrinâ ſupergrediẽte omnium doctrinarum præſtãtias, excellentiſſimus.*

Quarta conditio atque proprietas Doctrinæ Chriſti eſt, quod ſit humilis, ſed ita vt in humilitate ſuâ ſit etiam valdè ſublimis. Tradidit enim Dominus noſter doctrinam ſuam, verbis, parabolis, ſimilitudinibus, ſimplicibus, & in ſpeciem vulgaribus, ſed interim in his tradidit, & *eructauit abſcondita à conſtitutione mundi,* tradidit arcana, Myſteriaque abditiſſima, & altiſſima: non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed quæcunque audiuit à Patre; ſicut & ipſemet Dominus dicebat. *Qui me miſit, verax eſt, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, & ſicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolùm.* Tradidit etiam Dominus doctrinam ſuam humilibus, ſimplicibus, pauperibus, imò & peccatoribus, propterea exultans ſpiritu, aliquando dicebat Patri. *Gratias ago tibi Pater, quia abſcondiſti hæc;* (ſuam ſcilicet Doctrinam) *à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* & alio loco dicebat, *Pauperes euangelizantur.* Et *Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum* DEI. Et, *Publicani & meretrices crediderunt.* Itaque Doctrina Chriſti eius indolis eſt, vt quos erudit, quique in eâ proficiunt, faciat humiles, & non abundantes in ſenſu ſuo, & non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, alioqui enim, ſi quis in doctrinâ Chriſti doctûs, inflaretur & ſuperbus fieret, non ille in Chriſti ſcholâ proficeret, ſed magis à diabolo magiſtro ſcientiam ſuperbiendi diſceret, diabolus enim eſt Rex, ſuper omnes filios ſuperbiæ, & ſcientia illius inflat, Charitas verò Chriſti (& hæc eſt, medulla doctrinæ ipſius) ædificat, & humilitatem adinuicem inſinuare docet. Atque hæc eſt ſolius Chriſti Doctrinæ, & nullius alterius genuina,

Matt. 13. 35.

Ioan. 8. 26. & 28.

Matt. 11. 25.

Matt. 21. 31. & 32.

Excell. 19. nuina, notio: Et ideò ex hac consurgit.

Quinta conditio eiusdem Doctrinæ Domini nostri, nimirum quod sit mole quidem, & specie suâ tenuis, & valdè exigua, virtute autem, & efficaciâ immensitatem ipsam transcendat. Propter quod illam Dominus comparauit *grano synapis, quod minimum quidem est ex omnibus oleribus, cùm autem seminatum creuerit fit arbor, vt volucres cæli habitent in eâ:* cui, cum omni veritate attribui possunt, dicta de arboris illius laude, quam somniauit Nabuchodonosor. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat, vsq; ad terminos vniuersæ terræ: Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in eâ, subter eam habitabant animalia, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex eâ vescebatur omnis caro.* Hæc encomia vniuersa arboris huius vsque adeò ex amussim, & manifestè Domini nostri Doctrinæ conueniunt, vt nemo sit fidelium, qui id persese absque meâ particulari applicatione, explanationeque præstare non possit. Attamen de Grano synapis, quod initio adduxi, non omittam verba Beati HIERONYMI afferre, dicit ille. *Prædicatio Euangelij, minima est omnibus disciplinis. Ad primam doctrinam, fidem non habet veritatis, Hominem-DEVM, Christum mortuum, & scandalum Crucis prædicans. Confer huiuscemodi doctrinam, dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendori Eloquentiæ, & compositioni sermonum, & videbis, quantò minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij; Sed illa cum creuerint, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonstrant, sed totum flaccidum, marcidumq;: & mollitum ebullit in olera, & in herbas, quæ citò arescunt, & corruunt. Hæc autem Prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cùm vel in Animâ credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem: ita vt volucres cæli (quas vel Animas credentium, vel fortitudines, DEI seruitio mancipatas, sentire debemus) veniant, & habitent in ramis eius.* Hæc Hieron.

Matt. 13. 32. Luc. 13. 10. Dan. 4. 7.

Au

At enim efficaciam Doctrinæ Christi enarrare, immensi planè est operis. Quis enarrabit, quod Doctrina Christi omnes alias doctrinas, quæ alias antiquitùs orbem vniuersum distraxerant, & destruxerant, sic dissoluit atque deuorauit, quomodo serpens Mosaicus omnes magorum Ægyptiacorum dracones deuorauit? quis enarrabit, quod Christianæ Doctrinæ Lux, omnes aliarum scientiarum humanarum, luces sic extinxerit, atque obruerit suæ lucis immensitate, quomodo oriens sol dissipat tenebras, & stellas minores abscondit? Quis enarrabit, quod Doctrinæ Christi Sanctitas omnes inueteratissimorum vitiorum, scelerum, errorumque densitates atque crassities, non rationi tantùm naturali, verùm etiam ipsi bruto, bestialique quali, quali lumini repugnantes, disturbauerit, dissipauerit que, & ad obedientiam sanctitati, rectitudinique suæ adduxerit? adduxerit autem ita, vt sanctitate hac imbutus mundus delegerit, totum suo proprio cruore, per omnes populos, regiones, vrbes, & loca largissimè, pluribus seculis profuso, abluere, potiùs quàm rectitudinem sanctitatis, veritatis, fidei, doctrinæque Christi, vel tantillum inclinare, aut inquinare. Quæ vnquam Doctrina, scientia, veritasue putata, tantis asserta est prodigijs, ac miraculis, tantis comprobata & illustrata argumentis, tantis defensa, & retenta constantissimarum mentium, vsque ad sanguinem, vsque ad corporum lanienam, vsque ad crudelissimarum cædium, exquisitissimarumque carnificinarum horrendam, stupendamque sufferentiam, exercitibus, atque legionibus, tum verò victorijs, atque trophæis, & triumphis; quomodo vna Christi Doctrina à tot populis, à tot hominibus, à tot hominum ætatibus, pueritiâ etiam, atque infantiâ, adultis robustisque annis præcurrente, hebetatis omnibus lanienarum & cædium instrumentis, superatis omnium potestatum Tyrannicarum viribus & conatibus, defensa, asserta, stabilita, victrix & triumphans, laureataque, vniuersi orbis, vniuersorum-

Christus doctrinâ supergrediêtes omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

Excell. 19. sorumque populorum, ac hominum consecuta est dominatum? Da mihi doctrinam, quæ in Christi Doctrinâ vel vnicum, vel tenuissimum, vnius etiam apicis næuum, errorem, dubiumuè inuenerit? da mihi doctrinam, quæ à Christi Doctrinâ vel erroris, vel falsitatis, vel stultitiæ, vel saltem imperfectionis, inefficaciæque redarguta, & conuicta non sit? Da mihi doctrinam, quæ tantùm possit, potueritue in animis volũtatibus, intellectibusque exercere dominium, tantas immutationes facere, tam arduas persuasiones introducere; quantas & fecit à primis suis initijs, progressibusque, & facit vsque hodie, & factura est indubitatè Doctrina Christi vsque ad consummationem sæculi? quantos leones ferocitatementis, in mitissimos Agnos, quantos lupos in ouiculas, quàm superbos in humiles, quàm rebelles in obsequentes, quàm iracundos in mites, quàm carnales & turpes, in spirituales & castos, quàm auaros & raptores alienorum, in suorum profusores, quam addictos immersosque terrenis, in omnium contemptores, quam diuites, in pauperes, quam dissolutos & licentiosos, indisciplinatos, quam Magnos & præpotentes, in paruos ac minimos, quam doctos, & sapientiæ suæ præfidentes, in simplices & humilibus consentientes, quam viuaces in mortificatos, quam sui amatores ac studiosos, in sui abnegatores, osores, ac propè perditores; quam sui Deique neglectores, salutis suæ oblitos, gloriæ, cultusque Diuini incurios, in studiosissimos Dei, in suæ salutis perfectionisque feruentes, quin & in alienæ salutis perfectionisque inuictos zelatores, quam sceleratos & profligatos in omnem nequitiam, in sanctos innocentes, perfectâque virtute consummatos: quam iræ mortisque æternæ filios, in Dei & gratiæ filios, in vitæ æternæ heredes commutauit. Infinitus sim, si omnia Doctrinæ Christi, in commutandis ad meliora omnium hominum mentibus miracula recenseam. Cui hæc vel oculis cernere, vel manibus palpare studium est.

Nume-

Numeret Martyres Christi, & olim sanguinolento, & modo lentiore, sed totâ vitâ durante Martyrio insignitos, numeret deuotorum DEO vtriusque sexûs, & omnis ætatis conditionisque hominum myriades. Numeret absconditorum, & mundò planè mortuorum, sesèque in animis & corporibus iuges DEO victimas facientium multitudines, seu solitudines. Numeret homines Apostolicos, qui tradiderunt, & tradunt animas suas, vitam sanguinemque suum, pro salute hominum, pro nomine IESV, pro Diuinâ gloriâ. Numeret denique in mundo licet manentes, mundum tamen sub pedibus suis habentes, in carne quidem, non tamen secundùm carnem militantes, vestitu sæculares, sed affectu animoque religiosissimos, rebus diuites, sed animo spirituque pauperes, hoc mundo quasi non vtantur vtentes. Hæ tales, hominum Christo militantium classes, doctrinæ Christi sunt messis, sunt fructus, sunt horrea.

Christus doctrinâ supergrediẽte omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

Sexta conditio, atque proprietas Doctrinæ Christi Domini est, quod sit recta, sancta, immaculata, sanctos & rectos faciens, exigensque ac iubens sanctitatem, insuper etiam facilitans ac suauem reddens eandem, prout testatur ipse Dominus, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matt. 11. 28. & 29. & 30. Hanc Doctrinæ Christi notam, proprietatemque B. Zacharias Pater S. IOANNIS Baptistæ, celebrauit in cantico suo dicens, Dominum in carne aduenturum esse, iuxta promissiones Patribus datas; *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate, & iustitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris.* Luc. 1. 74. Vbi Propheta, in singulis fermè verbis, aliquâm sanctitatis partem, ex Domini in carne prædicatione, in nos redundaturam significat, v. g. dicit: *vt sine timore, &c.* rotundè Dominus adimit nobis timorem omnem omnium inimicorum. *Nolite timere eos, qui* Matt. 10. 28.

postquam occiderint corpus, amplius non habent, quid faciant,
Luc. 12. 5. *ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vo-*
Mar. 6. 50. *bis, hunc timete:* & aliâs, *confidite, ego sum nolite timere.* Nimirum ademit nobis Dominus timorem seruilem,
Exod. 19. 12. qualem lex vetus perpetuò spirabat, ingeminans, *morte*
Rom. 8. 15. *morietur*, dedit autem (vt PAVLVS testatur,) *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, & IOANNES
Ioan. 1. *quotquot* (ait) *receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI*
Luc. 1. 24. *fieri. De manu inimicorum nostrorum liberati:* quomodo, & à quibus inimicis liberauerit nos Dominus noster, suprà visum est, insuper autem *dicebat IESVS, ad eos,*
Ioan. 8. 31. *qui crediderunt ei: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas libe-*
Excell. 19. *rabit vos*, ac nè multis morer, Dominus noster, & eius
Luc. 11. 21. doctrina, est ille *Fortior qui superueniens forti armato, & sua in pace possidenti, vicit eum, & vniuersa arma eius abstulit, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit*; & ipse post-
Ephes. 4. 8. modum *ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, ac dedit dona hominibus.* Christi enim Doctrina, vsque adeò fortis ac robusta est, vt omnes inferorum portæ, omnia castra, & arma diaboli, Mundi, carnis, peccati, & mortis, & inferni, nihil possint, tàm aduersùs illam, quàm aduersùs eos omnes, qui eidem ex animo, & ex
1. Pet. 5. 9. corde adhærent, diabolo autem, & gregalibus eius *resistunt fortes in fide.* Quibus B. IOANNES scribens, ait.
1. Ioan. 2. 14. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum DEI*
1. Ioan. 4. 4. *manet in vobis, & vicistis malignum.* Neque id mirum, quoniam vt idem IOANNES testatur, *Vos ex DEO estis, filioli, & vicistis eum* (*Mundum*) *quoniam maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.* Addit autem Zacharias, *Liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitiâ.* Iste nimirum est scopus, addo & fructus, totius tum Incarnationis, tum prædicationis Dominicæ, vt scilicet, absoluti ab omni seruitute peccati, & Tyrannide diaboli, toti ad DEVM conuersi, imò per Christum Diuinæ consortes Naturæ

turæ facti, non iam sinamus regnare peccatum, aut vllam immunditiam in nobis, sed serui facti Iustitiæ atque sanctitatis, & veritatis, in eadem seruiamus illi, dicente Christo Domino ipso. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Ioan. 4. 23. *Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum: Spiritus est DEVS, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Quod ipsum PAVLVS explanauit ita scribens. *Apparuit gratia DEI Saluatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem.* Tit. 2. 11. Nimirùm ita decet, atque necesse èst, vt viuant omnes eruditi, à Domino IESV Christo, *in quo elegit nos DEVS, ante mundi constitutionem,* Eph. 1. 4. vt eruditi ab ipso, & renati in ipso, *essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate,* Rom. 13. 10. quæ est *legis, & iustitiæ omnis plenitudo:* vt PAVLVS ait. Etenim Domino nostro displicet, si quis ex auditoribus, ac fidelibus eius, inueniatur sine plenitudine tum legis, tum fidei, tum maximè dilectionis. *Christus doctrinâ supergrediēte omnium doctrinarum præstātias, excellentissimus.*

Non est quoque prætermittendum, quod Zacharias cecinit, Christum suo aduentu atque doctrinâ, id acturum perfecturumque, vt seruiamus illi, *in sanctitate, & Iustitiâ coram ipso,* quod quidem non obiter pensabit, quisquis sibi ob oculos proposuerit, Dominum nostrum IESVM Christum arguentem grauiter, & monentem seriò, & terrentem minaciter vnum aliquem ex seruis suis. Luc. 1. 35. *Scio* (inquit) *opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena, coram DEO meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age: Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te.* Apoc. 3. 2. Iuxta hanc ergò Domini sententiam, grandis necessitas nobis incumbit habere plenâ operâ, seu, quod idem est, seruire Domino in sanctitate & iustitiâ coram ipso. Quid est autem coram ipso? nisi fallor illud est, quod Abrahæ

dixit

Excell. 19. dixit DEVS. *Ambula coram me, & esto perfectus*, vel illud:
Ioan. 12. 25. *Qui mihi ministrat, me sequatur*, vel illud: *ambuletis dignè*
Colos. 1. 10. *DEO, per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes,*
Matt. 11. 29. *& crescentes in scientiâ DEI*, vel illud: *Discite à me, quia*
mitis sum, & humilis corde: Exemplum enim dedi vobis, vt
Ioan. 13. 15. *quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; vel illud: *Manete*
in me, & ego in vobis, quia sine me, nihil potestis facere, vel
Ioan. 15. 5. illud: *Non erat ei opus interrogare de aliquo, ipse enim scie-*
Ioan. 2. 25. *bat, quid esset in homine*; vel illud: *Vt possitis stare coram fi-*
Luc. 21. 36. *lio hominis, cum venerit rationem ponere vobiscum, quibus di-*
Luc. 19. 13. *xit: Negotiamini dum venio, & vnicuiq; redde* (dicet) *ratio-*
Luc. 16. 2. *nem villicationis tuæ*; vel illud: *Cum oras, intra in cubicu-*
Matt. 6. 6. *lum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum: & Pater tuus,*
Matt. 28. 20. *qui videt in abscondito, reddet tibi.* vel illud: *Ecce ego vo-*
biscum sum, vsq; ad consummationem sæculi; tàm immensi-
tatis & cognitionis præsentiâ, quàm adiuuante vos
omnipotentiâ, quàm dignatione Sacramentalis Euchari-
sticæque commorationis, quàm interuentione meorum
pro vobis, apud Patrem meritorum, quàm causæ vestræ
Matt. 10 20. simul cum meâ communicatione. *Non enim vos estis*
Luc. 21. 15. *qui loquimini, sed spiritus Patris vestri: Ego enim dabo vobis*
os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij
vestri. Vel denique, *Coram ipso:* quia siue agamus, siue
patiamur, omnia propter ipsum, omnia coram ipso,
omnia quasi ille esset ipse; quomodo persequenti suos,
Act. 9. 5. Saulo dixit: *Quid me persequeris?* & quomodo patiente
Act. 7. 77. STEPHANO, IESVS *stetit à dextris virtutis DEI*, tanquam
& ipse pugnans in milite suo, aut coronam parans mi-
Matt. 5. 11. liti suo. Propter quod omnibus suis edixit: *Beati estis,*
cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint
omne malum aduersùm vos mentientes, propter me: gaudete,
& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

Ad extremum adiecit Zacharias clausulam, prædi-
ctioni suæ atque prædicationi Domini nostri Doctrinæ:
quia secundùm regulam Doctrinæ huius, ambulandum
& seruiendum est Domino, *in sanctitate & iustitiâ co-*
ram

ram ipso, omnibus diebus nostris. In quâ clausulâ non puto Prophetam sanctum respexisse, ad dies solùm vitæ, vel eorum qui simul conuiuebant: neque tantùm ad dies credentium in Christum ex Iudæis, aut Israëlitis, sed respexit ad dies omnium fidelium, ex omnibus populis & gentibus, quæ in Christum erant credituræ, & doctrinam eius recepturæ: respexit etiam ad dies omnes excussuros à Christo, & à prædicationæ Doctrinæ, aclegis ipsius, vsque ad extremos sæculi mundique fines. Omnes enim isti dies sunt nostri, sunt (inquam) hominibus omnibus destinati ad hoc, vt omnes sine timore de manu inimicorum suorum, virtute, meritis, & Doctrinâ Christi liberati, seruiant illi in sanctitate & iustitiâ coram ipso, omnibus diebus suis, secundùm quod etiam PAVLVS alicubi monet: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* quin & Dominus ipse. *Adhuc (ait) modicùm est lumen in vobis, ambulate, dum lucem habetis: ne vos tenebræ comprehendant. Venit nox, in quâ nemo operari potest.* Omnes ergo sine timore seruiamus in sanctitate & iustitiâ coram Domino, omnibus diebus nostris. Partim quia hi soli Dies dati sunt nobis, (vt dixi) ad operandam in eis salutem nostram: qui cum præterierint, ingruet nox & operatio cessabit, & repentina superueniet egestas, & claudetur ianua. Partim quia Doctrina Christi diebus istis, & omnibus, & solis permanebit, operabitur, & proderit ad salutem. Permanebit enim virtus eius, ad saluandos nos homines, & simul etiam necessitas & obligatio hominum ad obseruationem illius, vsque ad finem huius sæculi, seu mundi, vltrà hoc autem, sicut non erunt dies operationis, ita nec erunt dies, secundùm hanc doctrinam operationis. Ab initio mundi, fuit Lex & Doctrina Naturæ: ista expectauit & accepit successionem Legis & Doctrinæ, per Moysen datæ seu scriptæ. Hæc quoque cum obligationes quidem multas imponeret, auxilium verò ad eas implendas aut nullum, aut parcè exhiberet, *egenis* & sterilibus

Christus doctrinâ supergrediete omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

Ad Gal. 6. 10. Ioan. 12. 35. Ioan. 9. 4.

Gal. 4. 9.

Hebr. 7. 18. Hebr. 9. 9. Hebr. 10. 4. Excell. 19. Dan. 2. 44. Hebr. 13. 8.

elementis comparata est, *propter infirmitatem, & inutilitatem suam*, & quia *non poterat iuxta conscientiam, perfectum facere seruientem: impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*, & propterea etiam accepit partim abrogationem in ceremonijs, partim successionem in sacrificijs, partim perfectionem & adimpletionem in vitæ, morumque præceptis: & hoc per Christum, atque hæc est Lex gratiæ, quæ & præcipit, & adiuuat efficaciter ad implenda ea, quæ præcipit, quemadmodum vitis, quæ & palmites germinat, & palmitibus vitam, virtutemque ad proferendos fructus subministrat. Huic Christi doctrinæ, vel (vt Daniel loquitur) Regno, successio nulla est in hoc mundo, *sed in æternùm non dissipabitur, & alteri populo non tradetur.* Nam Dominus IESVS *heri, & hodie: & ipse in sæcula*, & *regni eius non erit finis.* Tentarunt quidem & antiquitùs, & deinceps, & recentiùs subintroire, & nunc subintrant plurimi, introducere in Ecclesiam Christi, noua & noua dogmata, nouos & nouos Christos, & noua Christi inchoare regna, noua ouilia, nouas Ecclesias acephalas, inuisibiles, chymericas, DEVM peccatorem, & diabolo peiorem, ad peccata cogentem, & nihilominùs ea subdolè prohibentem, tyrannicè verò castigantem, cum diabolus tantùm pelliciendo ad peccandum inducat, nec nisi iussus puniat, asserentes atque adorantes, Patrem æternùm, ab æterno sterilem, Filium Patri degenerem, patris nihil habentem, ex non ente factum aliquid Spiritu carentem, Spiritum sanctum inanimatum, vento nihil meliorem, & quid non? de DEO blasphemantes, prætermitto alia: non enim mihi negotium, cum his in præsenti est, tantùm dico: frustra eos esse, frustra niti; nam in Doctrinâ Christi, neque vnum iota, neque apicem vnum mutare, aut abolere vnquam potuerunt, possunt, poterunt. Habent experientiam omnium à Christo sæculorum, in omnium primis Patriarchis suis Nicolaitis, vsque ad semetipsos hodie pariter insanientes, & insanire

nire facientes, *circumeuntes mare & aridam, vt faciant vnum proselytum: & cum fuerit factus, faciunt eum filium gehennæ duplò, quàm se.* In his impletur, & impleri necesse est anathematizmum, à PAVLO eis impositum dicente. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, prater quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Vtinam velint aliquando cum Sanctâ Ecclesiâ sapere ad salutem sibi! Porrò nobis Ecclesiæ filijs curæ sit, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus DEO nostro Christo, in sanctitate, & iustitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris, de cuius Doctrinæ rectitudine, atque sanctitate, hæc quidem nunc sufficiant.

Matt. 23. 15.

Galat. 1. 8.

Christus doctrinâ supergrediẽte omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

Septima conditio, & proprietas Doctrinæ Domini nostri, quod sit omnium doctrinarum, rectique omnis regula, & amussis, cui si quæcunque dogmata, auctoritates, sententiæ, canones, axiomataue non consentiant, eò ipso falsa, erronea, aut etiam pernicioſa sunt: sin verò ei conformia sunt, hoc ipsum eis ad approbationem, rectitudinemque sufficit. Hinc dicebat Dominus. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit*; inde etiam PAVLVS, proximè relatus omnia dogmata, vel ab ipsis per impossibile Angelis de cælo asserta, Christi Doctrinæ dissona, anathematizat. Inde quoque innumeræ, id est omnes Hæreticæ doctrinæ, & schismaticæ dissensiones, ad vnius soliusque Christi Doctrinæ, examen, per Sanctam Ecclesiam, tanquam per columnam & firmamentum veritatis adductæ, reprobatæ, contritæ, atque damnatæ sunt. Nimirum, Doctrina Christi. Doctrina veritatis & Sapientiæ, & quidem primæ ac substantialis est, cui proinde nec subesse, nec conformari vlla falsitas potest, sed neque vllum verum ab eadem potest dissentire.

Luc. 11. 23.

Galat. 1. 8.

Octaua conditio Christi Doctrinæ, est admirabilis, planèque ineffabilis consensio omnium eius partium,

Excell. 19. articulorum, assertorumque ineffabilis nexus, & vnius ab altero dimanatio, vnius in alterum reciprocus regressus, vnius ab altero firmitas & constabilitio, mutua, & veluti condita, conuocataque, in errores seu contraria dogmata conspiratio. Ista proprietas Christi Doctrinæ (quæ nulli alteri inest, sed omnes tum erroribus, tum falsitatibus, tum contradictionibus, tum absurdis scatent, redarguunturque impossibilibus, neque consistere aut defendi aliter, quàm pertinaciâ possunt, aliâs enim confutata & conuicta deseri, secundùm rationem debent,) ista inquam Doctrinæ Christi proprietas adeò stupenda est, & indubitata veritatis illius testis, vt seclusis omnibus alijs, de illius veritate ac sinceritate attestationis, sola hæc sit satis ad euincendum quod Diuina sit, quod à verâ DEI Sapientiâ adinuenta, quod à vero DEO tradita. Nulla enim puræ creaturæ, sapientia sufficere potest suis viribus, & suâ capacitate, ad tantam, tot, tantarumque veritatum, adinueniendam, consociandam, colligandamque multitudinem, cum adeò infallibili certitudine, certitudinisque euidentiâ, ac necessitate. Sola est Sapientia DEI, quæ est Dominus noster JESVS Christus, qui hanc Doctrinam, ex visceribus Diuinitatis, & ex ore Altissimi haustam, deduxit de cælis in terram, & tradidit generi humano, per semetipsum quidem primò, deinde per illos quos ipse ad hoc magisterium, idoneos non inuenit sed fecit, implens eos Spiritu sancto, qui docuit eos omnem veritatem, & docere fecit omnem, quæ sub cælo est nationem. In quâ doctrinâ Domini, adeò imma summis, adeò extrema primis, media vtrisque, facillima difficillimis, naturaliter nota naturalem notitiam euincentibus, speculatiua practicis, clarissima obscurissimis, minima maximis, cohærent, concatenataque sunt: vt incohærentiæ, aut inconsequentiæ, aut erroris, aut falsitatis, aut absurdi, aut impossibilitatis argui, conuinciue nihil possit, & potiùs impugnatio, siue impugnans ratio suam prodat, atque

argua

arguat falsitatem, vel inscitiam, quam in Doctrinâ Christi, aliquam ostendat imperfectionem, aut notam.

Ephes. 1.12. Christus doctrinâ supergrediẽte omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

Nona conditio Doctrinæ Christi, quia excedit transcenditque in immensum, sapientias omnes humanas, siue Theoricas, in solâque intellectûs cognitione sitas, siue Practicas & Morales, atque voluntatis informatrices, perfectricesque. Quæ vnquam scientia humana, attigit vnum in Essentiâ, trinum verò in Personis, seu suppositis DEVM? quæ humana scientia, attigit vnquam Personarum in DEO seriem, ordinem, processiones, processionum modum, numerum, & procedentium? quæ scientia assecuta est coæqualitatem, consubstantialitatem, coæternitatem Personarum in DEO, quomodo nec Genitor genito prior, nec genitus genitore posterior, nec spiritus inferior spirantibus, & spirantes duo spiratione autem ambo vnus, vnica & eadem spiratione, vnum spirant Spiritum Sanctum, sibi consubstantialem atque coæternum? Quæ scientia cognouit à naturâ completâ hypostasim distingui, & naturam posse suâ propriâ hypostasi priuari, alienâ autem subsistere? Quæ scientia cognouit, accidentia à subiecto suo posse separari, & per se subsistere absque vllâ substantiâ? Quæ scientia cognouit duo corpora quantitate prædita, penetrare se, ac in vno eodemque loco esse posse, vnum corpus in plurimis locis esse posse, & indiuisibiliter totum in toto, totumque in qualibet parte? Venio ad moralia, quæ scientia cognouit ordinem naturalem, atque supernaturalem, temporalem & æternum. Naturæ, Gratiæ, Gloriæ? Finem vltimum, Beatitudinis æternæ, & media, & auxilia, & impedimenta ad ipsam? Cui Ethicæ, atque de virtutibus scientiæ, venit in mentem Doctrina Christi de Beatitudinibus octo, de dilectione inimicorum, de condonatione iniuriarum, de benefaciendo malefactoribus, de benedicendo maledicentibus, de orando pro persequentibus? Cui Ethicæ, venit in mentem Humilitatis virtus, cum

Excell. 19. suâ perfectione & gradibus, & fundamentis eius? Quæ doctrina docuit, aut suasit Virginitatem perpetuam, & votam DEO? quæ schola docuit: *Diliges Dominum DEVM tuum, ex toto corde tuo, ex tota animâ, fortitudine viribus tuis, & proximum sicut te ipsum?* quæ schola docuit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo?* quæ schola edixit: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum facit oriri, super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & ethnici hoc faciunt?* Cuius scholæ dogmata sunt: *Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum DEI, & iustitiam eius, & omnia adijcientur vobis: Nolite ergo soliciti esse in crastinum?* Quæ doctrina edixit: *Oportet semper orare, & non deficere. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit?* Et, *Amen amen dico vobis, quia quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Dicetis huic monti; tollere hinc, & mittere in mare, & fiet?* Super hæc Dominus docuit nos orare, dicens, sic orabitis. *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terrâ. Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie; Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, Amen.*

Luc. 10. 27.
Matt. 19. 21.
Matt. 5. 48.
Matt. 5. 44.
Matt. 6. 31.
Luc. 18. 1.
Matt. 7. 7.
Mar. 11. 24.
Mar. 11. 23.
Matt. 6. 9.

Jstâ Dominicâ Oratione, nihil in orationum genere, est, esseuè potest perfectiùs, & absolutiùs; Digna oratio, quam ipsa Sapientia Increata, Incarnataque per os suum Sacrosanctum eructaret. Huic orationi, nihil addi potest ad petendum à DEO, quod iam hic conclusum non sit. Estque hæc Oratio, verè grande miraculum in Doctrinâ

ctrinâ Christi, quod in tanto compendio complectatur omnia, quæcunque à DEO dignè peti possunt, & neque addi, neque adimi quidquam ei potest. Hactenus certè nemo sapientium, nemo Sanctorum, piorumq; quidquam reperit, quod orationi huic Dominicæ superadderet, tanquam in ea desideratum, & non contentum. Digna oratio (iterum dico) quam Christus doceret, digna, quam omnis Christianus super aurum & topazium æstimet, super mel & fauum reguſtet, super balsamum & omnia thymiamata DEO, in odorem suauissimum incendat, ad omnes respirationes aspirationesque suas, siue integrè, siue particò pronuntiet. Nunquam enim hæc oratio frustra dicitur, sed semper exauditionem habet, si in nomine Saluatoris oratur. Ad extremum verò, quæ doctrina tantam omnium virtutum perfectionem, tantam sanctitatis plenitudinem, tantam perfectionis varietatem & sublimitatem docuit, & in hominum mores induxit, & hucusque tantâ cum multiplicatione propagauit? quæ denique doctrina de saluando, redimendo, restaurando genere humano, de modo, de pretio cogitauit? quæ inuenit & ostendit, Gloriam in Cruce, vitam in morte, salutem in peccato? Ista, & infinita similia, quantæcunque sapientiæ humanæ, in mentem nè per somnium (vt aiunt) venerunt. Christi autem doctrina, plenissima his est, quin imò his tota constat, & ad hæc omnes, partim sub promissione æterni præmij obsequentes, partim sub interminatione æterni supplicij, transgressores & negligentes ducit, quod item vtrumque solius est proprium, soli debitum Doctrinæ Christi. Propterea

Christus doctrinâ supergrediẽtes omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

Decima est conditio, Doctrinæ Christi Domini nostri: quia illa sola est omnibus hominibus ad salutem, beatitudinemque necessaria, ita vt sine illâ, & sine subiectione ad illam, saluus esse in æternum possit nemo: cum illâ verò, & cum subiectione ad illam debitâ, perire, damnarique possit nemo. Et idcò dixit Dominus

noster.

Excell. 19. noſter. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego*
Ioan. 12.26. *ſum, ibi & miniſter meus erit;* & rursùm. *Ego veni, vt*
Ioan. 10.10. *oues meæ vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et, *Qui*
Mar. 16.16. *crediderit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.*
Grandis reuera, & incomparabilis conditio atque prærogatiua: quæ etiam exigit, imò præſtat, vt emanet.

Vndecima prærogatiua atque conditio, vt nimirum Doctrina hæc perſeueret, quam diu humanum genus in hoc mundo perſeuerat; vt omnes homines in hunc mundum venientes, habeant lumen vitæ, quo illuminentur, habeant Matrem, à quâ & concipiantur & parientur, & educentur, & nutriantur, & manu ducantur per viam peregrinationis iſtius à Domino, vſque dum perueniant ad Patriam, vt quoque habeant, à quo ab ignorantijs, & erroribus expediantur, à vulneribus & morbis ſanentur, à captiuitate & ſeruitute eliberentur, in luctu & miſerijs conſolentur, in laſſitudine & laboribus reficiantur, in agonibus & certaminibus animentur & adiuuentur, in victorijs denique coronentur. Quod vtique ſola Chriſti Doctrina præſtat, & ſi hæc non præſtiterit, nulla ſupereſt alia quæ præſtet. Inde ſurgit.

Duodecima conditio, atque prærogatiua eiuſdem doctrinæ, quod ſit mirabilis, & attemperatiſſima ad omnes ætates, ſtatûs, ordines, ſexus ingenia tempora, tanto quidem artificio, tantâ dexteritate, vt ſine vllâ dubitatione, ſolius ea neceſſariò ſit Sapientiæ DEI. Nullus enim intellectus, tantæ induſtriæ eſſe potuit, qui tam alta, tam profunda, tam abdita, tam implexa, tam difficilia, tam varia, tam multiplicia, tam à vulgi ſenſu, & captu, & conſuetudine remota, ac aliena, tam mira, tam carni ſenſuique, tam voluntati propriæ ſe, ſuaque amanti, curanti, tuenti, naturæ præſertim corruptæ, & lapſæ, & prauitatibus innutritæ, inimica, ita aptè, ita rotundè, ita candidè, ita ſecundùm communem loquendi, & intelligendi modum ſingula complecti, efferre, ſuadere, perſuadereque ſciuerit, & potuerit: nemo vt

ſit,

sit, cui non adæquetur, & accommodetur, tum rerum quæ proponuntur conceptio, tum verborum & sententiarum, quibus res traduntur elocutio, tum similitudinum, quibus assertiones explanantur euidentia, & irrefragabilis conuictio, tum denique profundissimarum veritatum, in planum & apertum deductio, quâ fit, vt & simplices planissimè veritatem doctrinæ capiant: & sapientes eius profunditatem minimè peruadant, ambulent Agni, tanquam in vado, natent Elephanti, tanquam in abysso, eò quod vna eademque, & sit humilior infimis, & altior summis, salutaris humilibus, periculosa præsumentibus. Atque hinc facilè perspicitur.

Christum doctrinâ supergredièt omnium doctrinarum præstātias, excellentissimus.

Decima-tertia conditio Doctrinæ Dominicæ, quod nimirum solùm DEVM-Hominem, solam Sapientiam, veritatemque Incarnatam, habere potuerit, ab eâque ipsâ hominibus tradi, proponique debuerit. Tanta enim Doctrinæ huius maiestas, opus habuit maiore, quàm puro homine, doctore & auctore. Tanta quoq; eiusdem salubritas atque efficacitas, & vsque ad æternam pertingens vitam, nonnisi verum DEVM & Hominem, habere debuit auctorem, atque propagatorem. Est enim Doctrina ista, fundamentum salutis humanæ, est radix immortalitatis, est debellatrix omnis erroris, stultitiæ, malitiæ, ac imprimis peccati, & eius inuentoris diaboli, est fons vitæ æternæ, lumen indeficiens, turris fortitudinis à facie omnis inimici, & horreum abundans salute, atque beatitudine in omnem æternitatem, quæ omnia non sunt humanæ scientiæ, aut virtutis, sed solius DEI-Hominis, & Sapientiæ Incarnatæ, Domini Nostri IESV Christi, qui in suo ad nos in terras aduentu, compleuit abundantissimè, quod olim per Prophetam promiserat Ecclesiæ suæ. *Lætamini* (ait) *cum Ierusalem, & exultate in eâ omnes, qui diligitis eam, gaudete cum eâ gaudio vniuersi, qui lugetis super eam, vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius: vt mulgeatis, & delitijs affluatis ab omnimodâ gloriâ eius. Quia hæc dicit Dominus, ecce* *Isa. 66. 10.*

Excell. 20. Christus doctrinâ supergrediẽte omnium doctrinarum præstãtias, excellentissimus.

ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis, ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui Mater blandiatur, ita ego consolabor vos.

Decima-quarta deniq́ conditio Doctrinæ Christi est, quod mundet & purificet Animas & corda, & conscientias credentium, ita testante ipsomet Domino nostro. *Iam vos* (ait) *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Sicut enim aqua sordes abluit, sicut ignis ferrum, argentum, aurum purgat, sic sermo Domini mundat conscientias, ab omnibus inquinamentis. Nam dum intrat corda, & ab eis assensum fidei, & obedientiam charitatis obtinet, purgat illa & excoquit ab omnibus peccatis, vitijs, erroribus: efficitq́ illa munda, sancta, DEO grata, vsq́ adeò, vt inhabitentur ab ipso, non secus ac Principes in suis palatijs gaudent inhabitare, quâ in re Dominum stipulatorem habemus, dicit enim. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hoc nullius Doctrinæ sermo, nisi Diuinus sit, præstat. Nullus Doctrinæ Diuinæ sermo, si ei obediatur, non præstat: propterea discipuli dicebant Domino docenti. *Verba vitæ æternæ habes,* & PAVLVS ait: *Viuus est sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Superest vt agnoscentes nos, istiusmodi gratiam Doctrinæ super nos, per Dominum nostrum IESVM Christum effusæ, veneremur Doctrinam hanc, & auctorem eius: glorificemus sapientiam illius, & laudemus veritatem eius, & magnificemur in potentiâ virtutis ipsius. Sit hæc gratia, & gratiarum actio, & remuneratio beneficentiæ illius, quia Verbum Doctrinæ ipsius, non erit sterile, nec infructiferum vnquam in nobis, sed potiùs afferet ei semper desiderabilem fructum, non tantùm triceſimum, aut sexageſimum, sed etiam centeſimum, & vltrà. Sit hæc consolatio Bonitatis, atq́ue veritatis Christi in nobis, & ex nobis, quia

Ioan. 15. 3.

Ioan. 14. 23.

Ioan. 6. 69.

Hebr. 4. 12.

sermo

sermo doctrinæ ipsius *capit in nobis*, viuit, & crescit, & confortatur in nobis. *Illa enim est lignum vitæ his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus.* E contrà autem, *vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia* DEI. *Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia, & Doctrina Christi, in nihilum computabitur.* Omnis enim qui talis est, *euanescit in cogitationibus suis, & obscuratur insipiens cor eius, & dicens se esse sapientem, stultus efficitur, & in reprobum sensum, atq; in desideria erroris traditur. Ipse autem Dominus noster* IESVS *Christus, &* DEVS, *& Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratiâ, exhortatur corda nostra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.*

Ioan 8. 37. Prou. 5. 18. Sap. 12. 1. Sap. 9. 6. Rom. 1. 12. Ibid. ℣. 28. Ibid. ℣. 24. 2. Thess. 2. 15.

EXCELLENTIA XX.

Solus Christus est completum Exemplar, Doctrinæ suæ.

VIGESIMA Excellentia Domini Nostri, supra Creaturas omnes est, quia ipse solus est perfectissimum Exemplar eius Doctrinæ, quàm inter nos viuens nobis tradidit, & post suam in cælum Ascensionem, per suos Discipulos tradi mandauit, vsque ad finem mundi, & in omnes Gentes.

Tanta est enim Doctrinæ Christi Domini Sapientia atque altitudo, tanta à communi huius vitæ sensu, atq; ratione sublimitas & remotio, tantus in eâ, vel intellectu apprehendendâ, vel amoris desiderijque affectu prosequendâ, vel opere effectuque ipso perficiendâ, labor, vt nisi vel adfuisset, vel adesset, insigne quoddam, viuumque, & adæquatum eius laboris, operisque exemplar ac idea: cui non minùs plenè, quàm solidè, ac securè, ab omnibus insisti posset ac deberet, exiguum aut etiam nullum esset operæ pretium, siue docendi, siue discendi Doctrinam hanc.

Excell. 20. Opus igitur erat huius Doctrinæ exemplari, & attentâ eius eminentiâ, opus erat exemplari, per omnia sublimi & perfecto, ac proinde Diuino, seu ipsiusmet Christi DEI-Hominis. Accedebat illud, quod tam verè, quam vulgò dicitur, longum sit iter per præcepta, compendiosum autem & breuè, simulque expeditum ac facilè per exempla. Facilè enim traditur atque discitur id, quod exhibitione exempli, factibile demonstratur: è contra verò segniter animus ad illud exequendum accenditur, quod &si audiendo, vel discendo admiratur, an tamen, & quomodo perficiendum sit, exemplo non informatur, & non inflammatur. Eam obrem Dominus noster IOANNI præcursori suo, plenam officij sui laudem assignare volens, dixit de illo, IOANNES

Ioan. 5. 35. erat *Lucerna ardens, & lucens.* Lucens verbo doctrinæ, ardens exempli & operis igne, fuisset enim aliâs tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum, ardere autem & simul lucere erat perfectum. Id ipsum etiam Dominus IESVS in semetipso exhibuit, prout de illo scri-

Act. 1. 1. bit Euangelista, dicens. *Cœpit IESVS facere & docere.* faciebat enim quæ docebat, & vicissim docebat quæ fa-

Matt. 23. 3. ciebat: non sicut Scribæ & Pharisæi, de quibus Dominus ipse dixit. *Dicunt enim, & non faciunt, alligant onera grauia, & imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo, nolunt ea mouere.* Dominus autem non sic: sed ait.

Ioan. 12. 15. Ioan. 15. 22. 24. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis.* Et aliâs ait. *Si non veniſſem, & locutus fuissem eis: peccatum non haberent; Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Igitur & necessarium fuit, & exhibitum est exemplum Doctrinæ suæ à Christo Domino. Quo quidem peculiariter indigebat Dominica Doctrina, propter peculiarem quoque conditionem, (& vt sic loquar) Naturam, indolemque suam, simul verò & propter hominum ad huius doctrinæ, tum percipiendam, tum verò maximè perficiendam virtutem, sibi innatam inueteratamq; hebetu-

hebetudinem. Quod vtrumque, vt commodè percipiatur, deducendum videtur ex quibusdam principijs, apud nos quidem homines vulgò vsitatis, non perinde tamen in animaduersione positis; cuius quidem animaduersionis defectu, admodum perniciosè, maxima pars humani generis etiam Christiani laborat.

Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Primò: Omnis homo, naturaliter bonum desiderat, in eoque suam beatitudinem statuit, si habeat bonum quod appetit.

Secundò: Omnis item homo compositus est, ex Corpore & Animâ; Corpore sensuali materiali corruptibili; Animâ immortali spirituali immateriali.

Tertiò: Iuxtà vtramque hanc suam partem, omnis homo appetitus habet diuersos. Habet enim appetitum sensitiuum, quo appetit bona corporis & sensuum, bona materialia, sensibilia, delectabilia, corpus & sensus eius mulcentia, oblectantia, vel talibus seruientia. Habet etiam appetitum rationalem, qui vocatur voluntas; hæc libera est, sed per se cæca, & quid boni appetat nescit, sed ab Intellectu formatur, & velut oculo atque lumine ducitur, ad hoc, illudue bonum appetendum.

Quartò: Hic appetitus rationalis, seu voluntas hominis, naturâ quidem suâ, appetit bona etiam rationalia, spiritualia; attamen propter connexionem Animæ rationalis, cum carne & sensu, appetit etiam bona corporis, bona huius vitæ, bona terrena.

Quintò: Quoniam homo in hoc visibili mundo, terrenam inhabitationem, vitamque mortalem habet, ac viuit: ideò vicinus est, & planè positus inter bona corporis & sensûs, inter bona terrena, inter voluptates, & inter ea, quæ illi seruiunt ad voluptates, & ad sensuum oblectationes. Et licet in eiusmodi bonis quærendis, acquirendis, possidendis, conseruandis, augendis, tuendis, vtendisque, plurimas, & maximas experiatur difficultates, atque pericula, tàm corporis ipsius, quàm etiam animæ, quia tamen vicina, & quasi in manibus

Excell. 20. sunt bona ista, & vsus eorum in præsenti est, idcircò homines tàm corporali, quàm rationali appetitu, addictissimi sunt hisce bonis, & ad conquisitionem eorum, vsumque si adsint veluti cæco impetu, difficultatumq;, ac periculorum neglectu feruntur, & ruunt, eis maximè capiuntur, delectantur, de ijs maximè libenter, delectabiliterque cogitant, loquuntur, satagunt: in ijs curandis ingenioſi, acuti, artificioſi, cauti, animoſi, & fortes sunt: bonorum Animæ seu Animi, præsertim spiritualium & æternorum, quæ vera bona, & potioris hominis partis, propria sunt, supinè incurij, obliti, neglectores, contemptores, quin etiam sæpè incapaces.

Sextò: Quamuis homo quoad Corpus, & sensus, quoad bona corporalia, ita se vt prædixi habeat: est nihilominùs etiam illi à DEO, non minùs benè, imò longè ampliùs, & meliùs prouisum de bonis Animæ, Animique etiam in hac mortali vitâ.

1. Non est secundùm Animæ portionem rationalem, arbitriumque liberum, ita abiectus ad terrena, carnalia, bruta, & corruptibilia, atque soli sensui grata: sic enim esset homo brutus & belluinus, quod absit cogitare; cùm etiam gentilis homo dixerit. *Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt fiam corporis mei mancipium:* aliùs verò ait. Pronaque cum spectent animalia cætera terram,

Os homini sublime dedit, cælumq; tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Potiùs ergò secundùm eam partem sui, vt potè dignio-rem, quia spiritualem, immortalem, liberam, dominam sui, & dominij super interiora capacem, eoque etiam in suum corpus, eiusque tàm partes, quàm affectiones, & sensus prædictam, honesti, decori, æqui, & iusti, rectique cognitricem, ac amatricem, prædictus est homo similitudine, atque imagine DEI creatoris sui: per quam habet vt cognoscat, amet & appetat DEVM, eumque
Rom. 1. 20. sequatur, & perscrutetur in rebus creatis. *Quoniam inuisi-*

inuisibilia DEI *per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus, & Diuinitas.* Per eandem imaginem DEI sui habet homo, vt non solùm corporis & sensûs bona cognoscat, & corpori amet, aut quærat, sed etiam bona rationis, bona spiritûs, bona immortalitatis rationalitati suæ, & imagini in se Diuinæ proportionata Ad qualia bona cognoscenda, & amanda, & quærenda, possidendaque, habet discretionem boni & mali: honesti & inhonesti, liciti & illiciti, debiti indebiti. *Signatum est enim super nos lumen vultûs Diuini,* qui & dedit lætitiam in corde nostro: quod lumen, est verum, & totum bonum nostrum, & non est corporale lumen, quod cum culicibus & muscis commune habemus, sed est lumen spirituale, est lumen cordis, lumen lætificans cor, & ideò dixit Propheta, *dedisti lætitiam in corde meo,* vt sciat homo, intûs, & in corde, & spirituale esse lumen suum, quo illum dirigi oportet, quo etiam illi ostenduntur vera bona, vt non sit opus ei dicere, quod tamen multi stulti, & iniqui, carnales, & qui solùm terrena sapiunt, solent dicere, *quis ostendit nobis bona?*

Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Psal. 4. 7.

Ibid.

Ibid. V. 6.

Ab istâ quoque imagine, & ab hoc lumine, vultûs DEI, habet homo, vt bonus esse, hoc est, rectè, & honestè, velit possitque viuere: Lumen enim illud, & Imago illa, atque lætitia cordis, est illi Lex, & regula, benè, recte, honestè, debitèque viuendi & agendi: Cui regulæ atque legi, si obsequitur in agendo & viuendo, manet homo iustus, rectus, bonus, imagine DEI, & ipso DEO dignus, eiusque fruitione ac possessione Beatus.

Et hoc enim ab Imagine Diuinâ habet homo, vt capiat, & cupiat beatitudinem; & ad eam benè viuendo, ac agendo legemque sibi positam, & in corde scriptam seruando, contendat. Non enim prodest benè viuere, si absit beatè viuere, abest autem beatè viuere, si non sit, si non vsque in finem præcessit benè viuere. Idcircò priùs homini, incumbit benè viuere, & in finem seruа-

seruatur ei beatè, ac in æternùm viuere, quemadmodum operario priùs conuenit laborem absoluere, & athletæ priùs in agone vincere, postea verò & mercedem laboris, & coronam victoriæ accipere. Propterea homini lex est primùm imposita, vt secundùm illam benè viuat: & posthæc beatitudo promissa, si ad normam legis viuet. Inde vitæ bonæ hoc præsens, & finem habens sæculum, assignatum habet homo, futuri autem sæculi, æternitatem beatitudini habet repositam, vt videns labores quidem suos, tempus habere valde breue ac plane vt loquitur Apostolus, momentaneum, præmia verò & coronas laborum, per totam æternitatem sine fine duraturas esse: animetur, accendaturque homo, ad fideliter, constanter, infatigabiliter in hac totâ vitâ bene, & iuxta legem omnem DEI viuendum, atq; pro vitâ & Beatitudine Æternâ laborandum, in mente versans semper illud Apostoli, *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Itemque illud eiusdem non tantùm monitum, sed etiam exemplum. *Propter quod non deficimus, sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intùs est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, suprà modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Igitur, *Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Excell. 20.

Rom. 8. 18.

2. Cor. 4. 17.

Gal. 6. 9.

Quia verò (vt suprà notaui) homo ex Corpore & Animâ compositus est, ideoque necesse habet, & corpoream, & Animæ rationalis vitam viuere, atque in se tueri: Et quia Corpus ita Animæ coniunctum est, sicut ignobilius Nobiliori, sicut seruus Domino, sicut iumentum possessori, sicut instrumentum artifici, sicut adiutorium ei, qui opus habet illo: inde est, vt Corpus, & omnis

omnis eius functio, & actio, sic debeat adesse Animæ, vt etiam debeat subesse, eique auxilio & ministerio esse, ad omnes functiones eius, quarum summa est, benè, id est, *sobriè, & iustè, & piè, viuere in hoc sæculo*, iuxta rationis lumen, & legem, voluntatemque DEI, ideò totum hominis in hoc sæculo viuentis officium, atque negotium, & labor, & lucta est: vt Anima subsit gubernanti, atque imperanti DEO, tanquam Creatori, Rectori, Domino, Superiorique suo, ipsa verò præsit ac dominetur corpori suo, illudque ita moderetur, quatenus ei auxilio sit, non autem impedimento, ad illa quæ sunt muneris officijque, & obsequij illius ad DEVM, quæ inquam sunt Diuinæ voluntatis, quæ rectæ & honestæ Rationis, quæ sunt sobrietatis, iustitiæ ac pietatis: sobrietatis quidem & temperantiæ ad corpus, vitamque corporalem suam, iustitiæ verò ad proximos, tribuendo eis quod cuiusque est, & faciendo eis, quod sibi ab ijsdem fieri vult, non autem faciendo ijs, quod sibi fieri nolit ab illis, & illos sicut semetipsam diligendo. Pietatis porrò ad DEVM, noscendo illum, amando, colendo, voluntatem & mandata eiusdem seruando, siue exequendo: Hoc officium & negotium est Animæ, totiusque Hominis, cuius exequendi gratia & rationis, libertatisque dominium accepit in animâ, & subiectionis, obedientiæq; famulatum obtinuit in corpore.

Tit: 2. 12. Christus ob perf. ctissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Jn quo famulatu corporeo, Homo dum in statu erat primeuæ suæ innocentiæ, difficultatem, atque rebellionem corporis sensuumque, & appetituum, & membrorum suorum sensit nullam, quin potiùs obedientiam omnem, tanquam benè morati serui, & mandata Domini sui exequentis libenter, obtinuit; at posteaquam Homo rebellis factus DEO, concupiscentiæ obsecutus est carnis, sicut ipse superiorem Animam seu mentem, ab obedientiâ sui deiecit Auctoris, ita quoque mox sui cœpit tolerare inobedientiam corporis. Cœpit subitò *videre*, atque *sentire aliam legem, in membris suis repugnantem*

Rom. 7. 23.

Excell. 20. *legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati, quæ est in membris suis.* Atque ex tunc successit Homini, non solùm gubernandi, sed etiam oppugnandi carnem suam necessitas, quando non tantùm audiuit sibi dici. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* verùm etiam semper sibi audit oggeri: *Fratres, debitores sumus, non carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* Quamuis enim sine Animâ nihil caro desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumit & motus; eiusdem tamen est Animæ, ac mentis, ac per mentem Hominis, multa sibi subditæ carnis negare substantiæ, & cupiditati, interiori verò mentis, legisque Diuinæ iudicio, ab inconuenientibus, illicitisque, exteriora, & inferiora desideria frenare, vt à corporeis cupiditatibus edomitis, atque frenatis, vel (vt loquitur Apostolus,) mortificatis, sæpiùs libera, in aulâ mentis suæ Homo, diuinæ possit vacare sapientiæ, atque voluntati: vbi omni strepitu terrenarum silente curarum, & carnalium desideriorum, in lege Domini meditetur die ac nocte; & discat mandata eius, ad faciendum ea, & ascensiones disponat in corde suo, eatque de virtute in virtutem, abundans in operibus bonis, vsque dum videat DEVM Deorum in Sion.

Gen. 4. 7.

Rom. 8. 12.

Coloss. 3. 5.

Sed in hac corporis, eiusque concupiscentiæ permentem gubernatione, seu frenatione, ac mortificatione, Homo, cum suo quamuis libero arbitrio, quamuis dominandi ius, potestatemque appetitui suo sensuali habente, patitur tamen experiturque, nec paucas, nec paruas, nec breues difficultates, tum ex naturâ suâ lapsu iam sauciâ, in Intellectu quidem cæcitate, in voluntate autem malignitate, in concupiscente appetitu immunditiâ, in irascibili denique infirmitate: tum ex diabolicarum tentationum fraudulentiâ & perpetuitate, tum ex occasionum & materiæ ad lapsus inuitante, ac sæpè

prope-

propemodum cogente frequentiâ, tum ex primeuæ educationis, consuetudinis, imitationis inductione.

Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Quibus omnibus accedit (& quidem ex ipsis ijsdem magnâ parte enascens,) hebetudo mentis & intelligentiæ humanæ, ad sua, hoc est, rationalia, & spiritualia, purioraque bona cognoscenda, ad amanda æstimanda, desiderandaque eadem, ad frangendas difficultates, quibus ea ipsa circumcinguntur, velut spinarum aculeis rosæ, ad gustandam, appretiandamque eorum honestatem, puritatem, decoram, intimamque & interiorem voluptatem, insuperque remunerationis, ac præmiorum finem, ad agnoscendam quoque carnalium bonorum, & delectationum vilitatem, breuitatem, fæditatem, pernicioſitatem, & cum æternâ perditione, (ob quæ omnia & in primis ob vltimum, essent maximè contemnendæ, conculcandæ, abijciendæ, fugiendæque) exitum, imò & verissimum exitium.

Qua in re ad plenum cognoscendâ (interest enim permagni) aduertendum est, quod vterque appetitus, rationalis & sensitiuus, (quos suprà nominaui esse in Homine) appetat sua bona & semper, & assiduò, quemadmodum etiam vterque habet sibi propria. Et appetitus quidem sensitiuus, qui & carnalis, habet triplicia: 1. carnis voluptates, 2. diuitiarum & possessionum copiam, 3. Honorum, & dignitatum, & magnam sui Nominis celebritatem atque gloriam, circà quæ bona, occupatur appetitus iste, concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ, siue concupiscentiâ vanæ gloriæ, siue ambitione, & in his tribus vniuersa fundatur congeries vitiorum, peccatorum, tentationum, & perditionum. Iam verò Appetitus Rationalis atque Spiritualis, habet quoque bona sua superioribus opposita, sibi autem congruentia. 1. Devm, eiusque, ac eius operum, & beneficiorum in omnes creaturas, notitiam, tum eius laudem, & exaltationem, atque veneration em, siue cultum, & Religionem. 2. Eiusdem

DEI voluntatem, & mandata, eiusque seruitutem, & obedientiam, simulque omnium virtutum honestatem, studium, & exercitium. 3. Eiusdem quoque DEI bonitatem, adeptionem, fruitionem, beatitudinemque ex eo, & cum eo æternam. Circa hæc bona sua, appetitus Rationalis atque Spiritualis, occupatur cognitione & fide, spe, & Religione, Charitate, desiderio, & contemplatione. Ac vt tantò liberius commodius, facilius vacet, & inhæreat, carnis desideria ac voluptates, diuitiarum amorem & curam, honorum, & gloriæ ambitionem, vel diligenti studio, rationisque, ac diuinæ legis regulâ moderatur, & intrà debitum vsum coërcet: vel certè omnem horum curam, penitus resecat, eâque sibi prorsus interdicit, neque vllum sibi cum eis rebus, ijsdemque secum commercium esse sinit: non secùs ac si inter mortuos iam esset.

Excell. 20.

At, hæc virtus paucorum admodum est; eorum verò, qui corporeis victi cupiditatibus, & irretiti voluptatibus, terrenorumque bonorum illaqueati amoribus, terrena solùm sapiunt, solùm amant, solùm quærunt, in solis acquiescunt: spiritualium ac æternorum bonorum sensum & amorem exuunt, curamque aut penitùs deponunt, aut in extrema tempora momentaque relegant, & reseruant; eorum inquam infinitus, immensusque est numerus, idque non inter infideles tantùm, sed etiam inter eos, qui Christianâ professione censentur; & his enim, ea omnia quæ huic inimica sunt nomini consectari, quæ autem illi apta sunt negligere, familiarissimum esse, perpetua demonstrat experientia.

Quod quidem, magnâ dignum est tum admiratione, tum animaduersione: Etsi enim, certum est bona, siue sensûs, siue Rationis, multis esse circumsepta molestijs ac difficultatibus, quas oportet superari, antequam obtineantur; est nihilominùs etiam certum, longè pluribus, & grauioribus ærumnis, vallata esse carnis bona, quàm spiritus & rationis, est quoque certum, difficilius

conser-

conſeruari, atque etiam ipſo vſu ſui deperdi, in faſtidiumque conuerti corporis bona, quàm ſpiritus: certum eſt inſuper in vſu, & poſſeſſione, quin & in ipsâ conquiſitione, plus ineſſe ſanctæ & caſtæ voluptatis, ex bonis ſpiritualibus, quàm ex carnalibus, *quorum eſt* finis faſtidium, & *interitus, & gloria in confuſione:* Nihilominus homines ad bona ſpiritualia, cunctantes, & parciſſimi contendunt, ijſque inſiſtunt, ad carnalia verò bona (reuera minimè bona) gregatim, turmatim, pleniſſimiſque multitudinibus, & paſſibus, & hilaritatibus cæci feſtinant, nihil territi, ac nè motiquidem laboribus, difficultatibus, durationis breuitate, experimenti faſtidio, ærumnis periculisque tam præſentis, quàm futuræ vitæ. Jd quod Dominus ac Magiſter noſter enuntiauit: *Intrate* (inquiens) *per angustam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam!*

Ad Philip. 3. 19.

Chriſtus ob perfectiſsimũ ſuæ doctrinæ Exẽplar, excellentiſsimus.

Matt. 7. 13.

Porrò, id ipſum vnde, & quomodo fiat, iam videndum eſt. Igitur mens humana, cùm ſit inter naturas rationales infima, ideò conſerta corpori mortali, & ſenſibus, & ſenſualibus addicta, ijſdemque vicina & planè immiſta, quin etiam indigens: ex eò nihil perfectè, viuaciter, efficaciterque agnoſcit & apprehendit, præter iſta ipſa ſenſibilia, carnalia, & temporalia, vt ſunt honores, diuitiæ, voluptates, quæ ſuâ viſcoſitate, neceſſitate, oblectatione, vicinitate mentem deuinctam, ac ſibi adglutinatam, ſæpè etiam ſeruientem, & indulgentem (pro eo quod Ratione Spirituque mentis gubernari debuerant) habent, ac tenent, atque ſub legem peccati captiuant. Eadem mens, & ſi mens, & ſi ratione prædita, & lege tàm ſuâ, quàm Diuinâ, firmata ſublimataque, & ad ſpiritualia naturaliter erecta, atque deſtinata, eorumque auida, attamen iſta ipſa ſpiritualia, vt DEVM, eiuſq; dignitatem, Dominium, voluntatem, gloriam, beneficia, ſuam item erga DEVM obligationem notitiæ, me-

Excell. 20. moriæ, amoris, venerationis, laudis, subiectionis, virtutum quoque pulchritudinem, & bona futuræ æternæ vitæ: peccatorum quoque malitiam, fæditatem, supplicio-
rum æternitatem, perquàm languidè, obscurè, confusè, obiter, ac perfunctoriè, tanquam remota, & futura quidem sed serò, & post præuias graues, ingratasque carni, & bonis eius præsentibus, molestias, cogitat, apprehendit, dissimulat, curare negligit, differt, ac etiam conte-
Sap. 9. 15. mnit. Ita nimirum, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio, deprimit sensum, hoc est*, Ra-
Iob. 4. 19. tionem, & Spiritum, *multa cogitantem, & hi qui habitant domos luteas, terrenumq; habent fundamentum, multiplicant quærere non sua*, nec suæ Rationali dignitati congrua:
Abac. 2. 6. *& aggrauant contrà se densum lutum*, quo & grauati, & excæcati, ad lumen neque venire, neque respicere possunt. Propter quod Dominus noster, diligenter hortatur fide-
Luc. 21. 34. les suos, dicens: *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa*, extremi Iudicij, ac Mortis.

Propter hanc rerum spiritualium, à mente nostra hebetem, obesam, perfunctoriam, debilem apprehensionem, efficitur: vt eadem mens languidissimè, vel ad summùm, quasi momentaneè à spiritualibus bonis permoueatur, ad eorumque amorem, studium, curam pertrahatur, à carnalibus verò ac terrenis, non solùm multum, sed etiam valide, potenterque trahatur, teneatur, absorbeatur: ita vt qui eiusmodi necessitatem sustinent, non
Psal. 118. 25. erubescant illud fateri: *Adhæsit pauimento anima mea*, &
Psal. 43. 27. *adglutinatus est in terrâ venter noster*, tum etiam illud Euan-
Luc. 14. 19. gelicum, *Villam emi, Iuga boum emi, Vxorem duxi, habe me excusatum, non possum venire*. Et quia qualis est cognitio rei in Intellectu, talis est etiam permotio, & affectio in voluntate, quando mens nostra, circa carnis & sensûs bona versatur, quoniam ea potenter apprehendit sensu, ac etiam intellectu (nam nihil est in intellectu, nisi prius aliquo saltem modo fuerit in sensu,) esto se obijci-

ant

ant graues, & multæ difficultates, propter illa superandæ, perstat nihilominus Mens, & non cedit labori, non parcit etiam sumptui, sæpè neque incolumitati, neque conscientiæ, neque æternæ saluti, estque illi dulcis & leuis omnis labor & ærumna, dummodò acquirat bonum concupitum carnali, terrenoque suo desiderio, neque etiam eandem ipsam ob causam, magni æstimat iacturam, bonorum spiritualium Animæ, æternorumque, etiam DEI ipsius. Quando verò eadem mens nostra humana, ad bona spiritualia conuertitur, cum ea sint à sensibus remota, ab eisque abducant ipsam, imò & sint ingrata ac inimica sensui, atque carni, adeò vt etiam illis priuent, ea contemni faciant, oppositaque ingerant, ac amari suadeant, assuetudinemque inolitam, ijs vtendi, oblectandi, inhærendi, ea curandi, & amandi proscribant, etiam contra suasiones exemplaque plurimorum: insuper alijs, alijsque difficultatibus, & asperitatibus septa cum sint, magnaque sui parte futura solùm, & in ipe longâ: ordinariè talia, esto sua, sibique propria, ac debita bona, mens nostra languidè attendit, agnoscitq;, languidiùs etiam ea amat, & apprehendit, & concupiscit, tum verò difficultatibus cincta ipsa, delectantia verò & præsentia, ac in manibus sita eripientia videns, deterretur facillimè ab eis, eaque vel planè abhorret, & abijcit, vel saltem in tempora & tempora, adeòque extrema, & vitæ breuissima amanda & quærenda remittit. Hinc studium virtutum, & spiritualium operum, bonorumque æternorum remissè amat, (improbare enim, ob rationis & fidei lumen, vt plurimùm non potest, nec audet) remissiùs assumit, quauis occurrente difficultate, vel auocante sensuali commoditate, illud deserit, procrastinatione vtitur, imaginatur, & fingit, viam spiritûs, & bona virtutum esse suprà modum, & suprà naturæ vires, suprà & contrà humanum vsum: ita fit, vt victa deterritaque mens hominis misera, adhæreat terrenis: acquiescat carni & sanguini, latam & spatio-

Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Excell.20. spatiosam viam cum multis ingrediatur; cælestem autem viam, vt potè arctam, & angustam relinquat, &
Matt. 19.21. cum illo Adolescente Euangelico, à Christo ad perfectionem & sui sequelam, possessionumque in pauperes erogationem inuitato, abeat tristis: neque promissionem thesauri in cælo attendat.

Hoc quod modo exposui, vsque adeò verum, & perpetua praxi, experientiâ, exemplisque assiduis, & infinitis manifestum est, vt dici possit, quod hæc vna & tota ratio pænè sit, cur via carnis, & vita sensualis, terrenaque ac (vt eam Apostolus vocat) diabolica sapientia, & seruitus peccati, licet, non tantùm pernicioſissima, sed etiam difficillima, & multò quàm Spiritualis & diuina difficilior, nihilominus sit Hominibus, etiam Christianis gratissima, vsitatissima, frequentissimaque. Diuina verò, spiritualis, & virtutum, ac cælestis via, licet facillima, & auxilijs Diuinis fultissima, & rationi conuenientissima, honestissimæ iucunditatis, & iucundissimæ honestatis plenissima, DEO acceptissima, æternitatis denique beatitudine remuneranda, ab hominibus vulgò abhorreatur, deseratur, perfunctorie curetur, in vltima vitæ tempora, sæpissimè simulque periculosissimè reijciatur. Quia plus bona carnalia apprehenduntur, fortiusque mentem alligant sui delectatione, quàm absterrent sui difficultate, vilitate, periculositate, damnositate; bona verò Spiritualia, ampliùs deterrent mentem, sui plùs æquo apprehensâ putatâque difficultate, & duritie, quàm permouent, pelliciuntque, sui rectitudine, honestate, decore, dulcedine, atque fructu: quæ in mente nostrâ tenuis esse solet, & facile in obliuionem ac neglectum venit. Inde illa de biuio Herculis, antiquorum prudens fabula: de arcto, & ab initijs scrupeo, spinisque strato, sed postmodum molli, & amæno ad virtutem, & veram gloriam itinere: contrà autem, de viâ voluptatis, ac vitij, in sui quidem exordio amænâ, floribus & delicijs sensui iucundis consitâ, sed

in-

in extremo per omnia calamitatum tesqua, & senticeta, demum in præcipitium, exitiumque æternum, sectatorem suum deducente.

Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Huic infelicissimo, & omnis humanæ ruinæ, tàm temporalis, quàm & æternæ, omniumque Diuinarum & offensionum, & inimicitiarum, vindictarumque originali malo: Amori nimirum vehementi, & inordinato carnalium bonorum; Horrori autem, & odio, fastidioque, ac neglectui iniquissimo Spiritualium & rationalium, diuinarumque diuitiarum, ac deliciarum, Dominus noster IESVS Christus remedium afferre, hominumque adeò peruersa, simul ac ipsis pernicioſa, DEOq; inimica ludicia, corrigere, atque in rectum deducere volens: descendit de cælis, Homo similis hominibus factus est, atque triplex nobilissimum, atque plane Diuinum, illiusque solius Personæ condignum, ac possibile remedium peruersitati, stultitiæ, ac per hoc perniciei humanæ attulit, & adhibuit. Primò quidem Doctrinam, Deinde Exemplum, deniqúe Gratiam, siue Auxilium, simulque Meritum suum.

Attulit & tradidit hominibus doctrinam suam, planè cælestem, & de secretis Sapientiæ suæ Diuinis haustam, totam saluberrimam, totam sanitatem, totam salutem: quâ doctrinâ omnes Humanas insipientes, de terrenis bonis voluptatibusque sententias, æstimationes, & insanias falsas, confutauit, euertit, explosit; bonorum istorum vanitatem, breuitatem, humano amore & curis indignitatem, demumque pernicioſitatem ex eis manantem, graphicè, & euidenter monstrauit: è contra autem pulchritudinem, honestatem, splendorem, iucunditatem, meritum, facilitatem, dignitatem, præmium tàm huius quàm futuræ vitæ, gratiam, gloriamque apud DEVM, clarissimè & luculentissimè proposuit persuasitque, vt superaddi nihil, nihil desiderari vltrà possit.

Extulit & absoluit omnis legis perfectionem, omnium singularumque virtutum excellentiam, vsque ad

Excell. 20.

ſummum, prout manifeſtum eſt in ijs, quæ tradidit Dominus, de veris huius vitæ beatitudinibus, de contemptu diuitiarum, voluptatum, vaniſſimarum dignitatum huius mundi, de perfectâ paupertate, de ſui ſuarumque omnium rerum, voluntatum, cupiditatumque moderatione, emortificatione, abnegatione, de Amore, & ſufferentiâ, guſtuque aduerſitatum omnium, & etiam Mortis, etiam Mortis in Cruce. De verâ intimâque cordis humilitate, manſuetudine, lenitate, patientiâ. De dilectione ſincerâ & cordiali inimicorum, malefactorum, deque iniuriarum condonatione, & per beneficentiam recompenſatione: Nihil attinet omnia capita doctrinæ Dominicæ, eiuſque perfectionis recenſere: ſufficiat certiſſimum eſſe, nobis à Domino eam vitæ viam eſſe traditam, quæ à ſenſuali, carnalique immunditiâ, & iniquitate eſt alieniſſima, quæ ſalutem certiſſimò demonſtrat, ad eamque infallibiliter deducit.

Cæterùm, quia nouerat benè Dominus infirmitatem, ſimulque prauitatem cordis noſtri, ſciebat nos ſolere procaciter doctrinis, quantumlibet ſanctiſſimis obiectare: facilè nimirùm eſſe dicere, ac docere, præcepta eximia dare, & ad ardua quæque exhortari, ſed eadem exequi, non perinde promptum eſſe etiam ipſis doctoribus, & monitoribus. Sic Phariſæi alligabant onera grauia, & imponebant ea ſuper humeros hominum, digito autem ſuo ipſi nolebant tangere: Domino quoque noſtro, non fuiſſe arduum grauiora legis proponere per doctrinam, quorum tamen executionem non attigerit ipſe, neque factis expreſſerit. Inde Doctrinam Domini in ſuis difficultatibus, inuentam auditamque, nullis autem exemplis ac operibus mollitam, probatam, & conditam, forſitan quidem ſublimitatem eius laudaſſent, difficultatem tamen eius exhorreſcentes, vel ſuſcipere prorsùs abnuiſſent, vel ſuſceptam ſepoſuiſſent, & miſſam ſemel manum ad aratrum legis Chriſti retraxiſſent, retrò reſpicientes, cum triſtitiâ abeuntes, cum horrore,

Matt. 23. 4.

durius

durus est hic sermo, quis eum potest audire? proclamantes. Quo factum fuisset, vt Doctrina Christi, quantumlibet sana, sancta, perfecta, parum admodum hominibus profuisset, immò ad grauiùs iudicium eorum subseruisset. *Ioan. 6. 61.*

Hoc sciens Dominus, atque in hoc etiam infirmitati nostræ, incommodoque Diuinæ sementis, seu Doctrinæ prospectum volens, ad Doctrinam suam, addidit exempla sua propria: quæ homines nos intuentes, doctrinas, & præcepta, excellentiasque tum legis, tum virtutum Euangelicarum, agnosceremus clariùs, apprehenderemus penitiùs, amaremus & desideraremus ardentiùs, amplecteremurque robustiùs, & perficeremus constantiùs, difficultates sese obiectantes, & aggrederemur animosiùs, & vinceremus calcaremusque fortiùs. Carnales illecebras, terrenaque, desideria, partim debitè frenaremus, moderaremurque, & spiritu facta carnis mortificaremus, partim ea penitùs resecantes, & abijcientes instar expediti viatoris, aut pennatæ, solutæque volucris, viam mandatorum, adinstar ipsius Domini, decurreremus, atque conficeremus. *Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.*

Quemadmodum ergo Moysi extructuro tabernaculum Domini, dicebat Dominus. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Ita Dominus facturus nos tabernacula sua Diuina, primùm cœpit facere, deinde docere. Omnis doctrinæ suæ, exemplum in seipso dare, exemplum verò non obuium, non leuiculum, sed absolutâ, heroicâque perfectione completissimum: & nihilominùs cuiusque nostrum infirmitati attemperatissimum; exemplum tale, adquod quilibet nostrûm, propositum sibi intuens, imitari illud, eique se conformare tàm securè, quàm salubriter, quàm & facilè delectabiliterque, ac laudabiliter posset. *Exod. 25. 40.*

Matt. 10 25.

Quoniam gloria magna est, sequi Dominum: sufficit discipulo, & seruo, si sit sicut Magister, ac Dominus eius. Sed enim de Exemplis vitæ Domini nostri, iam superiùs actum est satis, & fidelibus res notissima est: istud solùm

Excell. 20. omnibus maximè cordi esse debet, Exempla nobis data à Domino nostro quod sint, id esse reuera rem summi momenti, summæ dignitatis, & quidem solius Domini nostri: summæ item vtilitatis nostræ, nam, vt suprà dixi, Doctrina Domini quanta-quanta fuit, parum nobis profutura, non suo, & nostro vitio, damnoque fuerat, nisi exemplis firmata fuisset, porrò Exempla tantæ doctrinæ, à nullâ purâ creaturâ idoneè, condignè, efficaciterque dari poterant, sed opus erat omnino DEVM-hominem esse illum, qui & doceret verbo, & monstraret exemplo, quæcunque docuisset, & exemplo quidem planè ad mensuram doctrinæ, vel etiam cum excessu & exaggeratione perfecto. Quæ causa fuit, vt Dominus noster, tam exaggerata per omnes gradûs, modos, circumstantiasque, exempla dederit doctrinæ suæ. In veritate namque, nihil opus erat esse illa tam grauia, & summa, & multiplicia, nisi fuissent Doctrinæ adæquanda, & nisi eorum excellentiâ fuisset ipsi Doctrinæ via, ad corda mentesque nostras, & amores nostros sternenda. Alioqui enim & si nos Dominus operibus suis, (& hæc sunt etiam Exempla, simul Doctrinæ illius) redemit, debita nostra exsoluit, veniam obtinuit, vitam & gratiam, & salutem gloriamque meruit æternam: tantis tamen operum excellentijs, & impensis redemptio nostra, absolutè loquendo non eguit, cùm longè minoribus in se, actionibus suis, eam Dominus obtinere, atque perficere potuerit sine vllo dubio. At Doctrinam tantopere nobis necessariam, & salutarem, simul verò tam arduam, & sublimem, exemplis maximis, plurimis, Heroicis, ac omninò diuinis illustrari, commendari, amabilem, & facilem, delectabilemque reddi, & Domini nostri, eiusque Doctrinæ; & nostrâ, salutisque nostræ intererat.

Maximè quando ista eadem Exempla, simul sunt & opera nostri redemptoria, & insuper omnis gratiæ, tam sanctificantis, quàm auxiliantis nobis meritoria.

Ex-

Ex horum enim operum, ac exemplorum valore meritorio infinito, tanquam ex perenni fonte emanant in nos omnia & singula auxilia, ornamentaque gratiæ Divinæ, sine quibus (vt testatur Dominus) tàm nos nihil salutare nobis possumus facere, quàm palmes sine vite suâ, fructum nullum potest afferre. At de his alius erit dicendi locus, interim hæc de necessitate, fructu, efficaciâ, excellentiâque Exemplorum Domini nostri, tractasse sufficerit.

Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.

Esset hic peraccõmodus locus, Christianis hominibus commendandi Exemplorum Domini nostri, tàm pretiosorum atque prægrandium considerationem, amorem, æstimationem, imitationemque, sed me ab hoc quanto-quanto labore, eliberat ipsa Exemplorum istorum Dignitas, ipsa Maiestas, ipsa amabilitas, quæ si Christianæ menti ipsa per sese efficaces non admouet stimulos, quid ego efficaciæ à verbis meis, in hominum mentibus sperem? Et sunt quidem infinita, efficacitatis, Exemplorum istorum in mentibus Hominum exempla: Vnde enim tanta Ecclesiæ Dei sanctitas, vnde in omni statu eiusdem tanti virtutum Christianarum cultores, vnde tanti Exercitus Martyrum, vnde tanta Religiosorum, atque in eis perfectorum, tàm Doctrinæ, quàm Exemplorum Domini imitatorum multitudo, vnde tantus Christianæ pietatis vbique splendor, nisi ab hoc Doctrinæ, Exemplorumque Christi Domini emanat archetypo? Nihilominùs, vt ex dictis sit, magna, & gloria Domino, & Ecclesiæ Religionique Christianæ consolatio: quia tamen inadeò multis, ac verè infinitis, Christi cultoribus tanta est, tamque supina, tam perniciosa ipsis, iniuriosa Deo, Christo nostro ignominiosa, diabolo capitali inimico ex animo tyrannico, succedens hominum Christi sanguine redemptorum, Christi doctrinâ exemplisque instructorum, gratia meritisque sustultorum perditio, tanta est (inquam) socordia, tantus salutis neglectus, tantum terrenarum carnaliumque

Excell. 20. *Christus ob perfectissimũ suæ doctrinæ Exẽplar, excellentissimus.*

rerum studium, tanta morum, & viuendi per omnia Doctrinæ & Exemplis Christi opposita contrariaque labes, licentia, assiduitas, quis non etiam sanguineos exoptet sibi lacrymarum fontes, vt hanc defleat aliquantum, fratrum suorum perditionem, ingratitudinem, peruersitatem?

Sed enim finiendum est: & finiendum verbis Domini nostri ad omnes nos dicentis. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Ioan. 13. 15.

EXCELLENTIA XXI.

Solus Christus Thaumaturgus, seu Miraculorum patrator, præ omnibus Creaturis.

VIGESIMA-PRIMA Domini nostri Excellentia, supra omnes Creaturas est, quod solus ille habuerit, & habeat potestatem patrandi miracula, qualem nulla creatura habuit, nec habere potest.

Suppono Gratiam, seu Potestatem miraculorum, esse vnam ex Gratijs gratis datis, eamque cum eiusdem generis Gratijs, Domino nostro fuisse concessam, cum Vnione Hypostaticâ, & propter illam tanquam radicem, quæque illam deceat ratione dignitatis suæ. Dixi hac de re aliquid, suprà Excell. 9.

Præterea suppono: Miraculum, seu opus miraculosum, vt reuera tale sit, duo requirere. Primò: vt sit opus insolitum, & extraordinarium vel in effectu, vel in modo efficiendi. Secundò: vt sit opus tale, quod causarum naturalium, virtutem efficaciamque excedat, sed solius Diuinæ virtutis, sit illud tale facere, quomodo resuscitatio Lazari à Christo Domino peracta, mortui, sepultique, quatriduani, & iam fætentis præ corruptione, fuit opus miraculosum & in se. nam mortuum ad vitam redire, extra ordinem est Naturæ, & supra vires creatas; & in modo, quia ad solùm imperium vocis Dominicæ:

Laza-

Lazare, veni foras; quasi in instanti reuixit sanus, & ambulare potens, & perfectè, ac verè viuens. Qui modus resuscitandi, non est virtutis creatæ naturalis, ac ideò verè proprièque miraculosus, arguitque euidenter potestatem miraculorum in eo, qui patrauit illud opus. Ioan. 11. 43.

Dominus ergo noster IESVS Christus Thaumaturgus fuit, & verè, & super omnes Creaturas, prorsùs eminentissimè, atque incomparabiliter. Nam præter omnipotentiam Diuinitatis, habuit in suâ Humanitate, seu quà Homo, communicatam sibi virtutem, seu potestatem supernaturalem ad facienda miracula, quæcunque ipsi vel opus erat, vel placebat. Hæc autem virtus non fuit, nec esse potuit ipsamet simpliciter omnipotentia DEI, quæ residebat in verbo, siue potiùs erat ipsum Verbum, sed fuit gratia gratis data, ad Vnionis Hypostaticæ dignitatem congruenter accedere, & tanquam radici proprietas addi, Humanitatique inesse exposcens. Quoniam verò Vnio Hypostatica, & solius est Christi Domini, & est infinitæ dignitatis, & nulli creaturæ communicata: sequitur sicut alias omnes gratias in Humanitatem Christi, ab Vnione redundantes, ita & hanc Miraculorum gratiam, potestatemque fuisse in gradu eminentissimo, & Vnione, Personâque Verbi, necnon Humanitati ipsi vnitæ, condigno, ita vt omnis creatura, etiam quoad gratiam istam, infrà Christum planè sit.

Accedit: quod hanc Miraculorum potestatem, eiusque excellentiam, requirebat inesse Christo Domino, Doctoris, ac Legislatoris officium, vt eo plenè, perfectè, efficaciterque defungi posset. Cum enim traditurus esset Dominus noster, nobis legem Doctrinamque supernaturalem, sublimem, & excellentem valdè in perfectione suâ; arduam quoque, & sensui hominum communi difficilem, quia repugnantem; maximè ob naturam, enormi lapsu fractam & corruptam, vt propterea homines, tali doctrinæ ægerrimè fidem darent, ægriùs in eadem constanter persisterent, atque se per illius scita

abduci

abduci ab amore, & ſtudio carnalium, terrenorumque bonorum inueteratiſſimo ſinerent: opus omninò erat vt Dominus doctrinam ſuam comprobaret miraculis, & magnis, & euidentibus, & multis; ijſque indubitatè oſtenderet ſuam Doctrinam, & Legem, eſſe veram, iuſtam, cæleſtem, Diuinam, omninò ſaluti, perfectionique
Excell. 20. neceſſariam, proinde totâ mentis firmitate per fidem amplectendam, per dilectionem autem, & obeditionem, operibus exequendam. Eamobrem Dominus noſter, toto tempore quo inter viuos ipſe fuit, doctrinamque ſuam prædicauit frequentiſſima, & luculentiſſima miracula patrauit; & ſuis etiam diſcipulis eandem virtutem miraculorum, quando eos ad prædicandum
Lucæ. 9. 1. Euangelium ſuum mittebat, contulit. *Conuocatis enim duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, & miſit illos præ-*
Luc. 19. 1. *dicare regnum* DEI, *& ſanare infirmos. Poſt hæc autem deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos bi-*
Ibid. ℣. 19. *nos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus, & dicebat illis. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuprà ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem vir-*
Mar. 16. 19. *tutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Deniqué, *poſteaquam aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris* DEI, *profecti diſcipuli prædicquerunt, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Hanc poteſtatem gratiamque miraculorum (ſiue ea ſit habitus qualitaſque permanens, ſiue non, de quo viderint Theologi) Dominus noſter habuit per modum habitûs permanentis, in ſe ſemper: propter quam permanentiam huius poteſtatis, Dominus noſter exceſſit omnes miraculorum patratores, nullus enim eorum habuit hanc poteſtatem, quaſi ordinariam, & quaſi permanentem, ſed ſolùm per modum actualis auxilij, motioniſque & actionis tranſeuntis, interdum, & incidenter aduenientis, vnde nec ſemper, nec ad nutum poterant
Num. 20. 10. facere miracula, vt patet in Moyſe & Aaron, aquam de petrâ,

petrâ, nonnisi repetitâ percussione educentium, patet etiam idem clariùs in Elisæo Prophetâ, qui primâ percussione Iordanem diuidere voluit Eliæ pallio, nec perfecit nisi secundâ. Idem voluit baculo suo per manum Giezi suscitare puerum mortuum: nec factum est ita. Idem non nisi repetitò se admetiens mortuo puero, eum ad vitam reuocauit. At Dominus noster pro potestate ordinariâ, faciebat miracula: sæpè absens à loco miraculi, sæpè solo voluntatis nutu aut imperio, sæpè solo verbo, sæpè increpans, vt dæmonia, mare, ventos furentes, qui obediebant ei. Quod signum est Dominum nostrum, quâ Hominem, habuisse paratum, & promptum præsensque semper auxilium & concursum, motionemque DEI necessariam ad patranda miracula, quæcunque, & quotiescunque volebat absolutâ voluntate suâ, quam concursûs præsentiam perpetuam, velut proprietatem suam exigebat Vnio, conferebatque Verbum, suæ Humanitati, eamque viuificatricem mortuorum, infirmorumque, ac omnium aliorum miraculorum effectricem faciebat.

Christus Thaumatur. giâ nulli creaturæ communicabili, excellentissimus.

Quamquam etiam ipsa voluntas Domini nostri creata, & humana licet, quia tamen erat voluntas Diuinæ Personæ Verbi; exigebat propter Personæ Dignitatem, vt haberet hanc potestatem miraculorum, quasi ad manum semper, & subiectam sibi. Vnde illa planè miraculosa miraculorum patratio: vt quando leproso magnificè mundationem petenti. *Domine si vis, potes me mundare;* (interprete Origene) magnificè vicissim munditiem dedit, dicens imperatiuè, *Volo; mundare:* quando item febri imperauit, & reliquit socrum Simonis, quando mari & vento dixit. *Tace, obmutesce: & facta est tranquillitas magna:* quando Manuum contactu solo, multiplicauit panes pisciculosque paucos, nunc in quinque, nunc in quatuor millia hominum, vsq; ad saturitatem omnium, residuis insuper nunc duodecim, nunc septem sportis fragmentorum. Quæ omnia, similiaque his, argu-

Matt. 8. 2. Ibid. ℣. 3. Lucæ: 4. 38. Matt. 8. 29. Matt. 14. & 15.

Excell. 21. unt dignam DEO-Homine miraculorum potestatem, ob quam non egebat præuiâ Oratione, ad patrandum opus miraculosum: quam si quando adhibuit, adhibuit propter circumstantes, vt ipsemet testatus est in resuscitatione Lazari. *Ioan. 11.*

His omnibus addi debet, quod plurimùm ostendit potestatis huius in Domino nostro singularitatem, quia scilicet accepit hanc potestatem in ipso Conceptionis, Vnionisque hypostaticæ instanti, sicuti & alias eiusdem proprietates: Non enim vlla fuit causa differendæ illius, & dignitas Vnionis eam tunc etiam requirebat, quinimò nihil impedit dicere, tunc etiam vsum eius Domino fuisse, tàm circa seipsum, quàm circa Matrem suam in cuius visceribus latebat, non sanè absque maximo Materno profectu in spiritu, in gratiâ, in meritis, alijsque donis cælestibus, per filium vtique in eâ patratis. Quis verò alius fecit in Christo, præter ipsum Christum, vt impedimenta infantiæ prorsus nesciret: vt IOANNES *Luc. 1.* ex mensium infans, in Matris suæ vtero mundaretur, sanctificaretur, spiritu sancto repleretur, & Matrem suam repleret: vt ipse Dominus, non referans sed consecrans Virginalis vteri templum immaculatus, ex intemeratâ Matre nasceretur? vt ad Dominum Natum adorandum *Matt. 2.* Magi ab Oriente stellâ duce aduenirent, ipse profectò Dominus fecit: ipse quos adduxit, etiam instruxit quomodo procidentes adorarent eum, quomodo apertis thesauris suis, mysticas ei offerrent species munerum, & primitiæ fierent consecratæ Ecclesiæ Gentium? Quod autem B. IOANNES miraculum vini ex aquâ, à Domino *Ioan. 2.* facti, vocat initium signorum eius, non officit prædictis, neque euincit, nullum ante hac à Domino factum miraculum, nam certè quadraginta dierum & noctium ieiu- *Matt. 4.* nium Domini miraculosum fuit, quod tamen Nuptias Canenses præcessit; tantùmergò IOANNES aquæ in vinum mutationem initium signorum vocat, quia hoc primum fuit eorum signorum, quæ Dominus ad publi-

cam

cam sui notitiam, & ad Doctrinæ prædicationisque suæ illustrationem fecit. Est autem in hac miraculorum Domini nostri potestate, atque in ipsis miraculis: illud admirabile, & præ omnibus alijs aliorum miraculis, singulare, ideòque animaduersione dignum. Aliorum enim Sanctorum miracula, licet per Diuinam virtutem patrentur: nihil tamen sunt aliud, nisi sola miracula, aliud nihil præterquam quod facta sint significantia. Vt cum v. g. B. PETRVS claudum à Natiuitate sanauit, nihil aliud egit, nisi sanitatem contulit. At verò Domini nostri miracula, quæ corporaliter faciebat, eadem simul spiritualiter patrabat, & intelligi volebat. Neque miracula tantùm propter miracula faciebat, sed volebat insuper, vt illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera autem essent intelligentibus. Ita miracula quæ faciebat Dominus, & opera erant & verba. Opera quia fiebant: Verba quia aliquid significabant. Exemplum sit in illo cæco nato, quem Dominus, facto luto ex sputo, ac vt oculos inunctos, in piscinâ Siloë lauaret, iussò illuminauit. Cæcus enim iste, secundùm significationem, erat genus humanum, quod in primo homine, ex quo omnes orimur, cæcitatem contraxit per peccatum. Venit in Mundum Dominus IESVS, expuit in terram, de saliuâ suâ lutum fecit, quâ VERBVM CARO FACTVM EST, & inunxit oculos cæci, inunctus autem necdum videbat; misit ergo illum ad piscinam Siloë, quod interpretatur missus. Quis est iste Missus, nisi Dominus IESVS Christus, qui nisi fuisset ad nos missus, nemo nostrûm esset ab iniquitate dimissus. Ergo genus humanum lauat oculos in piscinâ, quæ Missus interpretatur, quia in Christo baptizatur. Hunc in modum Miracula Christi, & opera, & verba, id est, signa sunt.

Christus Thaumaturgiâ nulli creaturæ cõmunicabili, excellentissimus.

Act. 3.

Ioan. 9.

Hæc Miraculorum potestas, penes Dominum nostrum, non solùm fuit hic in terris eò degente, verùm etiam post mortem, etiam post Resurrectionem, etiam post Ascensionem in cælum remanet. Nam vt omittam mira-

miracula in morte, & post mortem Domini nostri facta, haud dubiè per Christum Dominum. Anima certè Sanctissima Christi, suâ virtute ad inferos descendens,
Excell. 21. atque Sanctos Patres in sinu Abrahæ visitans, & liberans, eos simul lumine beatificæ gloriæ, per hanc potestatem miraculorum impleuit, tanquam per instrumentum Diuinitatis suæ, quâ eadem virtute arbitror factum, vt Sanctum Domini Corpus, in sepulchro non videret
Matt. 27. 52. corruptionem. Eâdem potestate vsus est Dominus, in resuscitatione corporum ex sepulchris illis, quorum monumenta aperta fuerunt in morte Domini.

Sed post Ascensionem quoque in cælum, vtitur sine dubio hac potestate, pro suâ tum dignitate, tum voluntate, tum occasionum exigentiâ. Si enim Animabus in limbo Patrum repertis, Anima Domini nostri lumen gloriæ (vt D. Thomas loquitur) infudit: quid obstat dicere, simile gloriæ lumen, animabus beatis omnibus, per Christi Domini Humanitatem communicari? eadem est certè ratio, eademque Domini tam virtus, quàm Dignitas, ac meritum. Quod etiam probabiliùs dicitur de accidentalibus donis, atque glorijs Sanctorum in cælo, quod eæ fiant per Humanitatem Christi, eiusque miraculorum potestatem, consonat enim hoc & dignitati gloriæque ipsius, & præmio meritorum eius. Illud
Ioan. 5. 21. quod Dominus noster dixit de seipso, & Patre suo. *Sicut Pater suscitat mortuos, sic & Filius quos vult, viuificat*; quemadmodum non solùm de potestatis, ad resuscitandum mortuos Diuinæ æqualitate, immò identitate, intelligendum est in Patre, atque Filio, simulque in Spiritu Sancto: sed etiam ita potest intelligi, vt in Christo, etiam quâ Homine, sit potestas communicata suscitandi mortuos pro arbitratu suo: & per Humanitatem carnemq; suam. Et præterea potest intelligi, non tantùm de potestate suscitandi mortuos secundùm corpus, at etiam secundùm animam morte peccati: quod non minùs, immò maius, ac Deo digniùs, Christoque proprium miracu-

raculum est. Pergit verò Dominus suam hanc potestatem exaggerare, cum subdit statim dicens: *Pater omne Judicium dedit Filio, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius Hominis est*, quod est dicere, Dominum IESVM habere potestatem, tàm resuscitandi mortuos (siue corpore, siue animâ) quàm iudicandi resuscitatos, non solùm quâ DEVS, & quia DEVS est, sed etiam quâ homo, & quia homo, filiusque hominis est, fierique dignatus est. Ex his autem vltrà rectè concludi potest, omnes gratias, & omnia supernaturalia dona, quæcunque Ecclesiæ Christi, eiusque filijs militantibus conferuntur, maximè in Sacramentis, omnibus quidem, sed specialiter in Baptismo, Eucharistiâ, Pœnitentiâ, altaris quoque Sacrificio, omnibus quoque alijs ad gratiæ effectûs idoneis occasionibus, ac Animarum dispositionibus, conferuntur inquam, ea omnia conferri per Domini nostri Humanitatem. Omnia enim ista gratiarum dona, reuera & simpliciter miraculosa sunt, & miraculosis actionibus, ac proinde per potestatem miraculorum peraguntur, esto fiant secundùm ordinariam legem, Gratiæ tamen, non Naturæ, gratiæ autem Christi, & non sine illâ iuxtà illud: *Gratia DEI, per IESVM Christum facta est*; & etiam iuxtà illam similitudinem, vitis & palmitum, quâ Dominus ostendit nos eius fideles, & nullam sine illo, & omnem ex illo gratiam habere, sicut palmites sine vite non fructificant, si autem fructificant ex vitis influxu fructificant. Christus enim etiam nunc Caput est Ecclesiæ, eiusque filiorum, & sine dubio perfectissimè influit virtutem, atque exercet & sustinet Dignitatem Capitis in corpus, atque membra sua; atque hoc per vsum potestatis Miraculorum.

Ibid. ℣. 22. *Ibid. ℣. 27.* *Ioan. 1. 12.* *Ioan. 15.*

Christus Thaumaturgiâ nulli creaturæ communicabili, excellentissimus.

Ergò dubium esse debet nullum, maximam, & præ omnibus creaturis incomparabiliter maiorem, Vnione hypostaticâ condignam, officioque tàm Doctoris, quàm Capitis Ecclesiæ, parem & congruam fuisse in Domino nostro IESV Christo miraculorum potestatem, ipsumq; Thaumaturgum supremum.

Quam potestatem conuenit nos omnes, qui in Christum credimus eidem congratulari, in eoque venerari: vt quæ sit ipsi glorioſissima, tanquam admirabilis quædam Diuinæ potentiæ participatio: Per quam etiam
Excell. 21. Dominus noster, nobis est summè vtilis, summèque salutaris, ac proinde etiam summè amabilis, summè quoq; exaltandus & glorificandus. Nulla enim est ratio, siue Christo à semetipso, siue à nobis, siue ab ipso Patre æterno exaltandi, glorificandiuè ipsius Christi, quàm saluatio, & exaltatio per illum nostrî, & per nostrum vltimate glorificatio Patris æterni.

Justum etiam & debitum est optare, atque quod in nobis est aptare occasionem, Materiamque Domino nostro, ad vtendum hac miraculorum potestate super nos & in nobis: siue agendo seriam & fructibus dignis onustam, gratiosamque pœnitentiam, siue proficiendo de virtute in virtutem ad ipsius Domini similitudinem, siue omnes proximos nostros quacunque fas sit ratione ad Dominum adducendo, & illi munus offerendo, atq; plebem perfectam parando, quam ille à peccatis in sanguine suo ablutam, & in virtutibus, omnique bono opere magis, magisque abundantem, hac quidem in vitâ, suæ gratiæ, in sequenti verò, æternæ gloriæ bonis cumulet; Hoc enim est vnicum idemque summum, siue gaudium, siue præmium Domini, pro vniuersis laboribus eius, quos exantlauit viuendo inter nos, vt scilicet quàm plurimos habeat, quos sanctificet in terris, & quos glorificet in cælis, & hoc per exercitium suæ thaumaturgicæ potestatis. Propter quod ô Animarum Pastores, atque Patres, & Nutritores, ô gloriæ Dei, salutisque humanæ zelatores, ô Æternitatis beatæ satores, quos fecit Dominus luminaria in firmamento cæli, quibus dedit habere ministerium verbi vitæ æternæ: Agite quod potestis, facite hoc in quod positi estis. Vbique discurrite ignes sancti, ignes decori, ignes salutiferi, ignes separantes pretiosum à vili. Vos enim estis lumen mundi, nec

estis

estis sub modio. Exaltatus est cui adhæsistis, & exaltauit vos, faciens mundo altiores, diabolo terribiles, atque fortiores. Est enim *Maior qui in vobis est, quàm qui in mundo est.* 1. Ioan. 4. 4. Discurrite, & innotescite omnibus gentibus. Concipiat & mare, & pariat operâ ac labore vestro, & producat reptilia Animarum viuarum atque sanctarum, & ad Christi gratiam, gloriamque capessendam paratarum. Separantes pretiosum à vili, facti estis os DEI, per quod ille loquatur salutem, & pacem, & benedictionem populo suo. Ipsi gloria, & exaltatio in sæcula.

Christus Thaumaturgiâ multi creaturæ communicabili, excellentissimus.

EXCELLENTIA XXII.

Solus Christus in Passione & Morte, suprà omnes Creaturas excelluit.

VIGESIMA-SECVNDA Domini nostri IESV Christi, suprà omnes Creaturas Excellentia est, quia in Passione atque Morte suâ, quàm subijt propter sui Patris amorem, ac obedientiam, propterque Redemptionem, ac Salutem nostram humiliatione, simulque exaltatione sui, super omnes Creaturas excelluit. Passionis, & Mortis tantùm facio mentionem, & habeo rationem, quia Passio & Mors Domini fuit præcipua, & singularis maximè actio, & occupatio, quâ ille DEVS-Homo factus potissimùm occupatus, atque exercitatus est in totâ suâ vitâ mortali. Passio quoque & Mors Domini nostri est id, quod ille totâ vitâ suâ mortali, à primo eius instanti intuebatur, meditabatur, desiderabat. Passio etiam & Mors Domini nostri est, fuitque veluti centrum, & medulla omnium & consiliorum, & intentionum, & operum illius. Passio etiam & Mors Domini nostri est, velut horreum quoddam & penu, in quod ille omnem vitæ suæ messem, omnemque fructum recondidit, & ex quo vsque hodie haurit, totamque per æternitatem hausturus est omnes diuitias, thesaurosque, siue

salutis

salutis ac beatitudinis nostræ, siue gloriæ exaltationisq;
Excell, 22: tam Patris æterni, quàm suæ. Passio deniq; & Mors Domini nostri est, quâ ille in maximam, & (vt verbo dicam) vltimam descendit humiliationem, ascenditq; sublimationem.

Hic quidem plurima, immò infinita essent dicenda, tota quæ huc spectat Materies, adducenda esset: at in totam abyssum Passionis Dominicæ, nequaquam subintrare animus nunc est; Scio Domini Passionem, illum
Ezech: 47. 3. torrentem esse, qui è templo DEI egrediens, intrantibus ad talos, & ad genua, & ad vmbilicum pertingebat, demùm verò ita nimium, vt transuadari non posset, exundabat. Tantùm ergo talos in hac abyssò aquarum demergam, & de Passo Domino hoc exequar, quod ille Passione suâ atque Morte fuerit summè deiectus, & humiliatus, & tamen etiam simul eâdem exaltatus, atq; glorificatus suprà omnem Creaturam.

Humiliatus est, suprà creaturæ omnis humiliationem Dominus noster IESVS, passione atque morte suâ,
Philip. 2, 7. quia illâ ipsam suam Incarnationis exinanitionem (sic vocat Apostolus) ampliùs, ampliùsque exinaniuit, exinaniuit autem exinanitione Mortis, in Cruce autem, hoc est, in crudelissimo & simul probrosissimo genere Passionis atque Mortis. Profectò si assumptio Humanitatis fuit Filio DEI exinanitio sui, ipsius Humanitatis per mortem depositio, quid erit? erit vtique ipsius exinanitionis exinanitio: erit humiliatissima humiliatio, erit solo digna, soli propria Homini-DEO humilitas.

Cogitat quispiam, Homines quoque morte ad nihilum redigi: sed non sicut Dominus noster, illi enim moriendo reuertuntur ad hoc, quod fuerunt, & à quo ad vnum pilum latum vix, ac nè vix quidem recesserunt. Dominus verò IESVS DEVS-Homo, Deique Filius, moriendo ad id deuenit, quod nunquam fuit. Nunquam enim DEI Filius non fuit, nunquam non exstitit, semper vixit, nunquam nihil fuit, at ecce moriendo esse

desijt,

desijt, propter quod ait: *Ad nihilum redactus sum, & nesciui*, vnquam nihilum esse. Filius enim DEI, etiam quâ homo DEI Filius fuit naturalis, non adoptiuus, nihil esse, nunquam illi competijt, semper esse, semper viuere, immortalem esse, mori nescire, connaturale illi fuit, & mori, nunquam quasi potuit, nunquam debuit. Et tamen verè mortuus est: ergo reuerà suprà Creaturas, etiam mortuas, plus annihilatus, atque humiliatus est. *Psal 72. 22. Christus in Passione & morte suâ, excellentissimus.*

Est autem amplius aliquid videndum, in Humilitate Domini ac DEI nostri, id nimirum, quo ille humiliatione suâ descendit, & in eo creaturas omnes excessit; Attendamus duplicem esse descensum humilitatis, vnum quidem sine dubio, altero maiorem. Vnus descensus est, quo quis descendit, vsque ad id, quod naturâ, statuuè suo primo est, alius autem est, quo quis descendit, seque demittit, infrà id, quod naturâ suâ statuuè suo est, atque hic descensus, procul dubio priore illo maior est, & humiliat descendentem magis, atque ideò & humiliorem facit: Exempli gratia, Homo plebeius, demittat se ad osculandos alicuius pedes: Princeps similiter, demittat se ad eosdem pariter osculandos, vterque humiliabit se in hoc oculo: Princeps tamen magis, quia infrà statum suum: plebeius autem minùs, quia non infrà statum suum.

Jam nunc dispiciamus humilitatis creatæ, atque Diuinæ gradum. Creaturæ omnis, quantæcunque perfectionis sit, primus & originalis naturæ terminus, principium, & status, est non esse, non ens, nihil, ex nihilo educta, post non esse, accipit esse, & ex non Ente fit Aliquid, per omnipotentiam Creatoris sui, Esse sibi, post non esse, & ex nihilo conferentis. Talis Creatura, si velit esse verè, & perfectè, ac genuinè humilis, debet se vsque ad non entis, & ad nihili sui terminum, statumq; reducere, in eoque stare, & secundùm eum, & æstimare ipsa se, & ab alijs æstimari velle, ac sinere, tolerare, gaudere,

Excell. 22. dere, id enim Iustitiæ est, veritatis, ac debiti, quod omni nihilo inest. Infrà hunc gradum humilitatis, & humiliationis, creatura nulla descendere potest, quia infra nihilum, nihil est.

Jam verò DEVS, eius perfectionis est, vt nihili in eo, nihil sit, nihilque vnquam fuerit: nihil futurum sit, nihil esse possit; sed primus terminus originalis eius est, absque principio esse, semper ab omni æternitate esse, & in omnem æternitatem pariter esse. Quam ob causam, Moysi DEVS nomen suum scire cupienti, reuelans
Exo: 3. 14. ait, *Ego sum, qui sum. Qui est misit me ad vos, hæc dices filijs Israel;* non est enim, quod primò omnium de DEO vel cogitetur, vel dicatur, affirmeturque, nisi Est DEVS, siue, Qui est, neque DEVS aliud de se affirmare potest,
Malach. 3. 6. quàm, Ego sum, qui sum. *Ego sum DEVS, & non mutor:* Hoc ergo differt status DEI, à statu creaturæ, quod huius status primæuus, & originarius sit nihil, non esse, non ens, & post non ens, atque ex non Ente, esse. DEI autem status, (non tam primus, aut originarius, ne DEO affingamus originem, quam non habet, sed est id quod est, & est is, qui est,) status inquam proprius est Esse, qui est esse, Essentiale ens esse. Et creatura quidem (vt suprà dixi,) vlterius humiliando se descendere nec potest, nec debet, nisi vt se ad sui nihili statum, ad suumque nihilum reducat; DEVS autem quoniam Essentialiter, substantialiterque Est, Naturâ suâ ad nullum Esse, humiliare se potest, quoniam omne eius Esse, totum est ipsius plenum esse, ita vt quidquid cogitatur in eo, vel in eius esse, sit ille ipse, & idem ipse, & totus absolutusque DEVS. Multò autem minus, potest se demittere DEVS ad suum non esse, & ad nihilum sui, quia sic impossibile est DEVM non esse, sicut Essentiale atque substantiale illi est Esse, & id quod est, esse.

Quid ergo dicemus? An impossibile est DEVM humilem esse, & humiliari? nequaquam, dicemus potiùs & impossibile esse DEVM non esse humilem, saltem, non

posse

posse esse humilem; & possibile esse, & reipsâ factum esse humilem, & deniqúe ita factum esse humilem, quomodo impossibile est creaturam fieri humilem, ita, vt infrà statum suum Diuinum, fecerit se humilem.

Christus in Passione & morte suâ, excellentissimus.

Quod impossibile sit DEVM humilem non esse, seu non posse humilem esse: tàm est verum, quàm verum est, impossibile esse DEVM perfectissimum, omni bono plenissimum, communicabilem, communicatiuumqúe sui non esse, & creaturas extra se creare, conseruare, gubernare non posse. Hæc enim si vera sunt, necessariò DEVM humilem esse ostendunt, ac euincunt: sed humilem ex plenitudine & abundantiâ perfectionis suæ, quâ deducitur, & ad creationem ex nihilo creaturarum, & ad conseruationem, gubernationem, cooperationem, inhabitationem, totamqúe curam ipsarum, adeò minutam, & vniuersalem, vt qui hæc reputet, demirari, & deprædicare satis non possit, Diuinam, ad ista, & in istis condescensionem, dignationem, humilitatem, sed non ex inopiâ aut vilitate sui, quod creaturarum est: verùm ex plenitudine, redundantiâqúe bonitatis, & immensitatis suæ. Ad eum modum quo Arbores fructiferæ, quò plures habent fructus, eò inferiùs ramos demittunt. Sol, quo abundantiore plenus est lumine, radios latiùs fundit, & vsqúe in viscera terræ penetrat. Mare quo amplius aquis redundat, eò vberius omnes terræ venas fontibus, lacubus, fluuijs, pluuijsqúe irrigat. Aurum quò præstantiùs, eò magis ponderat, & descendit. Sic & DEVM nostrum, ipsa suâ plenitudo omnis boni inclinat, & humilem in se communicando facit. Et facit, non eò solum modò, vt rebus quæ non erant, & nihil erant, det per suam omnipotentem bonitatem vt sint, & bonæ sint, & conseruentur, & agant actiones suæ naturæ congruas, verùm etiam longè alio magisqúe admirando modo: tali nimirum vt se per eum intrà se demittat, & vnum se ex his, quæ ex nihilo, & ex non esse facta sunt, atqúe fiunt, & insuper in eo ipso, quod se fecit, etiam

Excell. 22. etiam se non esse faciat, in nihilumque sui reducat. Hoc dicere aut cogitare de DEO, à DEO in ipso se fieri posse, absurdum omni creato intellectui, blasphemumque esset, nisi re ipsa, & de facto, à DEO insemetipso effectum esset.

Ecce enim DEVS, in quo præter suum Esse, nihil omninò est, atque solius nihili, nihil in eo prorsus est, & qui, omne id, quod esse verè potest, actu, atque essentialiter est, neque illum crescere, perfici, maioremque fieri possibile est, adinuenit tamen modum, quo per humiliationem sui, perque descensum infrà se, ac demùm per nihilum (eligat veritas, fidesque dicere quod vult) per nihilum, inquam, deficeret, an proficeret, an deficiendo proficeret, proficiendo deficeret.

Factus est DEVS-Homo, & compegit in vnum idemque suppositum, in vnam eandemque personam suam Diuinam, & DEVM qui ab æterno erat, & Hominem qui ab æterno non erat, ex nihilo fecit illum, ita vt seipsum
Ioan. 1, 14. faceret illum: & inde *VERBVM CARO FACTVM EST*, & DEVS-Homo factus, manens quod erat, factus quod non erat, & ita seruans statum suum Essendi, id quod est, humiliauit eum ipsum, vsque ad statum eius, quod nihil est, & ex nihilo est.

Ac neque eo contentus vt assumeret, quod ex nihilo erat, in eoque DEVS-Homo, & Homo DEVS esset: sed insuper etiam quod assumpserat de nihilo, illum (inquam) ipsum Hominem, quem suâ personâ hypostaticè fecerat DEVM, per Passionem atque Mortem, Crucis autem Mortem, dissoluit, & in non esse, nihilumque redegit, ac vt DEVS-Homo, esset DEVS non Homo, esset DEVS non Ens, & nihil, fecit. Mortuus enim in homine assumpto DEVS, & si tam Animæ, quàm Corpori illius Hominis, esset hypostaticè vnitus, totus tamen ille non ens, & nihil erat, atque per hoc sese DEVS ad non ens, & ad nihil redegerat, & qui erat DEVS-Homo factus est DEVS non Homo: vsquequo per resurrectio-

nem

nem excitato Homine, factus est rursum DEVS-Homo.

Christus in Passione & morte suâ, excellentissimus.

Hunc igitur in modum, DEVM nostrum, sua ipsius plenitudo Bonitatis, Charitatisque humilem fecit, & suprà omnis creaturæ humiliationem humiliauit: ipsamque Incarnationis exinanitionem, passionis & mortis exinanitione exhausit, atque absorbuit. Hinc illæ Domini in Psalmo voces. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* *Psal. 68. 3.* *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et in alio: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbrâ mortis.* *Psal. 87. 7.* Infixus est Dominus noster in limo profundi, quando Deitatem suam adiunxit Humanitati: in quâ, substantia non est, quia de nihilo formata est. Venit in altitudinem maris, scilicet in amarissimam Passionem, quâ satisfaceret pro vniuersis nostris peccatis: huius maris tempestas, demersit eum in mortem. Nam inimici eius, non prius furere ac sæuire desierunt, quàm eum in profundis tenebris mortis absorptum viderunt. *Sed granum illud frumenti cadens in terram mortuum est, ideò, vt solum, ac sterile non maneret, verùm vt multum fructum afferret;* & attulit reuera non solùm multum, sed super-superque multum, ac planè immensum, atque infinitum. *Ioan. 12. 24.*

Libet hoc Seraphici BONAVENTVRÆ, doctissimâ pietate, & pijssimâ doctrinâ, dictioneque enarrare. Hic Sanctissimus Doctor, humiliationis ac minorationis Domini nostri IESV Christi, in Incarnatione atque Passione & morte suâ, septemplicem nostram vtilitatem enarrat, his verbis.

1. In DEO-Homine, Facta est Æternitas, Noua atq; temporanea: Qui enim est Filius DEI æternaliter, factus est Caro temporaliter. Ratio: quia ô homo nullus te poterat redimere, nisi haberet pretium: nec debebat (secundùm Moysi legem,) nisi esset propinquus. Homo (purus) propinquus erat, sed pretium non habebat. DEVS purus pretium habebat, sed propinquus non erat. Non debebat nisi Homo, non poterat nisi DEVS; factus

Bonau. Op. to. 2. in Collationibus: Coll: 1. ex Vbertino: folio. 424.

est ergo DEVS-Homo, vt ita & propinquus ex nostro,
Isa. 13. 12. & pretium haberet de suo, factusque est IESVS, *vir pretiosior auro, & homo mundo obrizo.* Sacculum pecuniæ tu-
Excell. 22. lit secum, paruum sed plenum, quia DEVS Homo in-carne apparuit, & Verbum in carne quasi pecuniam in-sacco abscondit, & hominem reum obæratumque redemit.

2. In Homine DEO facta est Immensitas, Breuitas: quia Verbum abbreuiatum, fecit Dominus super terram, & cur ita? Nempe ô Anima mea, necessitas tua fuit magna nimis, & tanta quæ nonnisi DEI Filio suppleri poterat; sed capacitas tui fuit angusta & parua nimis, quæ
Ier. 23. 24. Altissimum, Immensumque illud Verbum, *quod cælum*
Isaiæ 9. 6. *terramq; implet*, non capiebat, quid ergo? *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Prouidit scilicet DEI Charitas nobis, vt & Filius daretur nobis, quo egebamus, & Paruulus, qualem capere poteramus.

3. In DEO-Homine facta est Pulchritudo, Obscuritas, cur ita? Quia tota felicitas mea, & vita æterna est, tantum illud bonum, & donum DEI: id est, DEVM-Hominem nosse, at quomodo nosset homo illum, quem-
1. Tim. 6. 16. nemo vidit vnquam? *qui lucem habitat inaccessibilem, &*
Psal. 12. 12. *tenebras posuit latibulum suum*, nasciturque *in splendoribus*
Psal. 109. 3. *sanctitatis?* igitur operuit facies illa DEI, & imago bo-
Sap. 7. 16. nitatis atque claritatis DEI, splendor gloriæ, & *candor lucis æternæ*, operuit (inquam) se sacco nostræ mortalitatis: adeò vt iam non solùm visibilem cernam, sed etiam
Apoc. 6. 12. mihi similem amorem in carne meâ. Vnde dicitur, *Sol factus esse, tanquam saccus cilicinus*, Christus videlicet, qui
Sap. 7. 29. est *Speciosior Sole, & super dispositionem stellarum, luci com-*
Isa. 53. 2. *paratus inuenitur prior:* factus est propter nos, *quasi cui non erat aspectus*, & quasi saccus cilicinus, propter asperitatem, & ignobilitatem.

4. In DEO-Homine Dignitas & Celsitudo, facta est Humilitas & abiectio. Quomodo? Descendit enim à summo DEI sinu, non tantùm ad me, qui satis infrà eram

sed

sed etiam infrà me. Nam quis ille iacet in stabulo, in præsepio, in fæno, ad pedes animalium? quis ille prouoluitur ad pedes discipulorum, & proditoris Iudæ? quis ille inter carnificum raptatur manus? quis inter flagra concidit? quis in Cruce extensus iacet? Et quis vnquam hominum in stabulo natus? Ecce ille est in stabulo, ad cuius pedes Angeli procumbere indigni sunt: cuius corrigiam calcei soluere, IOANNES non est dignus, nec eius calceamenta portare. O quid non facis, DEVS meus, propter nos! vt haberemus te, fis homo, vt te capiamus, fis paruus, vt te cognoscamus, fis visibilis, vt ad te pertingamus, fis humilis. *Matt.* 2. *Ioan.* 13. *Christus in Passione & morte suâ, excellentissimus.* *Matt.* 3.

5. In Homine DEO, facta est Sapientia simplicitas; & fortitudo infirmitas. Ego enim eram reus, & coram DEI sapientiâ comparere erubescebam, dicens cum IOB. *Commissa mea pauesco, & ante te erubesco.* Eram aduersarius Fortissimi, & potentiam eius formidabam, *quis enim restitit ei, & pacem habuit? qui respicit terram, & facit eam tremere.* Ideò DEI benignitas, quæ semper magnificauit facere nobiscum, sapientiam suam abscondit in simplicitate, ne erubescam comparere: factaque est *cum simplicibus sermocinatio eius*, vt audeam fidenter sermonem miscere; abscondit Fortitudinem in Infirmitate, ne pertimescam accedere, quoniam dicit: *Sinite paruulos ad me venire. Confidite: Pax vobis. Ego sum, nolite timere.* *Iob.* 9. 4. *Psal.* 103. 32. *Prou.* 3. 32. *Mar.* 10. 14. *Mar.* 6. 50.

6. In DEO-Homine, Iustitia sanctitas & Innocentia, subijt reatum. O quàm miro consilio! Ego conceptus eram in omni malo, priuatus omni bono, idque propter culpam meam, & debitam culpæ pœnam. Hinc mihi necessitas releuandi à malo, absoluendi à debito, restituendi omni bono. Quid ergo? Innocentia reatum subijt, vt iustificer ego à malo. Iustitia pœnam subijt, vt ego liberer à supplicio. Plenitudo se exinaniuit, vt ego replear omni bono. DEVS enim *eum, qui non nouerat peccatum, quique non fecit peccatum, nec dolus inuentus est in ore eius:* Innocentissimum scilicet IESVM *fecit pro nobis peccatum,* *2. Cor.* 5. 21. *1. Pet.* 2. 22.

peccatum, hoc est: peccati nostri illi imposuit reatum, *Isa. 53. 6.* & *posuit in eo iniquitates nostras, vt efficeremur iustitia DEI* *2. Cor. 5. 21.* *ex illo.* O verè felicitatem, felicemque necessitatem: *Excell. 22. Christus in Passione & morte suâ, excellentissimus.* quia ex quo DEVS subijt nostrum reatum soluendum, vel necesse fuit, vt DEVS odiret seipsum, vel reconciliari DEO Hominem reum. Et hoc quidem erat acceptabile DEO, & ab eo intentum, iuxta illud: *Sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt mundus* *Ioan. 3. 16.* *saluetur per ipsum.*

7. JN DEO-Homine, facta est Opulentia Pauper, vt *2. Cor. 8. 9.* nos ditaremur. *Scitis*, (ait PAVLVS) *gratiam Domini nostri* IESV *Christi, quoniam cum diues esset, propter nos egenus factus est, vt illius inopiâ diuites essemus.* O quantùm dites scire deberemus ac possemus, quibus DEVS tantùm dedit, vt ipse nudus & pauper remanserit. Agnosce Anima mea, quam felix & proficua tibi sit hæc necessitas, in quâ DEVS se posuit amore tui ebrius, Christus JESVS DEVS-Homo? Aut enim necesse est te restitui in Regnum, aut IESVM exulare a Regno. Si quidem ipse assumpsit tuam paupertatem, ex quo opus est, aut te ditari & regnare, aut IESVM inopem & exulem ma- *Prou. 22. 2.* nere. Sed nimirum, *in vnum conueniunt diues & pauper:* quia diues fit pauper, vt pauper fiat diues. Hactenus S. Bonauen.: Hactenus & ego de Domini nostri, per Passionem & Mortem suam, humiliationis supra Creaturas omnes Excellentiâ.

EXCELLENTIA XXIII.

Solus Christus Passione suâ exaltatus est suprà omnes Creaturas.

VIGESIMA-TERTIA Christi Domini, suprà omnes Creaturas Excellentia est: quia solus est Passione suâ exaltatus supra omnes, in tantùm, vt a nemine exæquari possit.

Suppono

Suppono dicendis, quod Passio Domini nostri Exaltatio quædam fuerit, & etiam nunc sit eiusdem Domini. Ita enim illam ipsemet vocauit, dicens Nicodemo. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis,* & Iudæis dicebat. *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil;* & rursum. *Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum, hoc autem dicebat significans, quâ morte esset moriturus.* Ioan. 3. 14. Ioan. 8. 28. Ioan. 12. 32.

Porrò Passio Domini continet, facitque Exaltationem, non solùm materialem, & localem à terrâ in aërem per Crucem, in quâ appensus, & eleuatus est Dominus, ac medius latronum statutus, omniumque conspectui propositus; sed etiam continet ac facit exaltationem moralem ac spiritualem, ad eum modum, quo facta laudabilia, & Heroicà, virtutum insignium, & Dignitates exaltant operatores suos, euehuntque Nomen & famam eorum super alios. Hunc enim etiam in modum Passio & Mors Domini IESV Christi exaltauit illum, & dedit illi, meruitque nomen, quod est super omne Nomen, propter quod & suprà caput eius pendentis in Cruce, apposita fuit scriptura Hebraicè, Græcè, & Latinè. IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hoc ideò Prouidentiâ Diuinâ ordinante, vt contrà omnem inimicorum Christi sensum, nomen eius probro Crucis, eradere de terrâ volentium, potius Passione & Cruce exaltaretur nomen eius, & fieret REX Regum, Dominusque Dominantium; esset que suprà Nomen omnium Magnorum, qui essent super omnem terram. Philip. 2. Ioan. 19.

Hanc Domini nostri, per suam Passionem, Crucisq; Mortem nominis Exaltationem, mirabitur, vel in dubium vocabit nemo, qui aduerterit, non solùm ipsum Christum, sed omnes penitus res, totumque Vniuersum, cælum quoque, & omnia quæ in eo sunt, ipsam demum Sanctissimam Trinitatem DEVM, hac Domini Passione atque Crucis Morte exaltatum esse.

Excell. 23. Notum est, ac debet certè esse notissimum omnibus hominibus, maximè autem fidelibus, quàm innumeris, quàm enormibus, quàm suprà omnem indignitatem, iniuriositatemque indignissimis, & iniuriosissimis contumelijs, iniurijs, contemptionibus, impietatibusque, dejectus, illusus, reprobatus, abnegatus, ac infrà bruta, infrà saxa, ligna, cæteraque inanimata despectus, & quasi exstinctus fuerit DEVS ab hominibus: partim quando spoliatus Entitate, Essentiâ, Existentiâque suâ, esse, ac existere omninò negatus, ac in nihilum redactus est, *Psal. 13. 2.* dicentibus impijs, *Non est DEVS*; partim quando ipsius Diuinitas, totaque Deitatis Maiestas, Dignitas, atque Bonitas, & Magnificentia, sempiterna quoque omnipotentia, ac dominatio, & gubernatio, ipsi vero & proprio, essentialique possessori detracta, reposita est in Dæmones & pessimos genios, omnisque impietatis architectos, reposita & in absurdissimos Stercutios, Cloacinos, Pauores, Febres atque Priapos collocata, collataque, hominum ingenio, cultu, atque pietate fuisse cognoscitur. Deniique, quod semetipsos esse noluissent, aut erubuissent, hoc DEVM esse statuebant, huic diuinos honores deferebant, huic Diuinum, esse simile delirabant veriùs, quàm cogitabant. Tantâ quidem impijssimæ cæcitatis obstinatione, tanto pro inanium Deorum stolidâ veneratione asserendâ conatu, vt soli decem Imperatores Romani vniuersum orbem terrarum, Christianorum vnum verùm DEVM colentium, inanes autem deastros contemnentium, corporibus occisis instrauerint, & sanguine proluerint, humanumque genus totum, vbique, tantùm non aboleuerint.

Quid de alijs Diuinarum iniuriarum, humanarum nempè iniquitatum loquar generibus, adeò totum per orbem exaggeratè multiplicatis, vt cataclysmi Noëtici eluuiem, haud dubiè millies, per millenos etiam annos, & euicerint olim, & vtinam quoque non euincant. Quibus omnibus, vnus maximè, totus contemptissimè, ac

ac solus iniuriosissimè tractatur, & quantum in hominibus est, proscribitur, & exesse longè iubetur DEVS, contemnitur Dignitas & Maiestas eius, irridetur Sapientia, irritatur omnipotentia, caritas & bonitas despicitur, misericordia negligitur, iustitia violatur, & non timetur, veritas & veracitas in falsum torquetur, ira & comminatio surdâ aure auditur, voluntas, & Lex, & prima Ratio dissimulatur; Honor, Gloria, Veneratio detrahitur; dominatio, regimen, & prouidentia excutitur, beneficentia & largitas in offensam & iniuriam largientis commutatur, promissa sus-de que habentur, supplicia etiam æterna non timentur, ac neque creduntur, futura vita in dubium reuocatur, æterna temporalibus & caducis posthabentur, virtus, pietas, timor DEI, conscientiæ cultus ad ignauos, ad otiosos, & ad superflua curantes remittuntur.

Christus exaltatus à suâ Passione, excellentissimus.

Quid multa? DEVS, & Diuina, & placita Sanctissimæ voluntatis eius, & olim ignorabantur, vtque ignorarentur sapientum industriâ elaborabatur à quibus *Veritas DEI in iniustitiâ detinebatur, & qui cum cognouissent DEVM, non sicut DEVM glorificauerunt, neq; gratias egerunt*, sed fabulas doctas, super fabulas commenti, eas in cæcum populum ambitione superstitiosâ disseminarunt, obscurantes insipiens cor eorum, docentesq; facere tam in occulto, quam in manifesto, talia, quæ ipsa turpitudo erubuerit, ipsa impietas abominata fuerit, ipsa malitia execrata sit. Atque hoc, in vnius, soliusque Summi DEI, tum notitiam abolendam, tum venerationem deturpandam, tum gloriam subiectionemque exstirpandam: in humani verò generis, tam infelicis, quam miseri, stolidissimique simul ac impij, sempiternæ calamitatis perditionem exaggerandam, atque firmandam, à nequissimorum cacodæmonum insatiabili tyrannide, fraudulentissimâ virulentiâ peragebatur, per que secula propagabatur.

Rom. 1. 17.

Ab his enim latronibus, & omnis veri, æqui, honesti,

Luc. 10. 30 Excell. 23. sti, virtutis, probitatisque, tum prædonibus, tum hostibus, miserabilis homo a Ierusalem in Iericho descendens, interceptus, vulneratus, spoliatus, vix semiuiuus relictus, in potestatem seruitutemque redactus, ab omnibus cæterà desertus, solius Samaritani, eâdem viâ pertranseuntis, miseratione super se commoti, vini oleique in vulnera superfusione, ipsorum quoque vulnerum obligatione, in iumentum proprium sublatus, subuectusque, curam omnem, vsque dum persanaretur, pristinæque integritati redderetur, & vsque in Ierusalem reduceretur, in expectatissimâ caritatis exhibitione, super spem, meritumque omne expertus est.

Ioan. 8. 49. Ioan. 3. 17. Hic est ille Samaritanus, quem licet Iudæi non receperunt, licet exprobrauerunt, licet inhonorificauerunt, licet abiecerunt, solus tamen venit, & gloriam DEO dedit: mundoque salutem contulit vniuerso. *Non enim venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus*, & manifestetur glorificeturque DEVS *per ipsum*.

Hic est IESVS Christus, DEVS-Homo, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, qui etiam propter obedientiam, atque gloriam, exaltationem, & honorificationem sui Patris æterni, descendit de cælis, Incarnatus, & Homo factus, passus, crucifixus, mortuusque est. Morte suâ, mortuam planè, obrutamque DEI gloriam, scientiam, venerationem, legem, cultumque vniuersum, partim in idololatriâ, aut atheismo, partim in reliquorum scelerum immensâ multitudine, morte inquam suâ exsuscitauit, atque abolitis omnibus tam erroribus, quam superstitionibus, quam sceleribus, diabolicisque potestatibus, exaltare caput, atque totum per mundum efflorescere, dominari, & fructûs ferre, DEO per omnia glorioſos, humano autem generi salutares fecit.

Post quam enim DEVS-Homo Saluator noster, de torrente Passionis bibit, post quam baptismo dolorum, baptizatus est, post quam calicem mortis in Cruce ebibit

bit & exhauſit: ex tunc *exaltauit Caput*. Exaltauit Caput, Gloria & Magnificentia DEI, Iuſtitia, Miſericordia, Charitas DEI, Veritas, Sanctitas, Sapientia, & Omnipotentia DEI. Lex, Voluntas, Scientia, Veneratio, Obedientia, Dilectio, & Timor DEI. Exaltauit Caput, Humana ſalus, reconciliatio cum DEO, liberatio à dæmonum ſeruitio, emundatio à peccato, victoria mortis, deſpoliatio inferni, reſeratio paradiſi, Sanctitas morum, Excellentia virtutum, ſublimitas perfectionis, Virtus Crucis, Beatitudo cæleſtis. Exaltauit caput contemptus terrenorum, abnegatio carnalium, derelictio mundi vanitatum, Paupertas ſpiritûs. Amor Crucis, Dilectio Inimicorum, Caſta Virginitas, Patientia & Manſuetudo, Mentis humilitas, Obedientiæ robur, Caritatis ſinceritas, Perſeuerantia vſque in finem, Fides mundum vincens, Spes futurorum omnibus, quæ præſentia ſunt certior, Gratiæ atque Spiritûs plenitudo.

Pſal. 109. Chriſtus exaltatus à ſuâ Paſſione, excellentiſſimus.

Exaltauit Caput, etiam ipſe Chriſtus: non enim ſicut Samſon cum hoſtibus, quos plures moriens quàm viuens occidit, ipſe quoque commortuus eſt, nec amplius reuixit: ſed mortem ſuam moriendo mori coëgit, vitamque tàm ſuam, quàm noſtram, reſurgendo reparauit. Exaltauit ergo Caput, quia Paſſione atque Morte ſuâ, tàm Deitatem, quàm Humanitatem ſuam magnificauit & mirificauit. Animam ſuam, Corpus ſuum, ſanguinem ſuum, opera, virtutes, dona, merita, dolores, vitam, mortem, ſepulturam ſuam exaltauit. Exaltauit potentiam infirmitate, Sapientiam ſtultitiâ, Beatitudinem miſeriâ, Maieſtatem ignobilitate, Gloriam infamiâ, Veritatem calumnijs, Laudationem opprobrijs: Innocentiam accuſationibus, Sanctitatem peccatis, Benedictionem maledictis, Caritatem odijs, Vitam morte, Æternitatem interitu, Salutem perditione, Dominatum & Regnum ſeruitute. Et quis audiuit talia mirabilia? quis credidit hæc eſſe poſſibilia? Hæc niſi fides credat, ratio non capit, niſi gratia illuſtret, intellectus non aſſequitur,

Excell. 23. quitur, nisi veritas attestetur, cogitatio & mens non apprehendit. Sed is, qui hæc seu fecit, seu passus est, simul DEVS, & simul Homo est: idcircò omnia vera & credibilia sunt, quia DEO-Homini omnia possibilia sunt.

Passus est DEVS-Homo, & vt DEVS-Homo, quod nullus alius est homo. Passus est innocens vt nemo, Iustus quomodo nemo, Sanctus vt alius nemo, Dignus vt alius nemo, Æqualis DEO secundùm Deitatem, vt alius nemo, Vnitus DEO, & subditus simul DEO, vt alius nemo, Meritus de DEO, deque illius Dignitate & Voluntate, vt alius nemo, Meritus de toto genere humano, digniorque toto genere humano, vt alius nemo, Meritus de toto vniuerso, honoratior, pretiosiorque toto vniuerso, vt alius nemo.

Passus est DEVS-Homo redundantissimè, vt non solùm redundet, pro omnibus singulisque præteritis, præsentibus, & futuris, sed etiam possibilibus, nec futuris hominibus Adæ filijs.

Passus est DEVS-Homo pro peccatis, non tantùm præteritis, præsentibus, futuris, sed etiam pro possibilius.

Passus est DEVS-Homo, pro omnibus & singulis hominibus, tantùm pro vno, quantùm pro omnibus, & tantùm pro omnibus, quantùm pro vno.

Passus est DEVS-Homo, pro iustificatione vniuscuiusque hominis, & non pro iustificatione semel, iterumuè, aut aliquoties tantum repetendâ, deinceps verò denegandâ; sed pro iustificatione infinitis numero vicibus, in quouis homine, liberalitate indubitata repetendâ.

Passus est DEVS-Homo, non tantùm ad rigorem perfectum, sed suprà rigorem etiam iustitiæ Diuinæ.

Passus est DEVS-Homo, non tantùm pro vno genere, graduuè peccati, Diuinæque offensæ, sed pro omni genere, specie, gradu, in quibuscunque circumstantijs, & conditionibus.

Passus

Passus est DEVS-Homo, non solùm pro condonatione peccatorum, sed etiam remissione & abolitione omnium pœnarum, peccatis, siue in tempore, siue in æternitate debitarum.

Christus exaltatus à suâ passione, excellentissimus.

Passus est DEVS-Homo, non tantùm pro remissione culparum & pœnarum: sed etiam pro donatione Gratiæ sanctificantis, Filiationis Diuinæ, Iustificationis & sanctificationis, consortio Diuinæ naturæ ab hominibus obtinendo, pro Donis Spiritûs Sancti atque fructibus, pro Donis virtutum omnium ac singularum, pro iure & debito ex iustitiâ, vitæ beatitudinisque æternæ, pro iure atque valore operum nostrorum in Christo factorum, ad gratiam, gloriamque de condigno & cum Auxilijs actualibus, Christique meritis promerendam, deniquè pro ipso DEO à nobis hereditando, intuitiuè videndo, in æternumque fruendo.

Passus est DEVS-Homo, pro gloriâ & exaltatione suâ propriâ, quam &si habuit in omni plenitudine ex naturâ & vi Vnionis Hypostaticæ, atque Visionis beatificæ, voluit tamen eandem habere titulo meriti atque iustitiæ, quam per subiectionem & obedientiam, ad voluntatem æterni Patris, in Incarnatione, totâque mortali vitâ, sed specialissimè atque maximè plenissimâ cum Patris sui, & propter Patrem cum nostri Caritate, in passione, atque Crucis morte exercuit, simulque promeruit, & acquisiuit; atque in Resurrectione & Ascensione accepit, possiditque.

Videbitur verò hoc non nemini perabsurdum: Cum enim DEICIDIUM, quod supponitur, immò asseritur in Christo DEO-Homine ab inimicis patratum, sit omni peccato, possibili etiam, quin & omnibus simul, maius & grauius: quomodo per illud, damnatum atque deletum est omne peccatum, cum potius per hoc vnicum, auctum sit & irremissibilius redditum sit, omne humani generis peccatum? omni certè rationi repugnat grauissimo, & enormissimo omnium peccato delere

Excell. 23. lere omnia, hoc vno minora omnia peccata: quandoquidem tolerabiliora fuerint omnia peccata, hoc vnico peccato. Ad quod ita respondeo, vt assentiar Mortem Dei-Hominis, grauiore peccato ab inimicis eius occisoribusque patratam esse, quam omnia reliqua sint peccata. Ideò tamen omnia reliqua peccata, per hoc vnum Deicidij peccatum, esse damnata atque deleta, quia hoc est vnum omnium grauissimum peccatum, & Devs dignatus est velle, vt in ipsomet patraretur, atq; per illud hac eius dignatione omne aliud peccatum deleretur. Etenim hoc inter est, inter istud vnum, solumque Deicidij, & inter omne reliquum humanum peccatum, quod omne aliud peccatum, quodcunque ab hominibus commissum est nihil aliud sit, nisi peccatum & offensa Dei: at verò hoc Deicidij scelus, ita est peccatum humanum, vt simul sit etiam beneficium, meritumque Diuinum, & omnis peccati, atque adeò etiam suimet ipsius (id est Deicidij) remedium. Et ita peccatum hoc, quantùm ad hostes Christi, qui illud in Christum commiserunt, est omnium maximum peccatum, quantùm autem ad ipsum Christum, qui illud in se committi permisit, & commissum in se, meritum ac beneficium suum, omniumque aliorum peccatorum, etiam huius ipsius remedium fecit, est summum omnium Bonitatis, atque Miserationis in humanum genus
Rom. 8. 3. effusæ miraculum: quo *Devs misit Filium suum, & in carne illius de peccato damnauit peccatum*.

Sic Devs-Homo, Redemptor & Saluator noster Christus Iesvs, ideò quia de torrente Passionis in viâ suæ mortalitatis bibit, & sese factus obediens Patri, in forma serui, vsque ad Mortem, Mortem autem Crucis humiliauit & exinaniuit: ideò inquam exaltauit Caput, super omne caput, sicut se demiserat etiam infrà omne caput: & accepit à Patre Nomen, quod est super omne Nomen, vt in Nomine Iesv, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua

confi

confiteatur: quia Dominus noster IESVS Christus, in gloriâ est DEI Patris.

Christus exaltatus à suâ Passione, excellentissimus.

O Lingua, ô omnis lingua, ô omnis generis, omnis creaturæ, omnis hominis lingua, ecquando confitebéris confessionem hanc, quia Dominus Noster IESVS Christus, in gloria est DEI Patris. Erit quidem olim tempus, in quo hic idem Dominus noster, *in nubibus cæli cum Angelis suis*, cum gloriâ, & virtute, & Maiestate multâ, veniet ad iudicandas omnes gentes, Tunc erit, quod omnis lingua confitebitur, quia Dominus noster IESVS Christus, in gloriâ est DEI Patris: sed illa Confessio, infinitis erit confusio, atque nunquam terminandæ confusionis inchoatio. *Matt. 26. 62.*

Nunc, nunc omnes gentes, omnes saltem Christianæ gentes, omnesque credentium linguæ, confiteamini pleno ore, toto corde, fidelissimo opere, quia Dominus noster IESVS Christus, est in gloriâ DEI Patris, est etiam in gloriâ, & dilectione humani generis, est quoque in exaltatione & imitatione omnis in eum credentis, est in desiderio & possessione omnis Animæ fidelis, ac diligentis.

Quid enim est ô Christiani, quid est inquam, quod Dominus IESVS per Passionis suæ torrentem transiens, atque de eo bibens exaltauit Caput? quid est, quod exaltatus à terrâ per Crucis mortem, sursùm omnia traxit ad seipsum: sola vestra corda, solæ vestræ mentes, solæ Animæ vestræ, soli vos remanetis in terrâ, sola corda vestra putrescunt in mundo, & carne, & neque exaltant Dominum IESVM, neque exaltantur à Domino IESV? adhuc vobis Christus est in stabulo, adhuc in præsepio, adhuc Herodianam necem fugitat, adhuc à diabolo tentatur & gestatur, adhuc lapidationes & præcipitationes declinat, adhuc venditur & emitur, adhuc osculis proditur, adhuc captiuatur, accusationes, calumnias, odia, ludibria patitur, adhuc illuditur, conspuitur, colaphizatur, flagellatur, spinei serti ludibrio deluditur,

Excell. 23. arundine cæditur, purpureo vestitu circumdatur, Barabbæ componitur, & postponitur, lotis licet manibus ad Crucem tamen damnatur, & metus iniqui iudicis, fit crimen Innocentis, adhuc deniq́ue Morti addicitur, Crucem sibi adhuc baiulat, in eâ affigitur, in eâ pendens deluditur, blasphematur, aceto sitiens potatur, & fiducia in DEVM, filiatio DEI, beneficentia in alios, aliorumq́; saluatio illi exprobratur, postremò adhuc Christus in Cruce agonizat, adhuc cum doloribus mortis luctatur, adhuc cum lacrymis & clamore valido, ad Patrem pro suis Crucifixoribus orat, adhuc Spiritum in manum Patris emittit, atq́ue Moritur. Hæc adhuc omnia Christus inter Christianos, à Christianis, sed non iam pro Christianis, at potiùs contrà Christianos sustinet atq́ue patitur. Et nunquid est, qui Christum de hisce tormentis eliberet? de Cruce laniatum, sauciatum, enecatum, tandem deponat? qui depositum vnguentis condiat, mundâ Syndone inuoluat, nouo in sepulchro condat? Heu! quis numeret in quorum animabus, tanquam in saxeis sepulchris Christus videt corruptionem, subit putredinem, spirat fætorem. Quis recenseat eos in quibus Christus Crucifixus est millies, occisus millies, nece super necem necatur millies, tumulatur millies, & non quatriduanus Lazarus, sed totis dierum circulis vitæ multorum, fœtet, & putret, verminatq́ue, abditus, neglectus, ac in purulentâ peccatorum, saniè resolutus.

Putasnè ab hac Passione suâ, quâ Christiani sui, quâ fideles sui, pati fecerunt, moriq́ue coëgerunt Christum suum, exaltabit aliquando Caput Christus? Ah Christiani: Non est hæc, non est ista Passio, quæ Christum exaltat; Non est ista Domini Crux, quâ Dominus omnia ad seipsum trahat. Passio ista Christum quidem cruciat, sed vos damnat; Christum offendit, sed vos perdit; Christi salutarem passionem euacuat, at vestrâ damnatione infernum exsatiat. Quid est Christiani? Passionem

nem Christi defletis, quâ ille saluauit vos: & istam Passionem Christi elaboratis, quâ ille damnabit vos? illâ suâ Passione, Diabolum Christus vicit, peccata mundi aboleuit, Mortem superauit, expugnauit infernum, aperuit cælum, reconciliauit DEVM, saluauit & redemit genus humanum, glorificauit Patrem suum æternum; hac autem vestrâ, quam Christo sceleribus vestris, cordibusque ingratis, & animis obstinatis infertis Passione, vincit Christum diabolus, peccata ei dominantur, ad mortem æternam trahitur, labore, meritis, & sanguine illius infernus expletur, cælum redemptis ab illo occluditur, DEVS ad iram & vindictam prouocatur, hominum infinita multitudo perit, DEVS honore & gloriâ spoliatur, ipse Christus omni suæ Incarnationis, Passionis, Mortisque fructu, in hominibus, ab hominibus, & ijs quidem in se credentibus, defraudatur.

Christus exaltatus à suâ Passione, excellentissimus.

Christiani: Patiens Christus petras dissoluit & concidit, Solis & lunæ cursum immutauit, Noctem diei per vniuersam terram superinduxit, terram ipsam tremore concussit, maria perturbauit, sepulchra mortuorum aperuit, ipsos mortuos ad vitam redire fecit, Crucifixores suos petris duriores ad sui confessionem, & ad pœnitentiam adduxit. Solos nos Christianos non commouebit, nec ad meliora mutabit? solos nos ad se non attrahet? apud solos nos non exaltabit Caput, non exaltabit eum Passio, & Crux, & Mors suâ? soli nos Christiani, Christum quem propter nostram salutem, propter omne bonum nostrum æternum, esse passum & mortuum credimus, atque confitemur, tandem tandem non Christianè amabimus? non Christo dignè, debitèque æstimabimus? non abnegantes omnem Christo exosam impietatem, sobriè, & iustè, & piè, & per omnia Christianè viuemus?

Christiani: Attendite, & recognoscite, quia *quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*, & iam nemo sibi, nemo suis desiderijs, nemo veteribus peccatis, *Rom. 6. 3.*

sed Deo, & sanctissimæ voluntati eius. Sed Christo, & saluberrimis exemplis, ac mandatis eius; quod reliquum est temporis viuat fundatus, ac radicatus in Charitate, exaltans Christum in Passione suâ: & magnificans eum in Morte suâ.

Excellentia XXIV.

Solus Christus in Resurrectione suâ, super omnes Creaturas est.

Vigesimaquarta Christi Domini nostri, suprà omnes Creaturas Excellentia est: quia solus ille est, qui in suâ ex mortuis Resurrectione, supra omnes creaturas est. Nemo enim illi similis in resurrectione ex mortuis, aut est, aut esse potest.

Tametsi enim plures resuscitatos ad hanc vitam, siue in Sacris, siue in prophanis scripturis legimus, nullius tamen resurrectio, par Resurrectioni Christi Domini nostri fuit. Atque id ex pluribus conditionibus, capitibusque.

Primò: Quia Christus Dominus, post veram & propriam naturalemque mortem suam, reuixit, resurrexitque resurrectione æternâ, hoc est, nunquam ad Mortem iterum rediturus. Nam teste Paulo Apostolo, *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6. 9.

Secundò: Quia Christus Dominus, suâ propriâ & potestate, & voluntate resurrexit à Mortuis. Non enim alius quis, sed ipse seipsum ad vitam reduxit, & viuere fecit. Etsi enim dicitur, & verè dicitur, quod Pater eum resuscitauit, hoc tamen non prohibet, quominus verum sit, quod & ipse ipsum se resuscitauerit. Indiuisa enim sunt opera Trinitatis, & quâ potestate resuscitauit Dominum Iesvm, Pater, eadem & Spiritus Sanctus resuscitauit illum, & eâdem resuscitauit ipse semetipsum.

Atque ita Christus quâ homo mortuus, resuscitatus est, at idem Christus quâ DEVS, resuscitator est: & humanitatem suam, quam in Incarnatione assumpsit, quæ non erat: in Resurrectione eandem reassumpsit, quæ fuerat. In Incarnatione corpus ex sanguine Virginis sumens, animamque illi infundens, & humanitatem constituens, insimul eam suæ Diuinitati Personaliter vniuit, atque seipsum DEVM-Hominem effecit; In Resurrectione autem, ad corpus exanime quidem, sed tamen Diuinitati vnitum, animam extrà corpus quidem sitam, eidem nihilominus Diuinitati coniunctam, corpori, quando ei placitum est, reuniuit, & Humanitatem constituens, iterum eam immò semetipsum, cum eâ DEVM-Hominem fecit.

Tertiò: Quia Christus Dominus, resuscitauit se ad gloriam beatificam etiam corporis: quam extunc à glorificatissimâ semper Animâ, Visioneque Diuinitatis, à primo instanti Conceptionis & Incarnationis, beatificè perfruente, etiam in Sanctum suum Corpus demanare fecit: dotans etiam illud, non solùm vitâ, & omni integritate suâ, sed etiam dotibus, glorificatum corpus addecentibus. Claritate, Subtilitate, Agilitate, Impatibilitate, Immortalitate, cæterisque omnibus bonis immortalitatis, atque glorificati seu corporis, seu animæ, totiusq; hominis.

Quartò: Quia Christus Dominus, omnium ex hominibus mortuorum, primus resurrexit ex mortuis, resurrectione perfectâ, seu ad vitam perfectam, atque æternam. Resurrexerunt enim ante Christum, ab ipso etiam Christo resuscitati aliqui, sed resurrectione imperfectâ, & ad vitam mortalem, mortique obnoxiam, immò ad morientem; quoniam vita mortalis, est mera prolixitas mortis: at Dominus IESVS ad vitam immortalem resurrexit, omnium mortuorum primus, simulque ad vitam beatam, atque gloriosam in æternùm; in quo etiam Dominum antecessit nemo. Propterea Apostolus

Excell. 24. lus vocat Dominum nostrum, Primitias mortuorum, & Primogenitum ex mortuis, quia ille ex mortuis primus omniũ Resurrectione regenitus est, atque fructuum ex mortuis perceptorum, mortique ereptorum, ille idem primitiæ, seu fructus primitiarum est. Et quamuis dicamus, cum Domino resurgente aliquos ex Sanctis Patribus, resurrexisse Christi virtute simul, & ad immortalem, & ad glorioſam vitam: adhuc tamen Christus erit primus, & primitiæ, & primogenitus mortuorum: prioritate si non temporis, dignitatis tamen, & causalitatis, atque etiam iuris, quia Christi dignitati resurgentis, data est illa aliquorum Sanctorum resurrectio; & quia Christi tum meritis, tum potestate facta est.

Quintò: Quia Christus Dominus, resurrexit propter Iustificationem nostram: dicente Apostolo de ipso. Rom. 4. 25. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter Iustificationem nostram*, quod non est ita intelligendum, quasi Christus aliquid vel sibi gloriæ, vel nobis gratiæ, iustificationisuè resurrectione meruerit: omne enim meritum Dominus, Passione & Morte compleuit, ita vt Resurrectio ex mortuis non meritum, sed meriti præmium sit: nec iam ad dona Gratiæ disponentia ad Christum, sed ad dona Gloriæ decentia, & glorificantia Christum pertineat. Resurrectio tamen facta est, propter iustificationem nostram, eo sensu, quo alibi dixit idem Apostolus. 1. Cor. 15. 14. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, inanis prædicatio nostra*: quia nimirum fide Resurrectionis Christi, confirmatur, stabilitur, consummatur, epilogaturque Justificatio nostra. Credere enim Christum, v. g. natum, Passum, Crucifixum, Mortuum, Sepultum, nec Iudæi negant, nec Gentiles contradicunt, sed à mortuis resurrexisse, hic verò à Christianis dissident, eosque derident, at hoc est ipsum, quo Christiani à cæteris separantur, quo illos ab alijs fides separat, ideòque & iustificat. Inde est quod Christus Dominus, & resurgere, & resurrectionis suæ fidem tantopere studuit, atque etiam debuit

debuit ſtabilire, quia niſi hoc feciſſet, ſe quidem (vt ait AVGVSTINVS) exercuiſſet, non autem nobis profuiſſet, exercuiſſet tanta patiendo, nobis non profuiſſet, inter mortuos vſque huc remanendo, quoniam (vt idem Apoſtolus concludit.) *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccatis veſtris, ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quid enim miſerabiliùs, quàm in mortuum credere, pro mortuo omnia huius mundi mala perpeti, omnia bona perdere, & nihilominus inter mortuos cum mortuo remanere? hoc certè etiam gentilium incredulitate miſerabilius eſt, hi enim ſaltem huius mundi, & vitæ bonis fruuntur; eſto poſt mortem nulla eos maneat voluptas, at credentes in mortuum Chriſtum, nec rediuiuum à mortuis, miſeri ſunt, primùm huius vitæ bonis ſe propter eum priuando, miſerabiliores poſt eius ac ſuam mortem, nihil boni participando. Reſurrexit igitur Chriſtus, propter iuſtificationem noſtram, vt in reſurgentem credentes, *ſpem habeamus*, & nos, tum *huius vitæ, quæ nunc eſt*, bonorum gratiæ, peccatorum remiſſionis, filiationis DEI, reſurrectionis quoque ad inſtar eius, tum verò *etiam futuræ vitæ*, quemadmodum ſcriptum eſt. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite: vbi Chriſtus eſt, in dexterâ DEI ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.*

Chriſtº Reſurrectione ſuâ, excellentiſſimus.

1. Cor. 18. 17.

1. Tim. 4. 8.

Coloſ. 3. 1.

Sextò: Quia Chriſtus Dominus reſurrexit, propter Reſurrectionem noſtram, vt ſcilicet fidem, ſpem, atque deſiderium reſurrectionis, & ex eadem conſolationis noſtræ fundaret, firmaret, atque exemplum & initium in ſemetipſo nobis exhiberet. Quemadmodum diſertè atteſtatur Apoſtolus, dicens. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per Hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnus quiſq; in Ordine ſuo: Primitiæ Chriſtus, deinde*

1. Cor. 15. 20.

1. Cor. 15. 24. *deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis.*

Propter nostram ergo Resurrectionem, ad vitam immortalem, resurrexit Christus primus, totus quidem Personaliter, at non totus quoad Corpus suum mysticum, id est, quoad nos, qui membra eius sumus, & resurrectionem ad instar resurrectionis eius, & à virtute
Ioan. 5. 25. resurrectionis illius expectamus, dicente ipso: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij DEI, & qui audierint viuent.*

Porrò Christus Dominus, quadrupliciter nostram Resurrectionem operatur, scilicet, vt causa meritoria, efficiens, exemplaris, & finalis. Meritoria, quoniam Morte suâ meruit omnium nostrum resurrectionem; quod suæ Mortis ac Passionis meritum, quia in resurrectione suâ, tanquam in termino absoluit, & tanquam complemento laborum, passionum, meritorum totius oeconomiæ suæ concluſit; ideo Passio & Resurrectio, sunt quasi vnum integrum opus Redemptionis nostræ, & veluti vna actio moralis Christi, quâ ille simul & semel meruit nobis, tum remissionem peccatorum, tum iustificationem nostram, tum deniqúe & Resurrectionem nostram. Efficiens verò causa nostræ Resurrectionis est, ac erit Dominus, quia in nouissimo die resurrectionem nostram, Physicâ effectione perficiet, secundùm verba illius, quæ superioribus consequenter ad-
Ioan. 5. 26. iunxit, dicens. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij DEI; & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Iam verò Exemplaris causa, nostræ Resurrectionis est Christus, quia in suâ Resurrectione, dedit & præmisit nobis exemplar nostræ resurrectionis, quod nos resurrectione nostrâ imitabimur, & exprimemus, vnusquisque

quiſque in ſuo ordine (vt ſuprà dixit Apoſtolus,) iuſti quidem perfectè, perfectione ſibi & illi ſtatui ſuo congruâ: iniuſti autem & reprobi, non ad omnia perfectè, ſed ſolùm quoad Naturalia: bona enim gloriæ & beatitudinis, non habebunt locum in ipſis. Vnde etiam quoad hæc Reſurrectio Chriſti Domini, non eſt, nec erit Exemplar reſurrectionis reproborum, quemadmodum Iuſtorum & Electorum erit, iuxta illud PAVLI dictum: *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus;* qui etiam alio loco ſtatuit diſcrimen iuſtorum & iniuſtorum reſurrectionis. *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, ac ſi dicat, quod iuſti in reſurrectione ſuâ accepturi ſint ſua corpora glorioſa, immutata dotibus perfectionibusque beatificis, & portabunt in æternum imaginem cæleſtis Hominis, nempe Chriſti: iniuſti autem non immutabuntur in ſuis corporibus reſuſcitatis, ſed quamuis erunt plenè integra in naturalibus, non erunt tamen glorioſa, neque in melius mutata dotibus, perfectionibuſque beatificis, ac ſupernaturalibus. Chriſti ergò Reſurrectio, & Corpus glorioſum exemplar eſt reſurrectionis iuſtorum, electorum, atque beatorum, & quidem in hoc genere ſummum & perfectiſſimum, neque ab vllo beatorum exæquandum: & ſi enim ſimiles ei erimus (vt ait Apoſtolus) hæc tamen ſimilitudo non erit cum æqualitate, ſed ſolùm cum proportione debitâ, vt ſicut Corpus Chriſti iuxta ſuam individualem rationem, habet omnem gloriæ perfectionem ſibi debitam, ſic etiam iuſtorum ſingulorum glorioſa corpora, habebunt perfectionem naturalem & ſupernaturalem, quæ illorum & Naturæ & gratiæ, ſiue meritis, fuerit congrua, atque debita.

Chriſti Reſurrectione ſuâ excellentiſſimus.

Rom. 6. 5.

1. Cor. 15. 51.

Tunc implebit Chriſtus Dominus illud, ab Apoſtolo prænunciatum opus, officium, beneficiumque ſuum erga iuſtos, nimirum *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Configuratum in Vnione

Phil. 3. 21.

Excell. 24. Animæ, cuiusque beati ad suum corpus, vt ei tribuat vitam naturalem omnino aptissimam. Configuratam deinde in quantitate ad quantitatem Corporis Christi. Non quod omnes Beati futuri, sint eiusdem staturæ & quantitatis corporeæ cum Christo, poterunt enim esse tam paulò minoris, quam & paulò altioris, quàm Christus; id enim non repugnat: sicut non repugnat, quod Animæ beatorum inæqualis sint futuræ perfectionis, tàm Naturalis, quàm supernaturalis, sed vna quæque Anima beata, habebit corpus suæ Naturali perfectioni accommodatum, & commensuratum. Præterea Dominus Corpus humilitatis nostræ, faciet configuratum corpo-

Eph. 4. 13. ri claritatis suæ, quoad *Mensuram ætatis plenitudinis* corporis sui: prout dixit Apostolus. Est verò plenitudo, seu perfectio ætatis corporeæ, tunc quando corpus accipit augmentum suum, quod per vires Animæ naturales, perfectè, & sine impedimento operantes consequi potest. Tunc quoque est perfectio ætatis in corpore, quando habet integras vires, temperamentum perfectum, & maximè Animæ suæ accommodatum, in quibus omnibus beatorum corpora, imitabuntur corpus Christi, eique configurabuntur, iuxtà exigentiam statûs perfecti beatorum. Ad extremum configurabit Dominus corpora Beatorum, corpori suo beato, quia illa faciet assimilata sibi in omnibus sensibus, facultatibusque Corporis, in pulchritudine quoque ac alijs ornamentis,

1. Cor. 15. tam naturæ, quàm gloriæ, *vt sicut erant tales terreni, qualis & terrenus, sic etiam fiant tales cælestes, qualis cælestis, & sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.*

Vltimò: Christus Dominus, nostræ Resurrectionis, est Finalis causa. Sicut enim ille propter nos resurrexit, ita & nos propter illum resurgemus, & sicut ille propter nos resurrexit ad vitam glorioſam, sic & nos propter illum, ad vitam pariter glorioſam, beatamque resurgemus, denique sicut ille resurrexit, & permanet glo-

rioſus

rioſus in corpore propter nos, vt Beatiſſima Humanitas eius eſſet noſtræ beatitudinis complementum: ſicut enim Animarum noſtrarum beatitudo, eſt à Diuinitate Chriſti: ſic Corporum ab Humanitate eiuſdem, beatitudo erit, ita quoque nos hoc fine glorioſi erimus, & permanebimus in æternùm, vt DEVM-Hominem glorificatorem noſtrum, nos quoque glorificemus in æternùm. *Chriſti Reſurrectione ſuâ, excellentiſſimus.*

Septimò, & vltimò Reſurrectio Domini noſtri incomparabilis fuit, & eſt, quia ad eruditionem noſtram ſpiritualem, moralemque reſurrectionem nos edocendam, ab illo facta & ordinata eſt. Explicat hoc copioſè & diſertè Apoſtolus PAVLVS, quin etiam ſimul præſcribit omnibus fidelibus, & Domini reſurrectionem fide amplectentibus, ſi ex eâ volunt, prout debent condignam, & Chriſto placitam vtilitatem animarum obtinere. Ait ergo. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia; vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per Iuſtitiam in vitam æternam, per* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum.* Rom. 5. 20. *Quid ergo dicemus: permanebimus in peccato, vt Gratia abundet? Abſit, qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis, quia quicunq; baptizati ſumus in Chriſto* IESV, *in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltrà non ſeruiamus peccato.* Rom. 6. 1. *Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto, ſcientes, quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit* DEO. *Ita & vos exiſtimate vos mortuos, quidem eſſe peccato, viuentes autem* DEO, *in Chriſto* IESV *Domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obe-*

Excell. 24. *diatis concupiscentijs eius: sed neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos* DEO, *tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ* DEO. Hæc omnia Apostolus, cuius omnino linguâ & calamo o p° fuit ad tam magnum, tam salutare, & necessarium arcanum enarrandum Ecclesiæ, atque filijs eius in Christum credentibus. Vix enim alicui alteri linguæ crederent homines dicenti, Christum IESVM ideo mortuum esse peccato semel, vt nos quoque moriamur instar illius peccato semper, item, Christum IESVM ideo resurrexisse à mortuis, vt & nos resurgamus cum ipso, & iam desinamus peccato, sed in nouitate vitæ ambulemus, denique Christum IESVM, ideò, & ita resurrexisse ex mortuis, & amplius iam non mori, nec illi vltrà mortem dominari: vt etiam ita valedicamus peccato, vt amplius non regnet peccatum in nostro mortali corpore, neque vnquam deinceps obediamus concupiscentijs eius, sed exhibeamus nos DEO, tanquam ex mortuis viuentes, & arma nostra militent constanter iustitiæ, & virtuti, & obseruationi Mandatorum DEI. Hoc est enim mori peccato, damnandis scilicet operibus non viuere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire superbè. Sicut enim qui mortuus est morte corporis, nullas iam opes quærit, nullas voluptates concupiscit, nullas hominum laudes captat, nullis dignitatibus inhiat, sed nec vlli detrahit, nullum auersatur, persequitur etiam nullum, nullius pudicitiam callidâ circumuentione corrumpit; ita etiam qui mortui reuera peccato, vni viuunt DEO, talibus vitijs non viuunt, sed in nouitate vitæ ambulant, & iam non desiderijs humanis, sed voluntati DEI, quod reliquum est in carne, viuant temporis; iuxtà B. PETRI admonitionem.

1. Pet. 4. 2.

Humana desideria, extendebant ante manus tuas ô homo, ad rapienda aliena, iam nunc extendat Iustitia, easdem vt propria largiantur. Humana desideria, impellebant ante pedes ad effundendum sanguinem: nunc

iustitia

iustitia eos dirigat, ad prohibendum ad liberandum, eundem. Humana desideria, oculos tuos rapiebant ad concupiscendum illicita. Nunc iustitia pacificatur fœdus cum oculis tuis, vt nè cogites quidem, quod immundum est. Quid multis? Vnius cuiusque membri ministerium, quod humana desideria impendebant peccatis: iustitia deinceps constanter addicat virtutibus. Hæc est enim vera in Christo Pax, vera libertas, veraque iustitia: quando & humana carnaliaque desideria, animi, rationisque iudicio reguntur, & ipse Hominis animus DEO præside gubernatur.

Christo Resurrectione suâ excellentissimo.

Huic gratiæ, atq; gloriæ, qui dedit nobis victoriam peccatorum, *& resurrectionem in nouitatem vitæ, per Dominum nostrum* IESVM *Christum. Itaq; fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles: abundantes in opere Domini semper: scientes, quod labor vester, non est inanis in Domino.* 1. Cor. 15. 57.

EXCELLENTIA XXV.

Solus sedet ad Dexteram Patris, Dominus noster IESVS *Christus.*

VIGESIMA QVINTA Domini Nostri, super omnes Creaturas Excellentia est: quia solus ille ascendens in cælum, sedet ad DEI Patris sui dexteram, nulli autem Creaturæ hoc competit. Quod disertè Apostolus testatur, cum ait. *Ad quem autem Angelorum, dixit* (DEVS *Pater*) *aliquando: sede à dextris meis?* hoc est, ad nullum omninò: Cum verò Angeli superiores sint omnibus reliquis creaturis; si Dominus IESVS in hoc confessu omnes Angelos excedit: manifestum est, quod excedat etiam reliquas Creaturas Angelis inferiores. Hebr. 1. 13.

Porrò Excellentia ista Domini nostri, quæ in sessione ad Patris dexteram consistit potissimùm, tribus modis obuenit Domino. Esto enim dubitandum non sit Dominum IESVM, summum & supremum locum, super

Excell. 25. cælos, & in cælis conscendisse & obtinere, superiorem quàm vllus, vel hominum, vel Angelorum, attestante Apostolo: *Ipse est, qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia*, & rursùm, *Christus excelsior cælis factus*: quæ indicant Christum, etiam localiter altissimam in cælo habere mansionem, tanquam eius Theandrinæ Humanitati conuenientem, atque ipsis etiam Angelorum hierarchijs digniorem; Nihilominus non in hac locali eleuatione Domini supra cælos consistit excellentia ista ascendendi in cælos, sed in eo, quod & ab Euangelistis, & ab Apostolis signanter asseritur, quia ita ascendit, vt ascensu suo peruenerit vsque ad dexteram DEI, ad eamque consederit, quemadmodum MARCVS ait: *assumptus est in cælum, & sedet à dextris DEI.* PAVLVS verò dicit: *DEVS operationem potentiæ virtutis suæ, operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*: & alio loco nos cohortans, ait, *quæ sursùm sunt quærite, vbi Christus est, ad dexteram DEI sedens.* Hæc ergo ad dexteram DEI sessio, vel etiam, vt de eâ STEPHANVS protomartyr asseruit, à dextris DEI statio, singularissima est Christi Domini excellentia, sed in quo consistat enucleatiùs videndum est.

Ephes. 4. 10. Hebr. 7. 26. Mar. 16. 19. Ephes. 1. 19. Colo. 3. 1. Act. 7. 55.

Paulò superiùs affirmaui tribus modis obuenire, seu etiam conuenire Domino nostro, consessum ad dexteram DEI, quod antequam enarrem, sepono prius communem dubitationem de DEI dexterâ, deque sessione, aut statione Christi ad ipsam. Constat enim, DEVM, vt potè incorporeum, neque dextram, neque sinistram habere, proinde etiam Christum, neque sedere, neque stare ad dextram DEI posse: non ergo secundùm litteralem sensum vocum, tam dextera DEI, quàm sessio, statiouè ad illam intelligenda est, sed tàm dextera DEI, quàm sessio, statioque ad illam Christi metaphoricè sumenda & explicanda est: non tamen sessio, aut statio

ipsa

ipsa Domini, eidem metaphoricè, sed propriè, vt potè corpus proprium habenti, & magis etiam statio, quàm sessio competit: qui corpori glorioso, sicut & non glorioso, magis connaturale, maiorisque perfectionis, & ad perfectas actiones obeundas commoditatis est stare, quàm sedere: si quidem sessio ferè fatigationis remedium est, quæ in glorioso corpore locum non habet.

Christus Sessione ad dexteram Paternam, excellētissimæ.

Hac ergo dubitatione sepositâ: Dextera DEI, & Domini ad illam sessio, trifariam intelligi potest. Primò quidem ita, vt Dextera DEI accipiatur pro Diuinitate Patris, quam Christus secundùm naturam Verbi, communem, & eandem omnino habet cum Patre, cui & consubstantialis est, solâque Personâ ab illo separatus, seu distinctus existit: ita ergo Christus ad dexteram Patris est, aut sedet, aut stat, quomodo est in sinu Patris, secundùm scilicet æqualitatem, & identitatem naturæ cum Patre, quàm habet ab eodem Patre. Qui modus sedendi ad dexteram Patris, tàm essentialiter conuenit Christo, quàm essentialiter ei competit esse Filium DEI. Sed sciendum est, non de hac Christi ad dexteram Patris sessione, sermonem esse in articulo fidei nostræ, quando cum scripturis credimus, & confitemur Dominum nostrum IESVM Christum, de terrâ ad cælos ascendisse, & ad dexteram Patris sedere: ad hanc enim sessionem Dominus non ascendit, sicut & nunquam ab eâ descenderat, sed semper in Patre, cum Patre, apud Patrem, in identitate & æqualitate Naturæ, cum distinctione solius tantummodò Personæ manebat. Vnde Dominus noster ad iudicandum hoc, dixit aliquando: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Hoc quod dixit, *Filius hominis, qui est in cælo:* manifestè ad Deitatem spectat, per quam Christus in cælo semper erat, vt nunc est, licet secundùm humanitatem, quam Deitas & Persona Verbi in terrâ ex homine Virgine assumpsit, atque Verbum Caro Factum, & Filius hominis est, nouo modo, non scilicet solùm per immensitatem, sed etiam

Ioan. 3. 13.

per-

Excell. 25. per Incarnationem esse in terris cœpit; atque ita descendit de cælo, non loci mutatione, quæ Diuinæ immensitati impossibilis, iuxtà illud: *Ego* DEVS, *& non mutor*: Et Malac. 3. 6. Ierem. 23. 24. *Cælum, & terram ego impleo:* sed humanæ naturæ in terrâ, & de terrâ, seu de terrenâ Virgine, assumptione, & inter homines humano more conuersatione, atque operatione, saluâ interim Diuinitatis eius in cælo remansione.

Iste modus sedendi ad dexteram Patris, id est, incommunione, æqualitate, & identitate Essentiæ Patris, tàm ab omni Æternitate competit Christo, quàm eidem competit ab æternitate, pariter esse cum Patre, & nasci ex Patre. Et procul dubio hic sedendi, ad dexteram DEI modus, vni ac soli competit Christo, neque vlli potest competere enti Creato. Verùm (vt suprà dixi,) non de hoc sedendi ad dexteram DEI modo, habemus & tenemus assertionem in Scripturis sacris, & Symbolo fidei Apostolico: in quo manifestè, sicut & in Scripturis, ita distinguitur Christi Domini Ascensio in cælum, & sessio ad dexteram DEI, vt ascensio asseratur præcessisse, ac demum ei sessio ad dexteram Patris successisse, & successisse ita, vt etiam per ascensionem suam Dominus, illam assecutus sit.

Secundò ergo dextera DEI, ad illamque Christi Domini post ascensionem suam sessio, intelligi potest, modo & sensu aliquatenus priori: in quo ab Essentiæ, Naturæque Patris ac Filij vnitate, personarum verò distinctione, affirmatum est dexteram Patris esse Essentiam, & omnia bona Essentiæ Patris, quæ Filio pariter per Essentiam & naturam competunt, sed ita vt Patri competunt ab ipsomet, vtpotè à se, & à nullo alio existente, Filio autem tanquam ei, qui ex Patre nascendo, omnia habet à Patre, & ideò dicitur sedere ad dexteram Patris, quia quidquid habet, etiam ipse habet, sed à Patre, non autem Pater ab illo: propter quod ille ad Patris, vt non vicissim Pater ad illius dexteram sedere dicitur. Iam verò in hoc secundò modò explicatio Christi Domini sessionis,

ad

ad dexteram Patris, procedit ob Naturarum in Christo distinctione, & Vnitate ac identitate Personæ illius. Duæ sunt enim in Christo naturæ distinctæ. Vna Diuina, altera Humana. Vna autem & eadem vtrique Persona Diuina, Verbi scilicet, siue Filij. Et naturæ quidem, (vt in priore modo visum est) Diuinæ Christi Domini competit ad dexteram DEI sedere, perinde ac ei competit eandem realiter ac identicè cum Paternâ naturâ esse; at Naturæ Humanæ, vt ea talis est, id minimè congruit, quatenus verò illa per Vnionem Hypostaticam, Verbi Personæ vnita est, & per hoc est Christus verus, naturalisque Filius DEI, eatenus Natura Humana, seu DEVS-Homo, sicuti est Filius DEI propriè, sic etiam conuenit illi sedere ad Patris dexteram. Non secundùm conditionem Naturæ, quæ creatura est; sed secundùm Vnitatem Personæ, quæ Increata est, & secundùm eam Christus, etiam quâ homo est, sedet ad dexteram Patris; quantùm ad æqualitatem honoris; quoniam eodem honore venerandus & adorandus est Filius DEI, cum suâ Naturâ assumptâ. Vna enim Hypostasis, vnâ quoque, ac eâdem adoratione, colenda est, cum suâ humanitate ab omnibus Creaturis. Atque ita, iuxta hunc secundum modum intelligendi sessionem Christi, ad dexteram DEI, sedere ad dexteram, & esse in æqualitate Patris, non pertinet ad ipsam naturam humanam Christi, sed solùm ad personam assumentem Verbi, esse autem in æqualitate honoris cum Patre, & per hoc sedere ad dexteram eius, pertinet etiam ad Naturam hominis Christi, propter vnionem & communicationem eius cum Verbo. Propter hanc enim Christus etiam quâ homo habet, vt eâdem cum Verbo adoratione honoretur, & vt humanitas eius admirabili modo, sit in throno Maiestatis DEI, itemque vt habeat in eâdem humanitate, & obtineat essentialem gloriam ac beatitudinem, præ alijs excellentiorem, nec non potestatem Iudiciariam, ac regnum dominiumque excellentiæ in omnes Creaturas, atque per hoc sit hæres, ac do-

Christi Sessione ad dexterã Paternam, excellentissimus.

Excell. 25. minus in potissimis DEI bonis, prout in hac Materiâ, tùm loqui, tùm explicare solent Patres, ac Theologi.

Et secundùm hunc modum, sedere Christum ad dexteram DEI Patris, etiam secundùm quod homo est in Verbi personâ subsistens: ita conuenit vni ac soli Christo, & suprà omnes creaturas excellentius esse, prout etiam vni illi atque soli conuenit esse DEVM-Hominem, DEIque Filium verum, ac naturalem, ac proprium.

Sed aduertendum est, quod quamuis hæc ita se habeant in Domino nostro IESV Christo, quamuis (inquam) hoc modo atque sensu, Dominus IESVS sedeat ad dexteram Patris: hoc tamen habeat non ab ascensione, neque post ascensionem suam, sed ab ipsâ primâ Conceptione, hypostaticâque Humanitatis ad Verbum vnione, atque assumptione.

Eam ob rem, neque iuxtà hunc secundùm modum articulus Catholicæ fidei, Euangelia, & aliæ scripturæ asserunt, ascendisse Christum in cælum, & per ascensionem, postque illam, assecutum sessionem ad dexteram DEI: Eam enim sic explicatam, obtinuit ab ipso Incarnationis primo momento, semperque habuit, sicut & modò habet, habebitque in æternùm. Quare alius adhuc quærendus est modus, secundùm quem Fides nostra credit, Dominum nostrum ascensione assecutum esse, sessionem ad dexteram Patris.

Modus ergò hic in eo est situs, quod quamquam Dominus IESVS, sedebat ad dexteram DEI Patris ab æterno, sicut accipiebat Diuinitatem, & Diuinitatis omnem gloriam, beatitudinem, atque potestatem ab æterno, propter identitatem consubstantialitatemque Naturæ, solâ discernente illum diuersitate Personæ; prout suprà dictum est in primi modi explicatione. Quamquam etiam idem Dominus noster sedebat ad dexteram Patris, à primo Incarnationis & humanæ Naturæ à Verbo assumptionis instanti: sicut ab eodem instanti, Homo ille propter Vnionem Personæ Filij DEI, etiam secundùm Naturam

ram humanam, erat verè & verus Filius DEI: debebaturque illi iam ex tunc adoratio, tanquam DEO vero, & potiebatur Visione DEI beatificâ connaturaliter, gaudebat quoque potestate, tam regiâ & gubernatiuâ, quam iudiciariâ & meritorum creaturæ cuiusuis discretiuâ, atque remuneratoriâ, & erat simpliciter in bonis potioribus Patris, plusquam omnes Creaturæ, etiam beatæ, non tantùm singulæ, verùm, & omnes simul. Nihilominus, quoad huius & cuiusuis alterius sessionis ad dexteram DEI, omniumque dignitatum Christi manifestationem, atque apud creaturas, (potissimùm apud nos homines,) cognitionem, & gloriæ claritatem, non videbatur, neque agnoscebatur Dominus sedere ad dexteram DEI, donec post ascensionem, & per ascensionem, tam singulari, quàm euidenti modo, incepit tota illa Maiestas eius, tota Essentialis Hominis DEI gloria, atque potestas, nec non dominium, excellentiæ super creaturas omnes, clerescere in cælo, & in terrâ. Per quod quasi de nouo, & iure nouo, videlicet meritorio, adijt, accepitque possessionem Regni sui, ac totius mundi, ascendens & intrans in cælum, tanquam in proprium locum regalis curiæ, Metropolimque à DEO Patre destinatam, ad regendum, ad imperandum, ad iudicandum, ad præmiandum, remunerandumque seruos suos, pro meritis cuiusque. Quam etiam ob causam dicitur, & creditur à nobis sedere ad dexteram DEI, post Ascensionem suam, quia ex tunc quodammodò quieuit, & cessauit ab operibus viæ, quæ in terris exercuerat, vbi reuera magis fuit Domino locus ad seruiendum, ad laborandum, ad patiendum, ad merendumque, quàm ad regnandum, aut iudicandum, sicut ipse etiam dicebat. *Ego non iudico quemquam.* Et, *Venit filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare Animam suam pro multis. Ascendens autem in altum, captiuam duxit captiuitatem*, tyranno infernali ereptam, *& dedit dona hominibus*: dona gloriæ ac beatitudinis, hominibus quos secum in cælum induxit, dona gratiæ, & donorum,

Christo Sessione ad dexterã Paternam, excellentissimus.

Ioan. 8. 15. Mntt. 20. 28. Ephes. 4. 8.

Excell. 25. atque adeò ipsius Spiritûs Sancti, quem de cælo in terram hominibus misit, quasi iam ex tunc vtens potestate regiâ, atque dominatiuâ.

Atque hanc sessionem ad dexteram DEI, de Christo Domino suo, confitetur Catholica Ecclesia. Hanc ipse sibi Dominus petebat à Patre, quando in terris manens
Ioan. 17. 4. dicebat Patri. *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquàm mundus esset apud Te.* Hanc etiam Sanctos omnes, Christo adgratulantes audiuit in cælo IOANNES, atque dicentes.
Apoc. 5. 13. *Sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Hac quoque Domini nostri, & Ascensione, & ad dexteram Patris assessione, hâc (inquam) eius clarificatione nos fundati, nos ædificati sumus: facta est enim per hoc mirabilior gratia DEI, cum remotâ de conspectu nostro corporali præsentiâ Domini, fidei spiritualis certitudine, facta est nobis Diuinitas eius præsentior, nunc enim vniuersa fidelium congre-
2. Cor. 5. 16. gatio, cum Apostolo glorianter dicit. *Et si cognouimus secundùm carnem,* Christum (mortalem scilicet, atque ideò tantùm hominem) *sed nunc iam non nouimus.* Nunc impletum est, quod Dominus affirmabat discipulis. *Ego*
Ioan. 16. 7. *veritatem dico vobis. Expedit vobis, vt ego vadam,* & ascendam ad Patrem in cælum. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Atque ita per discessum Domini, in Ecclesiâ hic remanente, & fides non deficit, sed potiùs proficit, & Spes non fluctuat, sed firmatur, & Charitas non tepet, sed accenditur: & præsentia Deitatis, opumque cælestium non subtrahitur, sed aduentu Spiritûs Sancti, donorumque illius opulentissimâ accessione cumulatur. Hinc fidem istam, atque spem, & Charitatem, Ascensione Domini auctam, & Spiritûs Sancti munere roboratam, nullæ tentationes diaboli, nullæ tyrannides potestatum huius mundi, nullæ fallaciæ aut illecebræ honorum, voluptatum, diuitiarumue,

nulli

nulli nexus vinculaque amicorum & sanguinis, nullæ dolorum, cruciatuum, mortisque enormitates, concutere, aut pessundare, adhibitis licet vniuersis inferorum portis ac viribus, per tot secula valuerunt. *Christi Sessione ad dexterã Paternam, excellentissimus.*

Nimirùm filius hominis, terras visibili corporeâque sua præsentiâ deserens, superna verò cælorum conscendens, & vsque ad DEI dexteram considens, DEI Filium se excellentiùs, sacratiùsque monstrauit, cum in Paternæ maiestatis gloriam sese recepit: & ineffabili modo cæpit, fidelibus suis esse Diuinitate, in terris præsentior, quò factus est humanitate longinquior. Et tunc ad æqualem Patri Filium, eruditior Ecclesiæ fides, gressu mentis cæpit accedere, & conspectu atque contrectatione corporeæ Christi substantiæ, quæ Patre minor est, non egere, quoniam glorificati corporis manente Naturâ, eò fides credentium euocata, ac eleuata est, vbi non carnali manu, sed spirituali intellectu, par Genitori Genitus contrectatur, apprehendens quod non tangit, credens quod non cernit.

Sed hæc fides, quæ vsque eò prouexit nos, restat vt vsque eodem attollat, & perducat nos. Nihil enim prodest quod fides nostra, in credendo DEI-Hominis, ad dexteram Patris confessu confirmata est, si tamen mens nostra in terrenis desiderijs defixa est. Ascendendum cum Christo, & post Christum, & ad Christum nunc est corde, vt ad eundem duce ipso, tempore suo perueniamus etiam corpore. In hoc enim Dominus noster resurrexit à mortuis, vt nobis fiduciam exemplumque præberet, nos quoque pariter à morte resurrecturos. In hoc verò ascendit ad cælos, & ad dexteram Patris sedit, vt nos eòdem, virtutute Maiestatis suæ, demonstraret indubitanter esse peruenturos. Quam fiduciam, vt in nobis solidissimè fundaret Apostolus, non tantùm nos surrecturos à mortuis, & in cælo cum Christo promittit sessuros, verùm etiam consurrexisse iam, & consedere cum illo signanter affirmat, dicens. *DEVS qui diues est* Ephs. 2. 4.

Excell. 25. *in Misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuificauit nos in Christo, (cuius gratiâ estis saluati,) & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo* IESV. Qui nimirum cum sit Caput nostrum, nosque corpus & membra eius, quod iam præcessit in capite, hoc sine dubio, sequetur & in corpore; ideò enim præcessit in capite, vt exemplar & certitudo esset successurum, idipsum in corpore.

At enim ô Christiani, sciendum est omnibus & singulis nobis, quia nec cum Christo, nec post Christum, nec ad Christum ascendit superbia, non auaritia, non gula, non luxuria, non iracundia; Nullum vitium nostrum, ascendit cum medico nostro. Descendit quidem ille ad morbos nostros, sed hic eis medicinam fecit, vt in nobis locus eis non esset, & quomodo locum eis dabit in cælo, qui eos volebat esse, & in terra? Ideo si post medicum nostrum desideramus ascendere, debemus hic vitiorum & peccatorum morbos deponere: debemus hinc post eum fide tendere, spe ac desiderio ascendere, operibus charitatis ad eum peruenire. Christiani: quo vsque graui corde? quousque diligitis terram magis, quàm cælum? peccata vestra magis quàm Christi Regnum? prauitates cordis vestri, quàm diuitias bonitatis, Col. 3. 2. & gloriæ DEI? Ecce inclamat Apostolus: *Si consurrexistis cum Christo, igitur quæ sursum sunt quærite: vbi Christus est in dexterâ* DEI *sedens, quæ sursum sunt sapite:* Eleuate corda vestra de terrâ, ne putrescant ab ipsâ: Excutite de ceruicibus vestris peccata, quæ grauant vos, & calcate illa, vt subleuent vos. Quasi scalam nobis ad cælum, de vitijs nostris facimus, quando vitia ipsa negligendo & odiendo calcamus. Calcant nos vitia, quando illa committimus, quando illa multiplicamus, quando illorum pondere, vsque ad inferni profundâ deuoluimur. Omne peccatum tuum ô Christiane, facis tibi scalam ad infernum, gradus tuus superbia est, ambitio honorum est, cupiditas diuitiarum est, luxuriæ & libidinis desiderium est,

foues

foues iram in proximum, vlciſceris inimicum, maledicis fratrem tuum, deuoras pauperem in rapinâ, exſpolias detractione, odiſti quam amare debueras virtutem, non facis in pauperes miſericordiam, Diuinæ legi & gloriæ tuam præponis voluntatem: fructus pœnitentiæ dignos, non tantùm non facis, ſed & tardas conuerti ad Dominum, & putreſcis in ſtercore ſcelerum tuorum tanquam iumentum: hi ſunt gradus tui, ad infernum, hæc ſcala tua, ad perditionem. Muta vices infelix, muta inquam Mores Chriſtiane. Erige te, contrà te, inſurge contrà peccata tua; dirumpe vincula eorum, & proijce abs te iugum illorum. Fiant tibi in ſcalam peccata tua, fac tibi gradûs ad cælum vſque, vitia tua. Calca illa, deprime illa, cadant ſubtûs pedes tuos, vt lutum platearum dele illa; eleuabunt te, ſi fuerint infrà te, coronabunt te, ſi fuerint deuicta, & contempta, & deſerta à te.

Chriſtus Seſſione ad dexteram Paternam, excellētiſſimę.

Igitur, Chriſtiani: ſi ad Dominum noſtrum in cælum aſcendere, & ad dexteram eius collocari volumus, deponamus hic vitia noſtra, & induamus lucis opera. Ordinemus, & cuſtodiamus in ſtatum vtriuſque ſubſtantiæ noſtræ, animæ ſcilicet & carnis noſtræ, ne Animam, nobiliorem, vtique noſtri partem, tartaro deuoluat pars inferior: ſed potius cælo ſanctificatum Corpus, acquirat Natura, id eſt, Anima glorioſior. Ipſo adiuuante, qui in cælo ad dexteram Dei ſedet, & regnat in ſæcula.

Excellentia XXVI.

Solus habet Chriſtus Dominus, ſupremam Iudicis omnium poteſtatem.

Vigesima sexta Domini noſtri, ſuprà Creaturas omnes Excellentia eſt: quia habet ſupremam poteſtatem, autoritatemque iudicandi, omnes eos, quicunque iudicio ſubdi poſſunt, tales autem ſunt omnes Creaturæ rationales; Angeli & Homines; quorum proinde Chriſtus

Excell. 26. stus est Iudex supremus & absolutus, non tantùm per Diuinitatem, verùm etiam per Humanitatem in Diuinâ personâ subsistentem, ac per illam dignificatam, atque euectam ad hanc potestatem, iuxta illud: quia *Pater omne Judicium dedit Filio;* dedit autem, non solùm per hoc, quia illi dedit Essentiam suam, cui sine dubio omne Iudicium facere competit, verùm etiam per hoc, quia eius humanitatem Verbi consubstantialis sibi personæ copulauit, à quâ copulatione, sicut habet Christus, vt sit DEVS-Homo, ita habet etiam, vt habeat Iudiciariam supremam potestatem, sitque DEVS Homo, seu Christus, Iudex supremus omnium.

Vt autem pleniùs paulò id edisseratur. Sciendum est, ex quinque potissimum Capitibus Christo competere, summam potestatem iudicis omnium. Primò quidem propter Diuinitatem, & cum Patre, Spirituque Sancto consubstantialitatem: quibus à Naturâ Diuinâ competit omne Iudicium Creaturarum, specialiter tamen Filio, non ob aliquam singularem proprietatem, sic enim omnium Personarum, hæc potestas propria est, sed propter appropriationem: ex eo, quia illi Sapientia & Veritas appropriatur, quia his iudicare conuenit, sicut etiam Patri appropriatur Potentia, & Sancto Spiritui Bonitas, & sanctificatio attribuitur; esto omnia sint communia, atque propria toti Trinitati.

Secundò competit Iudiciaria, potestas suprema Christo Domino, propter Diuinam Personam humanitati hypostaticè coniunctam, ac Humanitati sic coniunctæ, cum alijs idiomatibus suis, etiam hanc iudicij potestatem communicantem. Ex quo fonte Christus Dominus etiam quà Homo est, omnium supremus Iudex est.

Tertiò competit Domino nostro, Iudicis summa potestas, quia capitis Dignitatem habet, Capitis autem est proprium officium est, de membris disponere, illa gubernare, fouere, discernere, ac Iudicare.

Quartò competit Domino nostro Iudicis authoritas,

propter

Propter plenitudinem gratiæ habitualis, cuius incomparabilis in Christo, fuit statim ab initio Conceptionis suæ magnitudo & copia, ideoque cum alias innumerabiles & summas in se continebat. Christoque quasi adducebat prærogatiuas, tum etiam Iudiciariam potestatem. *Christus suprema Iudicij potestate, excellentissimus.*

Quintò competit Christo Domino, hæc potestas ex merito ipsius Incarnationis, Passionis & Mortis. Sicut enim gloriam corporis sui in resurrectione accepit, non solùm ex congruentiâ Diuinitatis, & cum illâ vnionis; neque solùm ex gloriâ, & beatitudine sanctissimæ suæ Animæ, verùm etiam ex merito humiliatissimæ vitæ, passionis, & mortis: sic etiam & potestatem Iudicis, ex simili merito est consecutus, secundùm illud: *Causa tua, quasi impij iudicata est, causam iudiciumq; recipies:* tum etiam ex eo, quia quoniam Christus pro Iustitiâ pugnauit & vicit, meritò obtinuit, vt secundùm DEI iustitiam sit Iudex: quemadmodum ipsemet dixit. *Ego vici, & sedi cum Patre meo, in throno eius;* qui thronus iudiciariæ potestatis est, dicente Dauide. *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* *Iob. 36. 17.* *Apoc. 3. 21.* *Psal. 9. 5.*

Est igitur in Domino nostro potestas, autoritas, dignitasque summi & supremi Iudicis omnium. Et quidem quatenus est DEVS, Patriqúe consubstantialis, hæc potestas in eo, tam est absoluta, ac independens, simpliciterque in omni genere summa, sicut est in DEO Patre, atque totâ Sanctissimâ Trinitate: at quatenus est DEVS-Homo, seu ad Dignitatem suppositi Diuini eleuatus, & assumptus; eatenus hæc potestas in Homine DEO, siue Christo, est dependens à DEO, & ab eius voluntate, quam Anima Christi ratione Vnionis ad Verbum, cognoscit in eodem Verbo sufficienter, cum eiusdem voluntatis, de omnibus tàm personis, quàm obiectis iudicandis definitione, æquitate, ac iustitiâ. Vnde sicut cognitio DEI, eò ipso, quod DEI est, necessariò summæ & absolutæ authoritatis, manifestæque ac infallibilis veritatis est, ac propterea per se sufficit ad iudicium ferendum, ita etiam

Excell. 26. etiam cognitio Animæ Christi, hoc ipso, quod est Diuinæ Personæ in Naturâ assumptâ, habet sufficientem, auctoritatem, & veritatem manifestam, ad iudicium ferendum, ex personæ Dignitate participatam, quia ab illâ habet, vt nec falli, nec fallere possit: maximè clarâ, & perfectâ, beatificâque DEI visione accedente, ex quâ etiam Anima Christi, participat illam cognitionem Diuinæ de omnibus voluntatis, atque definitionis.

Et quoniam certum est, hanc cognitionem Diuinæ voluntatis, sicut & alias Vnioni Hypostaticæ, congruas communicationes, in Christo, sine illius Animâ fuisse à primo instanti Incarnationis: ideò etiam certum est, & Judiciariam hanc potestatem, etiam ab illo eodem instanti Incarnationis Christo fuisse communicatam, tanquam debitam ipsi, propter dignitatem Vnionis, & ex eâ manantem dignitatem Capitis, Principis, Regis, Dominium & Iurisdictionem plenam habentis, in vniuersos Angelos & Homines. Istæ enim, & his similes excellentiæ, debebantur ei ratione Vnionis, & ideò accepit eos simul cum Vnionis Incarnationisque instanti, & in his potestatem etiam Iudicis vniuersorum, de quâ loquimur. Verbum enim assumptum à se hominem, nullâ priuauit perfectione, dignè manaturâ ex assumptione, atque vnione, nisi quatenùs aliquâ carere, conueniens, necessariumuè fuit Redemptoris officio, & nostræ redemptioni: huiusmodi autem non fuit potestas Iudicis. Ioan. 5. 22 Jdeò Dominus non dubitauit dicere. *Neq; enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio:* quod à Domino nostro dictum est ante Passionem, & Resurrectionem suam.

Quamuis autem Dominus ipse aliâs asseruerit, non se iudicare, neque ad iudicandum venisse in mundum, Ioan. 3. 17. vt quando dixit; *Non misit DEVS Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Et, *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.* Hoc tamen non obstat, quominus Dominus potestatem iudicandi iam tunc habuerit: esto

illius

illius vsum sibi pro vitâ mortali suâ, fotè permiserit nunquam. Certum est enim fuisse in Domino nostro plures, ab Vnione Hypostaticâ dimanantes Excellentias, atque Potestates, etiam ab ipso Incarnationis instanti, quibus tamen per totam vitam, aut nunquam, aut vix aliquando vsus est. Ita habuit potestatem glorificandi corpus suum, quod tamen non fecit, nisi aliquâ ex parte, quando in monte *Thabor transfiguratus est*, habuit Dominium absolutum, & hereditarium omnium, penitus rerum huius mundi; quo tamen vsus non est vsque ad hoc, vt non haberet *locum, in quo caput reclinaret suum.* Sic ergo etiam habuit potestatem iudicandi ab initio, tamen eâ vsus non est forsitan, quam diu in terris mortalis fuit, quia pro eo tempore potius Redemptoris officium peregit, in quo non iudicare, sed iudicari eum oportuit, sicut etiam habuit ius & debitum omnè, vt ei omnes creaturæ seruirent, & tamen ipsomet teste: *Filius hominis non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret;* nihilominus absolutâ omni tentatione, *accesserunt Angeli & ministrabant illi. Ventis quoq; & mari imperauit, & obedierunt ei. Aquæ etiam se pedibus eius calcandas præbuêre*, & piscis in ore staterem obtulit, *quem Petrus pro illo, & pro se*, exactoribus tributi solueret, licet ab obligatione illud soluendi liber esset.

Christus sua premâ iudicij potestate, excellentissimus.

Matt. 17. 2.

Luc. 9. 58.

Mar. 10. 45.

Matt. 4. 11.

Matt. 8. 27.

Mar. 6. 48.

Matt 17. 29.

Quo circa Dominus noster potestatem Iudiciariam, & ab initio ortus sui in mundum habuit, & vsum tamen eius in mundo viuens, vel nunquam, vel vix aliquando exercuit, quod idcirco addubitanter dico: quia forsitan in Cruce adhuc viuens latroni paradisum, per huius potestatis vsum promisit. Anima quoque eius ad inferos descendens, hâc potestate Patres sanctos in limbo detentos, ex diabolicâ custodiâ liberauit, & ad fructum Beatitudinis admisit, item in inferno diaboli potestatem ligauit. Animas ex purgatorio, si non omnes, aliquas tamen absoluit. Animas item, quæ sub illud ipsum tempus è corporibus migrauerant iudicauit, & de illis præmij, vel

Excell.26. ſupplicij iudicium, decretumque fecit. Absolutè verò hâc poteſtate Dominus vti cæpit, à ſtatu, & vnà cum ſtatu glorificationis ſuæ, in reſurrectione à mortuis: pro-
Matt.28.18. pterea tunc Apoſtolis ſuis denunciauit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terrâ.* Ex tunc nimirum ſortitus eſt Dominus, etiam merito paſſionis ac mortis peractæ accedente, ſtatum Supremi Principis, vltimæque inſtantiæ Iudicis, vſum quoque illius & poſſeſſionem quaſi actualem, & manifeſtam, & plenam; eâ plenitudine, quæ nulli puræ creaturæ competere poteſt, ſed eſt ſuprema inter omnes, quæ creaturis communicatæ aliquando ſunt, ideoque eſt poteſtas iudiciaria, ſingularis excellentiæ ac perfectionis, habens ſibi coniuncta, & communicata ea omnia, quæ ad hanc poteſtatem neceſſaria ſunt, & ea quidem ſingulariter excellentia, vt ſunt, Scientia perfecta omnium, rectitudo voluntatis, nullam patens obliquitatem, ſeu iniquitatem; veritas quoque infallibilis, Dominium etiam, & iuriſdictio, & poteſtas, nec non authoritas, ac denique voluntatis, irrefragabilis, & irrecuſabilis, inimpedibiliſque efficacitas. Quæ omnia coniuncta in Chriſto, faciunt in eo hanc poteſtatem iudicandi, & ſummam, & illi ſoli propriam.

Eſt igitur Dominus noſter Iesvs Chriſtus, à Deo
Act. 10. 42. Patre *conſtitutus Iudex viuorum & mortuorum, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent;* Eſt Iudex ſolus, ſummus, nullum collegam, nullum æqualem habens. Eſt Iudex, ſi magnitudinem & latitudinem iuriſdictionis ſpectes, vniuerſalis: omnium ſcilicet hominum, ſæculorum, ſtatuum, ætatum, conditionum, atque ordinum, mortuorum etiam, ac inſuper Angelorum, ſaltem malorum. Si ſpectes Perſonam, eſt Iudex Devs-Homo: ac ideo digniſſimus, atque maximus. Si poteſtatem authoritatemque eſt abſolutus, & independens ab vllâ creaturâ. Si ſapientiam atque cognitionem, eſt omniſcius, infallibilis in ſciendo, in iudicando, in decernendo. Si æquitatem atque iuſtitiam, & rectitudinem, eſt ipſa Iuſtitia, ipſa æquitas, ipſa veritas,

veritas, ipsa rectitudo. Si potestatem atque efficaciam, in manu eius omnipotentia, & executio, siue exequutionis efficacis imperium est. Si sententiam, æquissima, & simul manifestissima, conuincens, plenissima, recusationem, exceptionem, appellationem, dilationem, excusationem, refutationem, corruptionem, inflexionem nesciens. Si necessitatem attendas iudicandi, atque iudicij, & summa & maxima est, spectat enim, & continet, vel (vt potiùs dicam) requirit, exigitque illud totius generis humani, totius rationalis creaturæ, totius vniuersi, addo etiam totius Prouidentiæ, Gubernationis, ac operationis circa creaturas, præsertim rationales, commune bonum; quod bonum, est remuneratio bonorum, atque malorum; siue præmium ea sit bonorum, siue pœna malorum. Propterea, secundùm Apostolum: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum.* Hæc autem necessitas, maxima necessitatum est: inuoluens in se præter istam remunerationem, & eam quidem æternam, iustorum ac iniquorum, tàm hominum, quàm operum: inuoluens, inquam, etiam Prouidentiæ, Sapientiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Potentiæ, voluntatisque diuinæ, iustificationem: atque à calumnijs, querelis, reprehensionibus, accusationibus, & condemnationibus defensionem, purgationem, ab omni iniustitiâ & inscitiâ emaculationem, eamque publicam, notoriam, omni deniq; ratione ac modo plenam. Vt nimirum (secundùm Psalmistam,) DEVS iustificetur in sermonibus, & in operibus, & in consilijs, & in mandatis, & in regiminibus vniuersis suis, & vincat, sanctumque se, in omnibus operibus suis fuisse, ac esse manifestet, atque omni solis luce, lucidius demonstret.

Christus suprema iudicij potestate, excellentissimus.

2. Cor. 5. 10.

Jstud Iudicium, ità tàm DEO, quàm Creaturæ necessarium, Christo commissum est à DEO Patre: prout suprà B. PETRVS, & post eum B. PAVLVS, affirmauit Areopagitis, quia *DEVS statuit diem, in quo iudicaturus est orbem* in

Actor. 17. 31.

Excell. 26. *in æquitate, in Viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Est autem commissum à DEO Patre, ad complendam liberalitatem suam erga Christum, quam vnione Verbi ad Naturam humanam fundauit, & per eam omnibus cæteris donis, huic tali Vnioni congruis, eundem cumulauit, inter quas etiam potestatem Iudiciariam esse oportuit; vt potè, quæ & esset vna ex potioribus bonis DEI, in quibus Christum esse apud Patrem conueniebat, & præterea talis hæc potestas esset, per quam in Christo depositam, DEVS condignissimè opera sua, maximè circa Rationales creaturas exerceret, ac perageret. Est enim hic mos Diuinus, vt creaturis suis communicet perfectiones suas, efficiatque per eas, tanquam per causas secundas, quod commodè per eas effici potest.

Est deinde commissum Iudicium, Christo à DEO Patre, propter dignitatem personæ eius, cuius ratione debebatur ei omnis perfectionum Paternarum seu Diuinarum communicatio, atque plenitudo iuxta capacitatem eius: Si enim in Christo habitat omnis plenitudo Diuinitatis, per illius Personam; quidni etiam habitaret in eo plenitudo, & perfectionum eius, è quibus vna est Potestas faciendi Iudicij.

Insuper commissum est Iudicium Christo Domino à Patre suo, quia cum homo sit, & Caput hominum: conueniebat, vt quoniam esse aliquod, aliquando Iudicium hominum à DEO debebat, exerceretur illud per DEVM hominem, viderentque homines iudicem suum suis oculis: & per hoc fieret hominum iudicium, quasi suauius, quàm esset, si vel ab Angelo, vel ab ipso immediatè DEO inuisibiliter ageretur.

Præterea datum est Iudicium facere Christo Domino: quia ille est Sapientia, ille veritas, ille plenitudo Scientiæ, ille est Legislator, ille Magister viam DEI docuit, & omnem disciplinam adinuenit: quo circa ob hæc attributa, dignissimè, & quasi connaturaliter, ei potestas cognoscen-

gnoscendi omnium Animarum conscientias, & opera, & merita, ijsdemque assignandi debita vel præmia, vel supplicia, debebatur, & collata est. *Christus suprema Iudicii potestate, excellentissimus.*

Atque ex hactenus dictis, facilè habetur cognitio vniuersi apparatûs interni, qui est & requisitus, & simul perfectè repositus in Domino nostro, ad Iudiciariam potestatem supremam habendam, atque exercendam. Porrò apparatus exterior, in quo ad summum, & vltimum iudiciariæ suæ Potestatis, actum exercendum, Dominus noster in oculis totius Vniuersi venturus est, ab vtriusque Testamenti Scripturis enarratur, quem compendiò perstringo, vt etiam ex hac parte Maiestas, & excellentia Iudicis nostri elucescat.

Primò igitur Maiestati Iudicis Christi, seruiet Tuba Archangelica, cuius sonitus & clangor tam sonorus erit, vt toto terrarum orbe audiatur tam efficax vt ad eius sonitum mortui, de suis seu monumentis, seu quibusque locis reuiuiscant.

Secundò eidem Maiestati Iudicis Christi, seruient fulgura & tonitrua, & sæuæ grandines atque procellæ, motus quoque terræ, & conturbatio maris, & casus stellarum, seu cometarum, igniumque ex aëre in terram.

Tertiò Maiestati Iudicis Christi, seruiet obscuratio solis & lunæ, prohibitioque miraculosa luminis, ne à luminaribus illis descendat in terram, vel certè, lux solis & lunæ absorbebitur à maiori lumine, in quo Iudex aduentabit, & quo thronus fulgebit, de quo mox dicetur.

Quartò Maiestati Iudicis deseruiet thronus, siue sedes Maiestatis eius, super quam sessurum se in Iudicio suo, testatur ipsemet Dominus: de illoque affirmat IOANNES. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inuentus eis.* Sedem hanc Maiestatis, fabricabunt manus Angelorum, & ita exornabunt omni geno splendore, vt sit digna sedes sessore suo. *Matt. 25. Apoc. 20.*

Quintò Maiestati Iudicis Christi, seruiet Signum Filij homi-

hominis, id est, Signum, atque simul Lignum Crucis, in quâ Salus mundi pependit: quam miraculosè instaurari,
Excell. 26. tàm nihil impediet, quàm corporum humanorum vniuscuiusque in indiuiduo, quod mortale vixerat, resuscitationem nihil impedire poterit: apparebit autem hoc signum Crucis, partim vt cognoscatur ab omnibus, non alium esse Iudicem tunc, quàm illum ipsum, qui olim Crucifixus est ab impijs hominibus, partim vt etiam pateat Iudicem Christum, gloriam & potestatem Iudicandi, acquisiuisse sibi per Crucem, partim vt pateat ingratitudo omnium & infidelium & impiorum, qui tantam, id est, æternam, salutem, illis à Christo per Crucis mortem comparatam neglexerunt, partim denique vt omnes cultores, amatores, imitatores, professores Crucis, atque Crucifixi, aspectu Crucis glorioſæ recreentur, atque ad Crucem congregentur: qui etiam idem signum Crucis in frontibus habebunt, ac per illud ab impijs & reprobis discernentur. Ita enim apud Ezechielem præcipitur:
Ezech. 9. 4. *Signa Thau*, (quæ littera, Crucem refert,) *super frontes Virorum gementium & dolentium*, & in Apocalypsi Angeli dicunt.
Apoc. 7. 3. *Signemus seruos* D E I *nostri, in frontibus eorum.*

Sextò Maiestati Iudicis Christi, deseruiet congregatio omnium & singulorum hominum, ante tribunal Christi, & ante thronum gloriæ illius: stabunt ergo omnes personaliter, omnes in oculis, omnes Manifesti, non tantùm secundùm Corpora, sed etiam secundùm corda, & conscientiarum omnia secreta: siue proba & iusta, siue improba & impia; quæcunque ab origine mundi, vsque ad finem illius, a quocunque hominum patrata sunt.

Septimò, Maiestati Iudicis Christi, deseruiet apparatus nubium, desuper quidem & cælum versùs, admirandæ pulchritudinis, & claritatis ac dispositionis, versùs autem terram summi cuiusdam horroris, confusionis, procellositatis, corruscationisque ac tonitruum ad horrorem impijs incutiendum. In his Nubibus Dominus, venturum se ad Iudicium prædixit.

Octauò,

Octauò, Maiestati Iudicis, deseruiet omnis Creatura, quæ tunc *armabitur contra insensatos, & pugnabit pro Domino, aduersùm impios vniuersus orbis terrarum.* Sap. 5. 21

Christus suprema Iudicij potestate, excellentissimus.

Nonò, Maiestati Iudicis Christi, deseruiet innumerabilis comitatus Sanctorum Angelorum, quorum quidam præcedent, quidam latera cingent, quidam sequentur Iudicem gradientem in multitudine, & pulchritudine virtutis, Maiestatis, Potestatisque suæ, quod ex ore ipsius Domini testatum habemus, dixit enim. *Cum venerit Filius hominis in Maiestate suâ, & omnes Angeli cum eo:* in corporeis speciebus assumptis, vt videri possint. Matt. 25. 31.

Decimò, Maiestati Iudicis Christi, deseruiet Multitudo Sanctorum hominum, obuiam Christo venienti, & etiam confidenti subleuatorum in aëra: in magnifico iam splendore, raptorum (vt ait Apostolus) vel omnium, vel certè insigniorum, quorum plerique assidebunt Christo Domino, super thronos suos, iudicantes etiam cum ipso, iuxta Domini ipsius promissionem: *omnibus* Apostolis, Apostolicisque ac Religiosis hominibus factum.

Vndecimò, Maiestati Iudicis Christi, deseruiet segregatio Ouium ab Hædis, siue Iustorum ab Impijs, quam Judex & Rex Christus, ministerio Angelorum faciet, *statuetq; oues à dextris suis, hædos autem à sinistris suis:* quæ quidem separatio, sicut iustis erit summè honesta, gaudiosa, & amabilis, ita impijs erit summè dura, amara, & dolorosa, lamentabilisque valde. Matt. 25. 32.

Duodecimò, Maiestatis Iudicis Christi, deseruiet Conditio eorum, quos iudicabit: omnes enim illi, nullo prorsus discrimine alio, præterquam pietatis, aut impietatis; bonorumque ac malorum, in vitâ mortali factorum, stabunt ante tribunal Christi: stabunt tanquam Creaturæ ante Creatorem tanquam subditi coram REGE, tanquam Redempti coram Redemptore, tanquam Beneficiarij coram Benefactore, tanquam serui & mancipia coram Domino, tanquam afficiendi pro meritis vel præmijs, vel supplicijs, ijsque æternis.

Excell.26. Tredecimò, super omnia verò Maiestati Iudicis Christi deseruiet, ipsa Gloria & Maiestas, plusquam gloriosa atque Maiestuosa, totius quidem Christi, quâ euincet omnes glorias, Maiestates, splendores, atque decorositates: potissimùm tamen Gloria & Maiestas, vultus Domini talis erit, vt quantùm ad oculos bonorum, nihil possit cogitari, sperari, desiderari, ac videri, amabilius, desiderabiliusque: quantùm verò ad oculos impiorum, nihil possit
Dan. 3. 19. excogitari exhibericque formidabilius. Certè si Nabuchoconosor Rex repletus est furore, & aspectus faciei illius, immutatus est super tres Iuuenes sibi inobedientes: quomodo Christi Iudicis facies plena furore non erit, & aspectus eius non immutabitur, super infinitas multitudines sceleſtorum, rebellium, reproborumque ante oculos suos consistentium? Hanc Iudicis Christi super impios immutatam, ac furore iusto repletam faciem, in spiritu intu-
Iob. 14. 13 itus Iob, ita exhorruit, vt non dubitârit dicere. *Quis mihi det in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Ille ipse innumerabilis sceleſtorum populus, in tantùm illo Iudicis Domini vultu percelletur, ac per-
Luc. 23. 30. turbabitur: vt tunc inclamaturi sint, *Montibus cadite super nos, & collibus operite nos: Et introibunt in spelunças petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloriâ*
Isaiæ. 2. 19. *maiestatis eius: cum surrexerit percutere terram, & à facie*
Apoc. 6. 16. *sedentis super thronum, & ab irâ Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum; & quis poterit stare?*

Hæc de Gloriâ Iudicis Christi, apparatuque eius exteriore ad Iudicium. Adhuc autem de Iudicio ipso, eiusq; formidabili exactione, strictissimoque rigore addamus. Expressit Dominus ipse rigorem hunc, quando affirma-
Matt. 12. 36. uit, quod *de omni verbo otioso, quodcunq; locuti fuerint, homines reddent rationem in die iudicij:* item quando affirmabit.
Matt. 5. 26. *Non exies inde, donec reddas ad nouissimum quadrantem,* item quando *in historiâ Epulonis indicauit,* miserum illum sepultum in inferno, non ob vlla patrata scelera, quæ nulla Dominus profert, sed solùm ob non factam misericordiam

diam in vlceroſum Lazarum, & quia *induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*: indicauit deniq; rigorem ſui iudicij, quando edixit ſe in iudicio amandaturum in ignem æternum, eos qui illum in ſuis Minimis, eſurientem non pauerunt, ſitientem non potauerunt, nudum non veſtiuerunt, &c. Quod ſi bona non feciſſe, damnationi ad ardores ſempiternos, coram Chriſto Iudice ſufficit, quid fiet cum impijs, *qui ſicut aquam bibunt, operanturq; iniquitatem*, & *venundati ſunt vt faciant malum coram Domino, in omni tempore*, loco, occaſione, genere?

Luca. 16
Chriſtus ſuprema iudicij poteſtate, excellentiſſimus.
Matt 25.41.
Pſal. 35.13.
3. Reg. 21. 20. 25.

Ad hunc ipſum rigorem Iudicij diſtinctius cognoſcendum, ſcire oportet omnium Iudici Chriſto, ſiſtendorum duas eſſe partes. Electorum ſcilicet atq; Reproborum: rursùm verò in his duabus partibus, binos pariter ordines contineri. Alij namq; iudicantur, & pereunt: alij non iudicantur, & nihilominus pereunt. Porrò alij iudicantur & ſaluantur, atq; regnant: alij verò & ſi non iudicantur, tamen ſaluantur & regnant. Iudicantur & pereunt illi, quibus Dominicâ voce, in damnatione dicitur: *Eſurijt, & non dediſtis mihi manducare, &c.* quibus præmittitur: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Alij verò in extremo Iudicio non iudicantur, & pereunt, de quibus prophetauit: *Non reſurgunt impij in iudicio:* & de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt;* & PAVLVS de quibuſdam ait. *Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Reſurgunt ergo etiam omnes Infideles, ſed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc cauſa diſcutitur: quia ad conſpectum diſtricti Iudicis, iam cum damnatione ſuæ infidelitatis accedunt. Profeſſionem verò fidei retinentes, ſed profeſſionis opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Quemadmodum enim Princeps terrenam Rempublicam regens, aliter punit Ciuem interiùs delinquentem, & aliter hoſtem exteriùs rebellantem; in illo, iura ſua conſulit, eumq; ſub verbis dignæ inuectionis addicit, contrà hoſtem verò

Matt 15.42.
Pſal. 1. 5
Ioan. 3. 18.
Rom. 2. 12.

Excell. 26. bella mouet, instrumenta perditionis exercet, dignaque illius malitiæ tormenta retribuit, de malo autem eius, quid Lex habeat non inquirit: neque enim lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri: Ita in extremo Iudicio, & illum legalis inuectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit, actione declinauit: & iste sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

Ex Electorum verò parte alij iudicantur & regnant, qui vitæ maculas lachrymis tergunt: qui mala præcedentia, factis subsequentibus redimentes, quidquid illicitam aliquando fecerunt, ab oculis Iudicis eleëmosynarum superductione cooperiunt, quibus Iudex veniens in dexterâ Matt. 25. 35. consistentibus dicit. *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram,* Ibid. ℣. 24. *& venistis ad me:* quibus præmittit, dicens. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi.* Alij autem non iudicantur & regnant: qui præcepta legis virtutum perfectione etiam transcendunt, qui nequaquam hoc solùm, quod cunctis lex Diuina præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus audire Matt. 19. 28. potuerunt. Quibus Dominicâ voce dicitur. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum sederit Filius Hominis, in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et de quibus Propheta Esdr. 3. ait: *Dominus ad Iudicium veniet, cum senioribus populi sui.* De quibus Salomon, cum de Sanctæ Ecclesiæ Sponso Prou. 31. 23. loqueretur, intulit dicens. *Nobilis in portis Vir eius: quando sederit cum Senatoribus terræ.* Hi itaque in extremo Iudicio non iudicantur, & regnant: quia cum Authore suo, iam Iudices veniunt: Relinquentes quippè omnia, plus piâ deuotione executi sunt, quàm iuberi generaliter audierunt. Aliud enim est, quod per Sacram scripturam omnibus generaliter præcipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergò rectè sub generali iudicio

cio non tenentur, qui præcepta generalia viuendo vicerunt. Potest autem vtiliter aduerti, non sine causâ in Judicium ante Dominum adducendos esse, omnes tam Electos, quam Reprobos; qui aliâs potuissent separatim iudicari: Quia enim in hâc vitâ, sic Electi cum Reprobis consociati semper vixerunt, & ita quidem vixerunt, vt Electis semper graues essent, tum propter dissimilitudinem morum, tum propter aduersitatem animorum, semper etiam scandalum de se electis dando, illos (quantùm in ipsis fuit,) ad prauitatis suæ imitationem exemplis iuuitârunt, prosperitatibusque huius vitæ ad societatem damnationis suæ traxerunt, insuper verò etiam partim cæcitate, partim negligentia, partim futuræ districtionis contemptu, Electos à spe retributionis venturæ deturbare conati sunt; ideò in Iudicium simul cum Electis reprobi adducuntur, & ad illorum remunerationis gloriam conspiciendam veniunt, vt stultitiæ suæ malignitatem serò agnoscentes ad maiora, tunc reatus sui supplicia repulsi videant quod perdiderunt. Atque tunc etiam simul eos pudor cooperiet, quia illos in conspectu tàm Electorum, quàm Iudicis, testis ipsorum malitiæ conscientia addicet: ita vt exterius quidem Iudicem cernant, sed accusatorem interius perferant. Omnis enim tunc ante oculos ipsorum culpa reducetur, & mens super ipsa gehennæ incendia, suo interno grauius igne cruciabitur. Tunc etiam *lætabuntur iusti cum viderint vindictam, & lauabunt manus suas in sanguine peccatorum; omnis autem iniquitas oppilabit os suam.* Psal. 57. 11. Psal. 106. 42.

Christus suprema Iudicis potestate excellentissimus.

Ex his consideratione intimiore penetratis, discere debent omnes, potissimum verò Christianam professionem tenentes, aut quæ sunt ad Iudicium DEI securiora apprehendere, & apprehensa perfectè complere, aut si ad altiora (quæ sunt simul securiora,) non præsumunt sese attollere, in his saltèm quæ illis præcepta, & omninò saluti necessaria sunt, contendant se fideles Domino & Iudici suo præsentare. Nemo autem sese referret vltimæ

Excell. 26. *Christus suprema Iudicij potestate, excellentissimus.*

suæ vitæ ad præceptorum Diuinorum obseruantiam, aut ad peragendam tunc primum pœnitentiam, cum iam tempus, proinde & locus, moduſque deest ad agendum illam, sed continuò simus omnes per totam vitam diligentes, & maximo studio satagamus nos paratos exhibere ad communem illum omnium cuique imminentis Mortis, Iudicijque diuini diem, quem ideò ignorari DEVS fecit, quia omnibus curæ esse semper voluit. Hæreat in nostris mentibus trium illorum timor assiduus, quæ quidam Sanctorum se perpetim formidare professus est. Ego (inquiens) tres res timeo. Vnam, quando egressura est Anima mea de corpore, aliam, quando occursurus sum DEO, in Iudicio; tertiam, quando aduersùm me proferenda est sententia. Hæc eadem nos, si sapimus, semper timeamus. Finem facio exhortatione Apostolicâ ad omnes exhortante. *De temporibus, & momentis Fratres non indigetis, vt scribamus vobis, ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint homines pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Vos autem fratres, non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis estis: & filij diei: Igitur non dormiemus, sicut & cæteri: sed vigilemus, & sobrij simus; induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spe salutis, quoniam non posuit nos DEVS in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum IESVM Christum, qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Propter quod consolamini inuicem, & ædificate alterutrum.* 1. Thess. 5. 1.

Hæc Apostolus, hæc intelligat, hæc attendat, hæc sapiat, hæc omnibus diebus vitæ suæ exequatur, ad finemque perficiat omnis Christianus.

EXCEL-

EXCELLENTIA XXVII.

Solus Christus, per Matrem simulq; Virginem MARIAM, *exaltatus est suprà omnes Creaturas.*

VIGESIMASEPTIMA Christi Domini, suprà Creaturas omnes Excellentia est, desumpta & deriuata in eum ex Matre, eâdemque simul Virgine MARIÂ. Etsi enim ex vnâ parte, vehementer humiliatus est Filius DEI, per hoc, quia Filius hominis factus est, adeò vt hanc rem PAVLVS Apostolus, non dubitet appellare Exinanitionem, & à Formâ DEI, vsque ad formam serui condescensionem: ex alterâ nihilominus parte, idem ipse Filius DEI factus homo, & ex MARIÂ genitus mirabiliter exaltatus est, accepitque dignam se ex Matre suâ, suprà omnem Creaturam excellentiam.

Est autem Dominus noster duobus modis exaltatus, & magnificatus, à suâ Matre, & per, propterque suam Matrem. Vnus Modus est, quia adeò glorioſam, electam, perfectamque omnibus modis, priuilegijs, ornamentisque sortitus est, seu potiùs ipse sibi talem condidit Matrem, qualem & se dignam futuram sciebat, & sibi nouerat placituram, & omni purâ creaturâ superiorem. Hoc autem non propter aliud: quàm vt dignum Filij DEI habitaculum, dignaque DEO, DEI Mater, illa quidem efficeretur, DEI verò Filius, dignè ab eâ, & ex eâ conciperetur, atque nasceretur. Fuit ergo digna DEO, DEI Mater MARIA: & quoniam digna DEO fuit, ita igitur DEI Filius ab eâ exaltatus, atque honorificatus est, in sui ex eâ conceptione, quomodo dignum erat Filio DEI, & Filio Matris DEI: ita ergo exaltatus est, vt super omnes creaturas excellat ob hoc, quia MARIÆ Matris, super omnes creaturas excellentis Filius est, ita denique exaltatus

Excell. 27. tus propter, ac per Matrem est, quomodo à nullâ creaturâ, neque potuerit, neque possit amplius exaltari.

Quàm glorioſa fuerit Virgo MARIA, quantumque in omnibus donis DEI, Maternitatis eius cauſa magnificata atque repleta, hoc loco, & hac occaſione enarrare velle, eſſet tam in immenſum, quàm etiam præter propoſitum digredi. Proinde ſufficiat hæc pauca dicere.

1. MARIA ex quo in Matrem DEI Electa, ac prædeſtinata eſt, ſortita eſt, & accepit à DEO, tantam & omnem priuilegiorum, donorumque redundantiam, quam & quantam DEVS conferre ſuæ Matri, & quam quantamque DEI Mater, pura creatura capere potuit. His enim duobus veluti cardinibus inſiſtit, ex his duobus quaſi fontibus emanat, his duabus tanquam menſuris circumſcribitur vniuerſa Exaltatio DEI Matris. Omnipotentiâ nimirum, & Dignitate DEI: necnon puræ Creaturæ capacitate.

2. MARIA ex quo DEI Mater eſt, & ex quo tanquam DEI Mater, omnibus diuitijs DEI exculta, & impleta eſt, omnibus abſolutè puris creaturis altior, dignior, perfectior, excellentior eſt.

3. Quantò maioribus, & copioſioribus, perfectioribusque donis ac diuitijs DEI, MARIA Mater DEI exornata, & accumulata eſt, tantò eſt & DEO ipſi vicinior, & ad exaltandum per ſe DEVM aptior. Quemadmodum enim ipſe DEVS, quia eſt ipſe ſibi DEVS, & quia ipſe ſeipſo pleniſſimè perfectiſſimus, ideò nemo ad ipſum exaltandum màgis, aut eſt, aut eſſe poteſt idoneus, quàm ille ipſe. Et ſimiliter quia Chriſto Domino, nemo eſt DEO vicinior, quàm ille: vt potè, qui eſt verus & conſubſtantialis DEO Patri DEVS: nemo eſt quoque diuitijs diuinis
Ioan. 17. 10. plenior, quàm ille ipſe, qui ex veritate dicit Patri DEO. *Pater omnia tua, mea ſunt: & omnia mea, tua ſunt;* ideo nemo eſt quoque ad exaltandum DEVM magis aptus, quàm ipſe. Suppari ergo etiam ratione, quoniam MARIA diuitijs Diuinis ſupergreſſa eſt filias, ſiue Creaturas DEI, vni-

vniuersas, inde est omnium DEO vicinissima, (quid enim vicinius DEO, quàm DEI Mater?) inde quoque ad exaltandum DEVM est maximè apta, ita vt ex puris creaturis, neque vllæ singulæ, neque simul omnes sint plùs, ad hoc implendum idoneæ.

Christus à Maternitate V. MARIÆ exaltatus, excellentissimus.

4. Quoniam Christus, MARIÆ, Matris suæ Filius est: quæ Mater tantæ super omnes Creaturas eminentiæ, & tantæ ad DEVM exaltandum aptitudinis est: ideò etiam Christus, ex quo est eius Filius, omnibus Creaturis dignior, celsior, excellentior est. Sicut enim ex Parentibus Regibus, nati Filij Reges quoque, & regnorum hæredes nascuntur: ita & Christus, quoniam MARIÆ (quæ omnium Creaturarum maxima est,) Filius est, per consequens etiam Maximus Creaturarum omnium est: maximè quando ex eâ non solum Homo, sed etiam DEVS-Homo natus est, & illa quæ genuit DEI Mater, & DEI-para est. In quo aduertere est reciprocationem singularem, nec alibi in Creaturis inueniendam, vt & Mater DEI exaltetur, per, & propter Filium DEI, sitque inexhaustus fons exaltationis Matris DEI, Filius DEVS, & è contrà sit etiam exaltatus DEVS filius, propter Matrem suam DEI-param. Qua in re est aliquomodo Maternitas DEI, subæmula Paternitati Diuinæ: vt enim ibi DEVS Pater exaltatur, generatione actiuâ talis Filij: & vicissim exaltatur Filius nascens passiué, ex tali Patre: sic Mater DEI, ex quo DEVM generat Filium, exaltatur tali generatione in immensùm, & vicissim exaltatur etiam Filius eius, generatus ab eâ tali generatione ex Matre: vnde Propheta etiam de hâc generatione admirans dicebat. *Generationem eius quis enarrabit?* & alius. *Creauit Dominus nouum super terram Fœmina circumdabit Virum.* Christus ergo, quantùm ad hunc Modum priorem, habet à Matre, vt sit excelsior, excellentiorque omnibus creaturis. *Isaiæ. 53. 8. Ier. 31. 22.*

Alter autem Modus, quo similiter eandem super omnes Creaturas exaltationem, ex Matre suâ accepit

Excell. 27. Christus eius, idemque DEI Filius, est ille, quia ex MARIÂ Matre in Christum, vt Filium, deriuatæ sunt quædam excellentiæ, tales, quales dignum fuit in Christum deriuari, & quales à nullâ creaturâ aliâ, in eum deriuatæ aut sunt, aut esse potuerunt, sunt verò deriuatæ in ipsum, eo modo, quo à Parente in prolem deriuari potuerunt, debueruntque, neque in eum deriuari illo indignum fuit, perinde vt non fuit indignum ipso, illum eiusdem Matris Filium fieri, ex eâ concipi nasci, nutriri, foueri, Maternè gubernari & possideri, illi vt Matri subditum fuisse.

Christus accepit à Matre totum, quod Christus est. Est autem Christus DEVS-Homo, seu, quod idem est, continet in se Christus Deitatem, siue Diuinam Personam: & Humanitatem, seu Humanam Naturam, atque Vnionem hypostaticam horum amborum, sicut enim Hominem faciunt Corpus & Anima, inter se vnita: ita Christum faciunt Verbum, & Humanitas Verbo vnita. His tribus nihil est maius, & dignius in Christo. Hæc omnia tria, habet suo modo, Christus à MARIÂ Matre, si quidem totus Christus MARIÆ Filius est, proinde sicut his tribus maius nihil est, & à nullâ creaturâ in Christum deuenerunt, nisi à solâ MARIÂ Matre, post DEVM, ita à nullâ etiam Creaturâ exaltatus, ac ditatus est Christus magis, quàm à suâ Matre.

Porrò hæc omnia quæ Christus est, accepisse reuera Christum, à suâ Matre, fides nostra Catholica pro confesso habet. Et, vt à facilioribus ordiamur, certum est, quod MARIA Mater Christo Humanitatem dederit; concepit enim ipsum ex vtero, & in vtero, cooperante Spiritu Sancto, dedit illi carnem de carne suâ, dedit eam, & formauit tanquam vera Mater, & Maternali actione disposuit perfectè per omnia, vsque ad exigentiam Animæ connaturalem, quam proinde Diuina potentia ex nihilo creatam, corpusculo infudit atque vniuit & Humanitatem simul cum Matre constituit.

Certum deinde est in nostrâ pariter Catholicâ fide, quod

quod MARIA vt Mater, Diuini Verbi Personam, Humanitati ex se suoque sanguine, per Spiritus sancti virtutem formatæ, dederit, adiunxerit, vniuerit. Accepit enim MARIA in vtero Verbum, seu Filium DEI ac eius Personam, accepit (inquam) tam à Patre æterno, quam ab ipso Filio Verbo, quàm à Spiritu Sancto, & accepit ad hoc, vt ex eâ conciperetur cum Humanitate, fieretque DEVS-Homo, & ita acceptum in viscera sua Verbum, Humanitati suæ, siue ex se, à se formatæ vniuit, Spiritu quidem sancto operante principaliter efficienter, cooperante tamen etiam Spiritu sancto Matri, ac simul Spiritui sancto ipsa etiam cooperante, instrumentaliter quidem solùm, sed tamen efficienter attingente Vnionem Hypostaticam, Verbi cum Humanitate, & Diuinum suppositum, DEVM Hominem, DEI suumque simul Filium constituente, in visceribusque purissimis materno opificio, atque officio fouente, nutriente, ac tandem ad temporis, & naturæ exigentiam, in lucem hanc producente. Hæc si vera sunt, immò quia in Catholicâ fide, sunt verissima atque testatissima, manifestum faciunt, à MARIÂ Matre suâ verâ, accepisse Christum totum se quicunque est, DEI nimirum Personam, Humanam Naturam, & Vnionem vtriusque Hypostaticam; suo quidem id modo, & iuxtà capacitatem creaturæ puræ, qualis est MARIA, attamen tàm verè, quàm ineffabiliter, tàm efficaciter propriè, quàm non est apud DEVM omne verbum impossibile. Vbi videre, admirari, ac prædicare licet maximum quoddam, & planè singulariter extraordinarium MARIÆ priuilegium à Patre æterno indultum, & indultum ita, vt non solùm omnibus puris creaturis, tàm Angelis, quàm Hominibus, verùm etiam Verbi, Spirituque sancti Personis illud non indulserit, soli autem MARIÆ Matri Filij sui communicauerit. Ex veritate quidem ipsa substantialis veritas, Filius DEI pronunciat. *Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt;* attamen hoc non obstante asserto, Genitoris relationem, siue Naturæ ad producendum DEI Filium

Christus à Maternitate V. MARIÆ exaltatus, excellentissimus.

Ioan. 16. 15.

Excell. 27. lium fæcunditatem, nequaquam Pater Filio dedit, nequaquam illam Filius à Patre habet, neque enim Filius, aut esse, aut dici Pater alicuius Personæ Diuinæ potest, & habet quidem Filius à Patre, non tantùm perfectiones absolutas, sed etiam Naturam fæcundam, quâ potest cum Patre communi actione Personam Spiritûs sancti producere, siue spirare, non habet tamen naturæ fæcunditatem, vt possit Pater alicuius Diuinæ Personæ esse. Similiter, habet Spiritus sanctus Diuinam Essentiam, omnesque perfectiones absolutas eam comitantes, à Patre & Filio, per processionem ab ipsis, tamen non habet Naturæ fæcunditatem, ad aliquam Diuinam Personam producendam. Nimirùm soli MARIÆ DEI Matri priuilegium, hoc debitum est, cui Pater æternus, sicut in Amore, ita & in Liberalitate erga illam tantùm indulsit, & Mater Diuini Verbi, Filijque sit & dicatur, atque Relationem Genitricis DEI sortita sit, & vim fæcundam producendi Personam Diuinam, mutuata à Genitore, Filium vnicum, consubstantialem sibi, quem Pater ab æterno genuit, hunc sibi vnicum & dilectissimum, & in omnibus æqualem noluit esse solummodò suum, sed eundem re ipsâ voluit esse MARIÆ quoque vnicum, ac prædilectum Filium. Dedit ergo MARIA Mater DEI, Filio suo DEO, Diuinitatem ac Diuinam Personam, quia Pater æternus hoc illam singulariſſimo priuilegio decorandam duxit, quod ab illo, neque Verbum, neque Spiritus sanctus accepit, sed solam MARIAM ad Paterni, seu Materni, seu Patri Materni nominis consortium, vnigenitique Filij societatem, accepit & admisit, vt pleno ore, plenoque item iure Mater Filij DEI nuncupetur, beatamque illam, ex hoc, & ob hoc prædicent omnes generationes, quoniam illa sola ad superexcellens post Patrem & Filium producendi personam Diuinam munus euecta, admissa, & exaltata est. In quo MARIA sicut omnem creaturam excessit, sic etiam eodem iure Filium suum, eundemque DEI filium, supra omnem creaturam, quantùm in ipsâ fuit, hoc est, quantùm

tùm ex munere Patris æterni collatum habuit, illum euexit, & exaltauit. Et reuerà, non esset aliàs, quomodo, aut vnde MARIA, Mater DEI vel esset, vel diceretur, nisi aliquomodo, ineffabili quidem, & planè Diuino, & persuperuenientem Spiritum sanctum, perque virtutem Altissimi illi obumbrantem, generatione suâ Maternâ, Diuinitatem dedisset Filio: non quidem de se generatoriè Deitatem principiando, (id enim soli Patri æterno proprium,) sed Deitatem, veluti à Patre sumptam, sibique collatam, Humanitati ex se conceptæ, in se, cum cooperatione Spiritûs sancti adgenerando, atque in vnam personam duas Naturas, quamuis extremè dispares, coalescere faciendo.

Christus & Maternitate V. MARIÆ exaltatus, excellentissimus.

Præter hæc autem: exaltatus est à MARIÂ Matre suâ, Filius eius Christus, superque omnes creaturas euectus, alijs quoque rationibus, Accipiens enim ex Matre suum Esse, atque seipsum: accepit natus ex eâ Naturam humanam, proprietates, & accidentia, quæ Naturam perfectissimam comitari par est; accepit quoque ornamenta Animam perficientia, tùm Naturalia, tùm moralia, tùm diuinitùs transfusa; seruatâ tamen in omnibus proportione atque creaturæ, (qualis erat MARIA) capacitate, cum Creatore DEO, (qualis erat Filius,) omnium in Matrem præuio elargitore, quomodo se habere videmus, flumina aquas suas in mare inuehentia, quas ipsas ex mari ante deriuatas obtinent.

Vt autem specificatiùs aliquid de acceptis, ex MARIÂ Matre, per Christum Filium excellentijs edisseramus. Accepit Christus ex Matre suâ.

Primò, cum substantiâ atque Naturâ humanâ, omne quoque decus naturæ huius, omnemque speciositatem, atque formositatem, ita vt esset Matri, quàm simillimus suæ, quam præ filiabus hominum pulchram fuisse, Diuinus eius Sponsus attestatur, à quâ Matris similitudine fuit etiam Filius speciosus formâ, præ filijs hominum, & non tantùm hominum, verùm etiam Angelorum; Certum,

Excell. 27. tum est enim Christi Naturam humanam, quanquam specie suâ Angelicâ inferiorem, tamen in speciei suæ perfectione, perfectiorem esse, quàm in specie suâ omnis est Angelica. Porrò ista Christi Filij cum Matre, simulque ex Matre similitudo, non solùm eâtenus debita est Matri, quia illa Mater, hic verò Filius est, quomodo passim filij Parentum formam imitari solent ex ortu suo: sed illatenus etiam, quia scilicet illa similitudo Christi Filij, cum Matre MARIÂ, voluntaria fuit tàm Filio, quam Matri; talem enim MARIA Filium concepit, qualem ipsa (vt sic dicam) sibi depinxit, effinxitque cum omnibus symmetrijs, lineamentis, & omni decore; vicissimque talem sibi Christus Humanitatem ex Matre, & in Matre efformauit, qualem Maternus & decor, & voluntas requirebat. Atque ita quidquid speciositatis, atque formæ fuit, & est in Christo naturalis humanæ, id totum est à MARIÆ, quâ similitudine, quâ voluntate, quâ efficacitate, tum verò etiam à Filij Matrizatione.

Secundò, Accepit Christus à Matre, & ex Matre suâ, cum Naturâ humanâ Virginitatis decus excellentissimum, & extraordinarium. Non enim tantùm Virgo ex Matre natus est, quod est nascentibus omnibus commune; sed natus est ex Matre semper Virgine, ex Matre cuius Maternitate Virginitas, nec ablata, nec imminuta, sed aucta, & sacrata, & Virginior facta est. Vnde Dominus noster excellentius est Virgo, natus ex Matre Virgine, quàm fuisset natus ex non Virgine: sicut & ipsa MARIA minus Virgo fuisset, si non fuisset Christi, seu DEI Hominis Mater: esto fuisset Virgo, sed puri hominis Mater. Virginitas enim MARIÆ Maternizata, & fæcunda facta est, & deducta, eleuataque est eò sublimitatis, vt esset principium productiuum Filij DEI, quâ in re, & si virtute supernaturali integrata & completa fuerit, Natura tamen Virginea remansit in eâ, Virgineæ Patris æterni Naturæ æmula, quàm simillima. Sicut enim in Diuinitate, Pater est ac dicitur Pater, quia producit Filium,

um, similem sibi in Naturâ Virgineâ, simul tamen fæcundâ, & idoneâ ad aliam Personam Diuinam, cum Patre producendam & spirandam; ex quo Filius DEI, & est, & dicitur verus Filius Patris. Sic etiam proportione seruatâ, principium productiuum Filij DEI, licet omnem Naturæ sphæram prætergrediens, prædicatur nihilominus natura virginea fæcunda, & DEI Patris Virgineæ Naturæ æmula, quia in suâ Virginitate ebibit naturam fæcundam, ad producendam Diuinam Personam Verbi. *Christus & Maternitate* V. MARIÆ *exaltatus, excellentissimus.*

Tertiò, accepit Christus à Matre Virgine, omnem Creatam Dignitatem, atque excellentiam: potissimumq; Sacerdotalem & Regiam, ad hoc explicandum, confirmandumque immorari me, non puto necessarium, sufficiet dicere. MARIAM Christi genitricem, fuisse de Sanguine Dauidis Regis ortam, indeque & Christum Filium Dauid extitisse, dicente Gabriele ad Virginem, *Dabit ei Dominus* DEVS *Sedem Dauid, Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternùm, & regni eius non erit finis:* idipsum asserente Apostolo PAVLO, *De Filio* DEI *qui factus ei, ex semine Dauid, secundùm carnem;* hoc est, secundùm desumptam ex Virgine MARIÂ, Dauidici generis filiâ humanam originem. Cuius Virginis quoniam nec Sacerdotale genus tacetur, insinuante Angelo, quod Elizabeth cognata eius esset, quam LVCAS Euangelista, de filiabus Aaron fuisse affirmat, dubitari non debet carnem Christi ex vtroque genere propagatam, & Regum scilicet & Sacerdotum, in quibus personis apud Hebræorum populum, etiam Mysticâ vnctione Christus præsignabatur, Chrismate scilicet, vnde Christi nomen elucet, tantò ante istâ euidentissimâ significatione prænunciatum. Et quidem Christus Sacerdotium Aaronicum non attigit, si quidem Sacerdotium æternum, secundùm Ordinem Melchisedech præelegit, at verò Regnum, non tantùm Dauidicum, cuius potestatem temporalem, & si reuera habuit, non tamen adijt, eius possessionem, spiritualem verò plenissimè possedit, & possidet, possidebitque in æter- *Luc. 1. 32.* *Rom. 1. 3.*

Excell. 27. æternùm, & regni eius non erit finis. Porrò totius mundi, omniumque Creaturarum absolutus est Rex Regum, atque Dominus Dominantium, habens omnem potestatem in cælo, & in terrâ, idque tum ex pluribus Capitibus (puta Diuinitatis, Hominis quoque Verbo vniti, meriti quoque) tum ex Origine Maternâ, quæ ex quo ad Maternitatis DEI dignitatem, electa & euecta est, connaturali iure Domina, Hæres, & Regina totius mundi effecta est, idemque ius in Filium suum deriuauit, prout etiam ab ipso Filio, in illam deriuatum est.

Quartò, accepit Christus à MARIA Matre, Redemptoris dignitatem, officium, atque etiam facultatem. Certum est enim, quod Christus DEI Filius, sic est à DEO Patre, ad redemptionem mundi destinatus, vt in ordine ad hoc munus Homo fieret, & Humanitatem assumptam in pretium Redemptionis expenderet. Certum est etiam in hunc eundem finem, Christum ex MARIÂ conceptum, Natum, educatumque esse, vt hunc ipsum Hominem DEVM, redemptionis, & pretium, & instrumentum, haberet, faceretque. Itaque, quod Christus habuerit pretium, atque instrumentum peragendæ Redemptionis, Matri procul dubio debet. Cuius etiam, quia promptissimâ, liberalissimâque, necnon ad DEI Patris, Christique ipsius placitum, conformatissimâ voluntate, hoc ipsum Redemptionis mundi officium, Christus Dominus & suscepit, & peregit; idcirco corredemptrix Mundi cum Redemptore Filio exstitit: ita & hæc duo plenissimè in MARIAM DEI Matrem confluxerint. Vnum, quia illa præ vniuerso genere humano, plus sola Redemptionis Christi particeps facta est; Alterum, quia post DEVM Patrem, nemo amplius de suo in eandem generis humani Redemptionem impendit; sed quemadmodum de Patre DEO, dixit Apostolus, sic & de Matre

Rom 8 32 DEI dici, suo, vero tamen modo potest, *quod proprio Filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit.* Ecenim sola illa cum DEO Patre, tam immobilis, quàm & libera-

liberalis, atque prodiga, & gaudens, Filium suum in Redemptionem mundi dedit. Propterea, sicut vniuersum genus humanum, neque DEO Patri, qui sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, ad saluandum mundum per ipsum, neque ipsi Filio DEI, qui Animam suam pro omnibus posuit, oblatusque est, quia ipse voluit: sic, cum proportione, neque Matri DEI dignum, quidquam vel amoris, vel laudis, vel gratiarum actionis, vel cuiuscunque liberalitatis, aut æstimationis reponere potest, quæ vsque adeo etiam Vnigenito suo, non pepercit propter salutem nostram, vt si hoc ante Patrem æternum placitum fuisset, ipsamet manu suâ Maternâ Vnigenitum suum, immolatura promptissimè fuerit, quocunque modo id fieri Patri æterno complacuisset. Propterea etiam, sicut officium, Dignitasque Redemptoris, ea est, quæ Christum tàm coram DEO Patre, quam coram Creato Vniuerso exaltatum & excellentem facit, in eâ verò partem maximam, suo modo, habere Mater cognoscitur, inde consequens est Christum Dominum à MARIÂ Matre suâ, supra omnes Creaturas exaltatum, magnificatumque esse.

Christus à Maternitate V. MARIÆ exaltatus, excellentissimus.

Hæc tamen omnia, quæ de exaltatione Christi Domini, à suâ Genitrice MARIÂ dicta sunt, vel adhuc dici possent, ita intelligi accipique debent, vt in his proportio Creaturæ ad Creatorem, Hominisque puri ad DEVM debita seruetur. Scimus enim hæc omnia, quæcunque Mater DEI, Filio suo DEO contulit, ex eiusdem Filij munere, vt conferre posset accepisse: in eoque a Filio antecedenter præuentam, prædonatamque esse, vt sicut Mater sua, sic & donatrix, exaltatrixque supra omnes Creaturas sua posset esse. Eam enim regulam, siue mensuram Diuinitas, in dotatione atque ditatione MARIÆ DEI Matris, seruandam sibi præfixit, ac reipsâ seruauit, vt omne id quod Diuinæ dignitati, non derogaret, capacitatemque Creaturæ non excederet, totum Maternitatis Diuinæ ambitu concludendum, totum

Excell. 27. Matri DEI elargiendum, veluti connaturale debitum statueret.

Quod si hanc sibi legem Diuinitas, in magnificatione MARIÆ DEI Matris posuit, vt solâ suæ omnipotentiæ, & creaturæ capacitate, suam erga ipsam liberalitatem definierit: quomodo pusillos nos humiliones in tantæ Matris, tam DEO pretiosæ, & suprà modum æstimatæ, atque honorificatæ, amorem, appretiationem, laudem, honorem, & quidquid demùm ad venerationem, exaltationemque eius facit, debemus esse studiosi, profusi, assidui, & quodammodo inexhausti, atque infiniti, cum in hoc studio præeat nobis exemplum ipsius Diuinitatis, nusquam & nullam legem, mensuramque sibi in ornatu MARIÆ DEI Matris assignantis, nisi in aut creatâ incapacitate, aut in suâ Diuinâ incommunicabili cum creaturâ dignitate: reliquis omnibus bonis, & donis, & laudibus, priuilegijsque suis, locum in Maternitate DEI assignat, eaque inibi decenter, placenterque collocat.

Ex vero certè, & ex merito, imò & quantum ad DEI Matrem attinet, ex debito, vniuersis creaturis, specialiter verò hominibus, incumbit eniti, ad illud, siue monitum, siue præceptum sapientis, primariè quidem, & absolutâ ratione DEVM super omnia benedictum: sed etiam cum proportione post DEVM, Matrem quoque

Eccl. 43. 32. DEI concernens exequendum: *Glorificantes DEI Matrem, quantumcunq; potueritis: superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes MARIAM, exaltate illam, quantum potestis; maior enim est omni laude, exaltantes eam, replemini virtute: ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eam, & enarrabit eam, sicut est ab initio? Multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius;* pauca inuestigauimus mirablium diuitiarum eius: de quibus ipsa, Mater DEI, more quidem suo breuissimè in verbis, at in sensu verborum prægnantissimè pronunciauit, dicens *Fecit mihi magna, qui Potens est; &*

Luca. 1. 48. *Sanctum nomen eius. Ecce enim ex hoc beatam me dicent,*

omnes

omnes generationes. Dicent quidem, sed nequaquam edicent vniuersam eius beatitudinem, omnes generationes. Videmus enim, & magno Ecclesiæ Christi bono, filiorumque illius profectu, & ad salutem æternam accessu, intuemur, quomodo ab origine mundi, at maximè ab exordio Ecclesiæ Christi, omnibus ætatibus, seculisque, ac seculorum generationibus, laus MARIÆ DEI Matris, noua, & noua semper exercuerit, & veluti ex inexhaustâ aurifodinâ, aliæ & aliæ, plures & plures, maiores ac maiores, simulque quantò mirabiliores, tantò probatiores erutæ, & in lucem Ecclesiæ, in Exaltationem MARIÆ, in delitias, diuitias, salutemque Amatorum eius, productæ laudes sint, & quotidie penè producantur, adhucque producendæ supersint. Nec enim potest verum non esse dictum Sapientis: quia maior est omni laude, & quantumcunque potueritis, illa superualebit adhuc: tum verò etiam omnino impleri necesse est, eius ipsius prædictionem, quia beatam illam dicent omnes generationes: & erit benedicta in æternùm.

Christus à Maternitate V. MARIÆ *exaltatus, excellentissimus.*

Exaltetur itaque Beata DEI Mater, ac simul Virgo perpetua MARIA, in eo, quia ipsa exaltauit IESVM Christum Filium DEI, pariterque suum, suprà omnes Creaturas: Vicissim autem, & infinities ampliùs & ampliùs exaltetur ipse IESVS huius Matris Filius, qui vt exaltaretur à benedictâ Matre suâ, exaltauit illam ipsam in se, & propter se, exaltatusque est, & exaltabitur semper ab ipsâ, & propter ipsam, vsque in sæculorum sæcula.

EXCELLENTIA XXVIII.

Solus Christus, est Caput omnium Creaturarum.

VIGESIMA OCTAVA Excellentia Christi Domini, super omnes Creaturas, est Excellentia Capitis: quia nempè est omnium Creaturarum summus, & supremus Dominus,

Excell. 28. minus, Moderator, Rector, atque Superior: Idque ad similitudinem capitis in corpore, v. g. Humano seu Homine, propriè namque capita in Animalibus viuentibus sunt.

Quatuor autem sunt, quasi proprietates capitis in Homine. 1. Quia caput in homine, est eiusdem Naturæ cum suo corpore, ob quod dicitur caput Homogeneum. 2. Quia caput in Homine est perfectius, quam reliqua omnia membra, in eo sensus omnes vigent, &c. cum in reliquis non nisi duo, aut tantum vnus vigeant. 3. Quia caput in Homine est superius situm, reliqua verò membra infra caput posita, & ei subiecta sint. 4. Quia caput in Homine, in cætera membra influit, vitam, vigorem, directionem in operando.

His ipsis quatuor de causis, Dominus IESVS est Caput Hominum, & potissimùm Ecclesiæ ex hominibus constitutæ.

Primò enim est, conformis Naturâ cum Hominibus, quia est Naturam humanam habens sicut illi, & ita aptitudinem habet ad illos, estque Homogeneus cum illis.

Secundò, est perfectissimus & maximus in donis, gratijs, virtutibus: Præter gratiam enim Vnionis Hypostaticæ cum Verbo, quâ excellit super omnes creaturas, & quæ est gratia gratiarum, seu gratia super omnes gratias, fonsque & radix aliarum: habet præterea gratiam habitualem sanctificantem, in summo excellentem, & à nullis creaturis adæquandam: ratione eius gratiæ, & aliarum illi annexarum, simulque in Christo residentium est Caput, seu Princeps, seu (vt vocat eum Apostolus,) Primogenitus omnis Creaturæ, inprimisque Humanæ.

Tertiò, Christus est sublimior omnibus Creaturis, tum ex conditione Vnionis Hypostaticæ, tum ex ratione gratiæ creatæ habitualis modo iam dicto, tùm etiam ratione situs, seu consessus ad Patris dexteram, tùm ratione

tione vniuersæ dignitatis super omnem hominem, creaturamque, habens infemore scriptum, Rex Regum, &c.

Christus titulo Capitis vniuersorũ, excellentissimus.

Quartò, Christus Dominus, influit in omnes quidem Creaturas, sed specialiter in homines, maximè in Ecclesiam siue triumphantem, siue militantem, siue etiam Angelos comprehendentem. Quoniam tota Ecclesia, etiam Angelos complectens fuit semper coniuncta Christo Domino, non tantùm ratione meritorum eius, sed etiam per fidem, & per charitatem, quæ omnis ex Christo in illis fuit, etiam antequam Christus existeret: sicut de hominibus ante Christum natum viuentibus, & iustis certum est: etiam de ipso Adamo, qui etiam ante lapsum, fuit membrum Christi, habuit fidem eius, tanquam authoris gratiæ, & consummatoris gloriæ.

Propter has quatuor proprietates capitis, Christo Domino conuenientes, Christus Dominus indubitatè est Caput Ecclesiæ, & hominum prorsus omnium, quicunq; recipiunt, vel recipere possunt influxum, aliquem gratiæ & meritorum eius, possunt autem omnes, quia pro aliquo saltem tempore, sunt omnes in eo statu, in quo recipere possunt: proinde omnium est simpliciter Caput; licet reproborum tantùm sit, quam diu illi in hac vitâ sunt, in quâ capaces vitæ gratiæ sunt, electorum verò sit perpetuò, & semper, quamuis hi non semper, eodem modo illi coniungantur: cum aliquando sint eius membra viua, dum sunt in eius gratiâ, & extrà starum peccati; aliquando autem mortua, quando in peccato mortali, extra gratiam charitatemque sunt; quando autem ad statum gratiæ redeunt, & quando ad statum patriæ perueniunt, tum ibi perfectissimè Christo coniunguntur, & recipiunt non tantùm gratiæ, sed etiam gloriæ æternæ influxum ab illo. Quod adeo verum est, vt etiam de infantulis, qui in visceribus matrum extinguuntur locum habeat, certum est enim aliquos infantes, nec dum natos, sanctificatos fuisse per Christi gratiam, vt de Ieremiâ, & IOANNE Baptistâ testatur Sacra Scriptura, quod

Excell. 28. euincit, etiam in illo statu infantes homines, iam nihilominus ad Christum, vt caput suum pertinere, & ab eo influxum salutis recipere posse, quamuis per accidens aliquando impedimentum interueniat, ne id fiat.

Deinde verò, Angelorum quoque Caput esse Christum certum est, vna enim & eadem tantùm est Ecclesia, ex Angelis, & Hominibus constituta in cælis & in terris, ad quam aggregantur omnes Electi, quicunque ad Iudi-
Hebr. 12. 22. cij Diem viuent, de quo PAVLVS clarè loquitur. *Accessistis ad montem Sion, & Ciuitatem* DEI *viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium* DEVM, *& spiritûs iustorum perfectorum.* Si ergo vna est Ecclesia, vna Ciuitas, vna Ieruſalem cælestis, vna frequentia, vnus Iudex omnium, ergo & vnum Caput, vnus Dominator, & Rector, Angelorum atque Hominum, & Ecclesiæ ex illis coalescentis. Id enim requirit pulchritudo, atque bonus ordo vnius Politici perfecti corporis, quale certum est Ecclesiam esse, vt vnum Caput, vnumque Rectorem habeat, quod aliud esse non debet, neque potest nisi Christus: cuius Humanitati tum ratione Vnionis, tum ratione excellentissimarum gratiarum, infinitorumque meritorum, dignitatisque hoc de-
Matt. 4. 11. betur. Ea propter Christo Domino in deserto *accedentes ministrabant Angeli*, & paratas sibi esse apud Patrem,
Matt. 26. 53. *plusquam duodecim legiones Angelorum*, Christus Dominus asseruit, & post Domini resurrectionem Angeli fuêre prædicatores eiusdem. Et IOANNI volenti Angelum
Apoc. 22. 9. sibi loquentem adorare, dixit Angelus ipse: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum.*
Hebr. 1. 14. Denique *omnes sunt* (vt PAVLVS ait,) *Administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis*; quod ministerium respectu Christi DEI-Hominis, ab illis exercetur: qui & salutis hæreditatisque nostræ author, & Ecclesiæ gubernator, atque proinde Caput est.

Et ne multis in eâ re immorer: conglobatim dico, Chri-

Christum Dominum, iam inde à creatione Angelorum influxisse, merita sua in illos. Angeli enim in statu suæ viæ, habuerunt fidem in Christum, & per eam fidem viuam sanctificati sunt, proinde & per Christi merita gratiamque, obtinuerunt sanctitatem & gloriam. Reuelatus enim est per fidem Christus Angelis, in initio creationis illorum: & est simul reuelatus, atque propositus eis, tanquam Caput illorum, cui subijcerentur, & fidem, spemque suam post DEVM collocarent: in quod boni quidem Angeli consenserunt: mali autem inde occasionem superbiendi contra DEVM, & Humanæ Naturæ inuidendi acceperunt: ideòque hi nequam spiritus rudentibus, inferni detracti sunt in tartara: illi verò boni, humiles, DEO subiecti, & Christum venerantes, ac fideles, gratiâ confirmati, & gloriam æternam adepti sunt. Dominus ergo IESVS, DEVS-Homo meruit Angelis omnia dona gratiæ, sicut & nobis, & quæ etiam nobis, demptis ijs, quæ ad remedium peccati pertinent. Meruit illis Electionem, prædestinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adiuuantia, sufficientia, & efficacia, ac denique omne meritum, & augmentum gratiæ, atque gloriæ. Nulla enim est gratia DEI in creaturâ vlla, quæ non communicetur per Christum Dominum nostrum, proinde & nulla est, in quam idem non influat, & tandem cuius Caput non sit. Quamuis autem non sit eiusdem, imò sit inferioris Naturæ, quàm sunt Angeli: hoc tamen non obstat, quominus caput sit eorum Christus, quia hæc inferioritas suppletur in summo per Vnionis hypostaticæ gratiam, & ratio capitis in Christo super creaturas, superque Angelos, non residet vt in puro homine, sed vt in DEO Homine, incluso scilicet supposito, & quamuis etiam ad Naturam gratia capitis pertineat, non tamen sine personâ.

Christus titulo Capitis vniuersorũ, excellentissimus.

Istam Excellentiam capitis, tàm respectu hominum, quàm etiam Angelorum agnouit, & asseruit PAVLVS in Christo Domino: non tantùm quâ DEVS est, (id enim

nec

Excell. 28. nec dubium, nec quæstionem habet) sed etiam quâ Homo est, ita vt in ipsâ Humanitate hanc dignitatem habeat, per illamque munus capitis exerceat. Cum enim scripsisset Apostolus Ephesijs, se memoriam facere illo-

Ephes. 1. 19 rum in suis orationibus, *vt sciant quæ sit supereminens magnitudo virtutis* (DEI) *in nos, qui credimus, secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus*; expressè, & explicatè subdit, *suprà omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne Nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Denique, Omnium cæterarum Creaturarum, Caput esse Christum Dominum, certum est; & si non secundùm eum modum, quo Angelorum atque Hominum. Non enim Christus influit in alias omnes creaturas, per suam Humanitatem capitisque efficaciam & officium, Entitatem, Naturam, operationes, vires earum, id enim creaturæ habent ex suâ creatione à DEO, cum & nos non habeamus à Christi merito, vt corpus vel Animam rationalem, vel liberum arbitrium habeamus; sed tantùm vt iusti, sancti, beati simus, cuius influxûs aliæ creaturæ sunt incapaces, vt potè irrationales, ac proinde Christus Dominus, hoc modo Caput earum non est, sed est Caput Dominio, regimine atque gubernatione, nec non earum in ministerium Electorum, directione, conseruatione, distributione. Ad eum modum quo in humanis rebus publicis, homines quidem ipsi, & eorum varij ordines ac status, gubernationis influxum recipiunt à Regibus & Magistratibus per leges, imperia, placita, prouisiones, defensiones, aliaque commoda, ad vitam pacatè, feliciter, securè, transigendam: Castella verò, Munitiones, Vectigalia, aliaque, vt sic dicam vtensilia Reipublicæ, ac populorum: non recipiunt præcisè influxum

alium,

alium, nisi possessionis ac regiminis, in vsum populorum subditorum: in quem ædificantur, conseruantur, instaurantur. Quare longè alio, eoque perfectiori modo est Christus Dominus Caput Ecclesiæ, quàm cæteræ irrationales creaturæ, attamen est & huius: ideo vocatur primogenitus omnis creaturæ: quia hæ omnes eius voluntati seruiunt, & omnes dignitati eius cedunt: & insuper omnes ab eo dignificatæ sunt per hoc, quia DEVS-Homo factus est, creaturamque fecit digniorem participatione Deitatis, longè quàm sine eâ fuisset. Et præterea sicut omnes hæ creaturæ, multam passæ sunt destructionem, & deordinationem lapsu hominum in culpam, eò quod cogerentur seruire homini, DEI hosti, ac rebelli, facto autem DEO-Homine, non tantùm subleuatæ, sed & sublimatæ, honoratæque sunt, vt iam DEO-Homini, & propter eum etiam puro homini seruiant: adhucque *expectent reuelationem filiorum DEI: donec & ipsa creatura liberetur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Ita etiam omnes ad Christum, tanquam ad suum Regem, gubernatorem instauratoremque pertinent: quam & nunc quidem suo modo ab ipso recipiunt: vnde dici solet, quod morte Domini reparatæ sint etiam insensibiles creaturæ, dicente etiam PAVLO, quod Dominus *pro omnibus gustauerit mortem*, magis autem recipient post diem iudicij, quo peracto per Christum Dominum omnia renouabuntur: & tum splendorem ornatumque, tum incorruptionem accipient.

Christus titulo Capitis vniuersorũ, excellentissimus.

Rom. 8. 21.

Hebr. 2. 9.

Hunc igitur in modum est Dominus noster Caput rerum omnium: & si maximè propriè Ecclesiæ ex Angelis, Hominibusque constitutæ: quæ propriè dicitur Corpus Christi mysticum, recipiens ab eo vitam spiritûs, meritorum, & gratiæ, atque vltimi finis, seu gloriæ, cuius incapaces sunt cæteræ res, ac ideo non sunt huius corporis commembra, neque capitis membra.

Atque hæc quæ de Capite Christo dicta sunt, ostendunt gratiam & dignitatem hanc capitis, ita esse in eo

Excell. 28. excellentem, & illi propriam, vt nulli alteri communicata sit, immò nec communicari possit puræ creaturæ, saltem quoad perfectionem, & modum influendi gratiam in alios ex perfectâ iustitiâ; Hoc enim non conuenit nisi ratione gratiæ Vnionis, à nemine præter Christum participatæ.

Sicut autem ista gratia dignitasque capitis, Dominum nostrum adeo magnificò exaltant super omnia, quomodo Caput excedit in corpore omnia membra sua: ita quoque eadem Domini nostri dignitas atque gratia, nobis hominibus atque etiam Angelis mirificam confert tùm vtilitatem, tum honestatem. Honestatem quidem, quia summus reuera honor noster est, capite Christo id est Homine DEO gaudere, & Christi membrum quasi DEificatum esse: quomodo enim pes, manus, oculus, in Corpore Domini reali & physico insertus maximam, id est theandricam consequitur dignificationem; ita & homo quisque, Christi corpori Mystico insertus, per fidei atque gratiæ vnionem Deificus efficitur, & altissimam, omni Naturæ ordine sublimiorem obtinet dignitatem, quod nimirum tantopere PAVLVS exaggerat, vt dicat de solis Corporibus Christianorum, *Nescitis*
1. Cor. 6. 15. *quoniam corpora vestra, membra sunt Christi?* & rursùm,
Ibid. ℣. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à DEO, & non estis vestri?* Et quid huic honori potest vel addi, vel æquari? nihil certè: sicut è contrà huius tam glorioſi Capitis, membrum non esse, nulla potest esse abiectio, miseria, dedecus, & ignominia maior.

Porrò vtilitatem confert nobis; ista cum capite Christo communio, & maximam & plurimam, quomodo enim Corpus vnitum Capiti, habet vitam, vegetationem, motum, operationem, regimen, ac omnem necessariam prouidentiam, per influxum capitis, separatum verò à capite redditur inanime, & ad omnia inutile; ita homo, & totum Ecclesiæ corpus adhærens Capiti Christo,

sto, omnem vitæ & gratiæ spiritualis, supernaturalisque influxum tecipit, omnem benè, & dignè beatitudine æternâ operandi, merendique virtutem exinde habet. Sine istâ verò cum capite coniunctione, obtinet omnino nihil: propter quod absolutè Dominus affirmat, *quod sicut palmes, nisi manserit in vite, nullum fructum affert: ita & vos nisi in me manseritis, sine me nihil potestis facere.* Quicquid ergo nos habemus, quod nobis ad salutem æternam proficit, totum hoc beneficium capitis, & nostræ cum ipso coniunctionis fructus est. Siue ergo fides, siue spes, siue charitas DEI & proximi, siue dona & fructus Spiritus Sancti, siue virtutes, quæcunque supernaturales ac salutares, siue merendi vis, ac ipsa merita, siue gratia sanctificans, siue filiatio DEI, siue auxilia gratiæ quælibet præuenientia, comitantia, cooperantia, subsequentia, siue pœnitentia, & fructus eius digni, siue remissio peccatorum, siue profectus & perfectio ipsa virtutum, siue denique in bono finalis perseuerantia, ipsaque beata, & æterna vita: omnia ista capitis nostri beneficia sunt, ab eius in nos influxu in nobis sunt, crescunt, manent, quia verum est capitis nostri effatum: sine me nihil potestis facere, manendo autem in dilectione meâ, & in Vnione mecum omnia potestis facere, quia omnis sufficientia vestra ex me est, & in eo qui vos confortat, potestis omnia.

Christus titulo Capitis vniuersorũ, excellentissimus.

Ioan. 15. 4.

Hoc verò loco, non potest non deplorari cæcitas, & stultitia plurimorum hominum, & non gentilium, (eorum enim infelicitas, magis mereri videtur condolentiam) sed Christianorum, & horum quàm maximè, qui cum fideles Christi sint, & Christo per Baptismum fidemque inserti, & filij Ecclesiæ, membra autem Christi, tanquam sui veri capitis effecti: tamen adeo nihili faciunt istud Caput suum Christum, & istam influxus eius, ad vitam gratiæ, gloriæque æternæ, tùm felicitatem, tum dignitatem, tum vtilitatem, vt vix quidquam eis vilius sit. Etsi enim sciunt, se absque gratiâ Christi, nihil

Excell. 28. hil omnino posse proficuè facere ad salutem vitamque æternam; & si sciunt, omne peccatum quod committunt, resecare omnem influxum Christi in Animam, & ab illâ expellere gratiæ vitam, & occidere tum omnia opera, meritaque bona animæ, tùm ipsam Animam, & diabolicæ potestati, ac dominio illam subijcere, depulsoque capite Christo, dæmonis caput illi superimponere, ita vt Christianus homo ex membro Christi, fiat membrum diaboli. Hæc, inquam, & si sciant Christiani, (& reuera scire debent,) nihilominus ita sicut aquam bibunt iniquitatem, ita superaddunt omni horâ & occasione peccatis peccata, ita insordescunt in eis, plusquam iumenta in stercore suo, quasi omnino ex professione Christianâ, & ex Christi lege habeant, scelerate agere, impios esse, omnem DEI legem violare, omnem Christi doctrinam, exempla, merita contemnere, quasi ad hoc Christiani sint, vt Christum suum omni ratione in semetipsis persequantur, millies millieſque repetitó crucifigant, eius à se gratiam, merita, communionem, coniunctionemque rescindant, diabolum autem sibi regem, sibi dominum, sibi caput, sibi DEVM instituant, & imponant.

O Christiane; quale tu monstrum, quàm deforme, quàm horrendum es, dum in scelere, vel vno mortali remanes. Per fidem & Baptismum, quem recepisti & retines membrum Christi es, & Caput Christum habes, per peccata autem in quibus es, diaboli membrum es, & caput diabolum portas, quid tibi videtur de te ipso, quem te ipsum facis infelix, stulte, miser, & tuâ voluntate cæcutiens, ac insaniens?

Apostolus hanc enormissimam indignitatem, abominandam Christianis reddere volens. Sic eos alloqui-
2. Cor. 6. 15. tur aliquando: *Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? tollens ergo membrum Christi, faciam membra meretricis? absit;* aliquando autem in hunc modum.
1. Cor. 3. 16. *Nescitis quia templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in*

in vobis? si quis autem templum DEI *violauerit, disperdet illum* DEVS, *templum enim* DEI *sanctum est, quod estis vos*

Christus titulo Capitis vniuersorũ, excellentissimus.

Istæ tantæ Apostolicæ exaggerationes, efficaces sanè esse debent per omnem modum, vt mentibus, hominibusque Christianis peccatum ac peccati statum, omni diabolo magis exosum faciant, (sicut reuera vnicum peccatum, omnibus dæmonibus peius, pestilentius, atq; horribilius est) vtque à peccati mortalis statu, continuò se explicent, & derecto à se diabolo capite, sese ad legitimum caput suum Christum, ad verum salutis suæ Principem, principiumque referant.

EXCELLENTIA XXIX.

Solus Christus Dominus ditissimus meritorum, & liberalissimus est.

VIGESIMANONA Excellentia Domini nostri IESV Christi est, quia apud ipsum, & in ipso, & ipse est, ditissimus, ac prorsus infinitus, inexhaustusque thesaurus meritorum, eorundemque simul super nos effusor liberalissimus.

Cum enim Dominus noster, per Vnionem Hypostaticam, ita sit constitutus, vt DEVS simul & Homo sit, ab eâdem Vnione habet primùm omnem plenitudinem Diuinitatis in se (vt ait Apostolus) corporaliter inhabitantem. Deinde habet infinitudinem Gratiæ, ipsum sanctificantis dignificantisque, ita vt sit, substantialiter ipsâ Deitate Sanctus, & suprà omnes consortes suos sanctitate vnctus, Sanctorumque Sanctus, & ipsummet, (iuxta GABRIELIS Archangeli nomenclaturam) Sanctum. Habet postea, ab hac eâdem Vnione, aliam immensam plenitudinem Gratiæ creatæ sibi, ab instanti conceptionis infusæ, quâ &si Humanitas eius Sancta non euadit, cum ante sanctificata sit gratiâ Vnionis, & sanctitate (vt dixi) substantiali ac Increatâ, ornatur tamen per illam,

Excell. 29. tanquam per connaturale Vnionis Hypostaticæ ornamentum atque attributum. Et quia tantæ est Gratia hæc creata perfectionis, siue plenitudinis, qualis DEVM-Hominem decet, ideo ab hâc redundantiâ atque plenitudine, huius suæ gratiæ habet DEVS-Homo Christus Dominus, vt non sibi tantùm mereri potuerit, ac de facto meritus sit, ea quæ status eius mortalis, & dignitas DEI-Hominis, siue permittebat, siue requirebat: sed etiam nobis creaturis, potuerit mereri, & reipsa meritus sit, quidquid nostra necessitas, salutisque æternæ, & gloriæ beatificæ assecutio postulabat. Inter hæc, conquisiuit Dominus noster sibi, sed pro nobis, & propter nos apud Patrem, thesaurum meritorum infinitum, inexhaustum, nullis largitionibus & profusionibus, nullis remunerationibus adæquandum, abolendumúe.

Hic Thesaurus meritorum Domini nostri, constituit illum, post Gratiam Vnionis, & post Gratiam habitualem creatam plenitudine suâ, omnem modum mensuramque excedentem, (constituit inquam illum,) omnis rationalis creaturæ sanctificatorem: sub quo vno nomine comprehensas volo, alias omnes dignitates, & functiones Domini nostri, circa creaturas Rationales, puta, Redemptoris ac Saluatoris: item Capitis, Regis, Domini, Iudicisque omnium, Legislatoris quoque, & Doctoris, Summi Sacerdotis, siue Pontificis. Remuneratoris etiam, atque Glorificatoris. Ista enim omnia munia in Dominum nostrum IESVM Christum redundant, ac descendunt, primò quidem, & radicaliter à Gratiâ Vnionis, deinde proximè ab illâ gratiâ creatâ, non quâ simpliciter tali, sed vt innixâ Vnioni, & vt in summâ plenitudine Christum inhabitante, denique ab infinitudine meritorum Christum Dominum ditante, & ad omnia munia, ad omnes Dignitates exercendas, ad omnia saluti atque beatitudini creaturarum rationalium necessaria conquirenda, elargiendaque, inexhauribiliter, indeficienterque abundantem reddente.

De

Christus diuitijs Meritorũ, & liberalitate, excellentissimus.

De hoc Domini nostri meritorum thesauro, grandis & (vt ait Apostolus,) ininterpretabilis nobis habendus esset sermo, verùm modus adhibendus est: & pauca solùm afferenda capita, ex quibus tùm istius Thesauri meritorum Domini immensitas, tùm ipsius Domini, ex eâ parte, suprà omnes Creaturas excellentia eluceſcat.

Quâ in re aduertendum puto primùm, Apud quem, Quis, quomodo, Cui, Quid meruerit. Ergo apud Æternum Patrem, Christus DEVS-Homo, verus DEVS, verusque & consubstantialis DEI filius, per opera sua omnia, quæ fuêre Theandrica, atque Diuini, seu DEI agentis opera, sibi imprimis, creaturis deinde, maximè rationalibus, omnia quæ ipsius Dignitati tàm Personæ, quàm operum eius condigna erant, omnia item quæ saluti & beatitudini nostræ necessaria & opportuna, siue à DEI voluntate ordinata, prouisaque fuerant, promeruit.

Quæ sint, & quanta sint, quæ ipsi sibi Dominus noster promeruerit vni ac soli: hæc omnia nulli creaturæ in hâc præsertim vita cognita, ac neque Ecclesiæ DEI militanti reuelata sunt. Omnia, inquam, nam aliquorum notitia est: vt quod sibi gloriam corporis sui rediuiui, ascensum in cælum, consessum ad Patris dexteram acquisiuerit, cæterùm omnia prorsus præmia ipsum solum, spectantia DEVM Hominem, tàm puto nulli mortalium cognita, quàm existimo esse omni certitudine certa, & omni præstantiâ præstantiora. Attigit aliquid hâc de re, planèque tantùm delibauit Apostolus: quando, postquam exposuit, quomodo Christus IESVS cum in formâ DEI esset, exinaniuerit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: subiecit de huius exinanitionis obedientiaque, merito, meritique præmio dicens: Propter quod & DEVS exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in Nomine IESV, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. In quibus

Excell.29. quibus verbis Apostolus, immensum quiddam dicit, sed non edicit: significat, sed non explicat, quod & quantum sit Christi vel meritum, vel meriti præmium, ei à DEO Patre specialiter soli redditum, admensumque. Quare in hâc re siue inquirendâ, siue enarrandâ frustrà omnino sim: Nam si teste Isaiâ & PAVLO, neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt ista bona & præmia, quæ præparauit DEVS diligentibus, & meritorum ipsorum remunerationi: estque illud immensum gloriæ pondus, eodem PAVLO assertore: quomodo in cor hominis ascendent illæ abyssales, immensitates remunerationis vniuersæ, quas Pater æternus profudit in Vnigenitum suum, propter gloriam nominis sui exinanitum, & propter obedientiam voluntatis suæ ad mortem vsque, & quidem ad mortem Crucis deductum? Quare huius abyssi perscrutatione intermissâ, & quoniam neque meritum, neque meriti præmium ipsi soli Domino seruiens, nobis planè peruium est, aut esse potest: ad illum meritorum Domini nostri remunerationumque, in quibus nos creaturæ, ouesque pascuæ, ac Saluationis eius concernimur thesaurum, aliquantulum denarrandum, nostra se conuertat in præsens oratio.

Vbi ante omnia hoc præmittendum videtur: quod certum & indubitatum esse debet; Nulli creaturæ rationali Angelicæ ac Humanæ, à DEO collatum esse quidquam Gratiæ, muneriisque supernaturalis, ad creaturæ ipsius sanctificationem, saluationem, glorificationemq; æternam conducentis: nisi per, & propter merita Domini IESV Christi DEI Hominis. Igitur omnes & singuli Angeli, omnem sanctificationem & glorificationem suam, omnia auxilia gratiæ actualis, quibus adiuti steterunt in fide ac dilectione DEI, & viam suam ad salutem, atque beatitudinem finaliter decurrerunt, eandemque obtinuerunt, debent meritis Christi Domini, DEI Hominis. Ita vt quamuis illi creatione suâ, præcesserint existen-

existentiam realem Christi, merita tamen eius in præuisione, in prædestinatione, in acceptatione, & applicatione DEI, præcesserint præexstiterintque omnibus Angelis, & omni eorum gratiæ, ac dignificationi, atque dispositioni; demumque finali beatificationi. Quod autem de omnibus gratijs, donis, auxilijs, consummationibusque Angelorum omnibus affirmatum est, hoc idem, & de Hominum omnium primo ADAMO, & de posteris eius omnibus, si ille in suâ innocentiâ perstitisset, affirmandum est; Nempe tam ipsum protoplastum habuisse, quàm posteros eius omnes habituros fuisse, statum, gratiamque Innocentiæ, & originalis Iustitiæ, cum omnibus ei annexis muneribus, ex meritis Domini IESV Christi, pariter præuisis, & suo tempore iuxta Diuinam ordinationem exhibendis, & exstituris.

Christus diuitijs Meritorũ, & liberalitate, excellentissimus.

Ex hâc assertione certâ & indubitatâ, relinquitur cuilibet colligendum, concludendumque: quàm abyssaliter infinitus sit meritorum Christi Domini nostri Thesaurus, qui etiam necdum realiter existens, sed solummodò olim futurus præuisus, suffecerit omnibus tàm Angelis, quàm Hominibus in gratiâ & gloriâ æternâ collocandis, consummandisque relinquitur etiam perspiciendum, quantæ immensitatis atque infinitudinis sit Dignitas & Excellentia Domini IESV Christi, tùm Personæ, tùm actionum operumque illius, quibus adeò ineffabiliter immensus valor, pretiumque insit: vt tantùm meritorum mare ex eo profluxerit, ac redundarit.

Quod de Angelis, & ADAMO, eiusdemque Innocentiæ, (si eum retinuisset) statu dixi, idem dicendum sentiendumque est, de statu lapsi humani generis totius, scilicet, eundem Christi Domini thesaurum meritorum, tàm necessarium fuisse, quàm & suffeciisse, sufficereque, ac per totam æternitatem suffecturum esse, omnibus, & singulis hominibus, (quantùm in Christo est,) cum offenso, iratoque DEO reconciliandis, totique æternæ nostræ salutis negotio perficiendo. In quo, quàm abyssa-

Excell.29. lis meritorum Christi Domini thesaurus se prodiderit, & adhuc prodat, ex his paucis quæ subijcio capitibus, ex parte aliquantâ eluceſcere poteſt.

Primò: Tanta eſt peccati vel vnius mortalis grauitas & malignitas, vt nullis creatis viribus emendari, emundariq́ue poſſit, diſertè Dominus per Prophetam ait.

Hier. 2. 22. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus* DEVS.

Hier.17.1.4. Et iterùm per eundem Prophetam, ita denunciat. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum. Ignem ſuccendiſti in furore meo, vsq́; in æternùm ardebit.* In Animâ ſiquidem peccatrice, commiſſi actu peccati macula, & malitia habitualis, per quam illa peccatrix, & inquinata, DEI q́ue oculis, & cordi exoſa, & abominanda remanet: ita vt illi, & omnibus dici poſſit, quod Ioſue dixit populo vniuerſo.

Ioſue.22.17. *An parum vobis eſt, quod peccaſtis in Beelphegor: & vsq́; in præſentem diem, macula huius ſceleris in nobis permanet?*

Secundò: DEI dignitas, Maieſtas, ſanctitas, bonitasq́ue tanta eſt, & tàm infinitè, immensèq́ue eminens, vt vel in modico ſolùm læſa, (ſi tamen ita lædi poteſt?) & per vnicum mortale peccatum inhonorata, iniuriataq́ue, nullis creaturarum ſimul omnium viribus ac modis, nullis inquam honorationibus, nullis obſequijs, nullis meritis, precibus, ac obſecrationibus, donis ac ſacrificijs, nullis dignitatibus reſarciri, recompenſari, reſtaurari, ad æqualitatem, condignitatemq́ue poſſit. Hoc ſibi vult illa

Mich. 6. 6. Michææ prophetæ diſquiſitio. *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu DEO excelſo? nunquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei, pro peccato Animæ meæ?*

Tertiò: Vnius peccati mortalis veniam & remiſſionem, omnium ſimul Creaturarum omnia merita, preces, ſatis-

satisfactiones, dignitates, honoresque, non merentur, nec possunt de condigno obtinere, neque pœnam æternam illi debitam amoliri. *Christus diuitijs Meritorũ, & liberalitate, excellentissimus.*

Quæ si de vnico mortali peccato vera sunt, & verè dicuntur, quid sentiendum, & quid affirmandum est, de tam immensâ, innumerabili multitudine, simulque enormitate peccatorum mortalium à creaturis rationalibus, putà Hominibus omnibus singulisque commissorum, ab origine vsque ad finem sæculorum, & mundi? Quid potest reperiri, vel excogitari dignum & sufficiens omnibus his vel sceleribus expiandis, vel iniurijs DEO illatis recompensandis, vel pœnis pro meritis æternis abolendis. Cogitandis his nulla humana mens satis sufficit, quantò minus perficiendis. Vtinam autem ad ista vel interdùm recogitanda, nostræ mentes & conscientiæ sese conuerterent, non vtique tam effreni, & insanâ, & incompescibili malignitate, atque temeritate scelera, ab infelicibus hominibus perpetrarentur, omni loco, omni tempore, omni modo. Nunc autem *non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia* DEI *in terrâ. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, absq; vllo termino: & descendent omnes fortes eius, & populus eius, & sublimes glorioſiq; eius ad eum.* Oſee. 4. 2. Isa. 5. 14.

Quartò: Amicitiæ DEI, & fauoris atque Gratiæ DEI siue Actualis, siue habitualis, atque sanctificantis supernaturalis, participatio nullis omnium creaturarum viribus, meritis, laboribusque Naturalibus obtineri potest à DEO, de condigno, alioqui gratia non esset gratia, neque esset bonum supernaturale, quod tamen supponitur esse. Est autem gratia DEI sanctificans, tam pretiosa res, vt ei comparari in pretio & dignitate non possint omnia simul huius mundi & vitæ bona ac pretia, adeo vt licet tota terra aurum fieret, totum mare in balsamum verteretur, totum spatium â terrâ ad cælum re-

Excell. 29. pleretur gemmis & vnionibus, minimo gratiæ DEI grano non possent comparari in pretio, non deberent præponi in amore.

Quintò: Idem dicendum est de beneficio Adoptionis in Filium DEI: & de beneficio iuris ad vitam beatitudinemque æternam hæreditandam, quod Creaturæ omnes, nec sibi, nec vlli de sui medio singillatim promereri idoneæ sunt, omnibus suis conatibus, meritisque Naturalibus. Est enim ista Filiatio adoptiua à DEO, post Vnionem Hypostaticam, & beatitudinem æternam actu possessam, bonum maximum, & donum incomparabile dignitasque inæstimabilis. Hæc enim adoptio euehit hominem cui confertur, ad statum supremum, qui impuram creaturam potest cadere: supremum dico naturâ & felicitate, supremum, quia Diuinum, supremum quia talem, qui hominem reddit Diuinæ consortem Naturæ, & gloriæ, hæredem DEI, cohæredem autem Christi, & omnium Diuinorum bonorum ipsiusque Diuinitatis participem, tanquam Filium. Qui status tàm est sublimis, & tàm suprà omnes Naturæ humanæ, atque etiam Angelicæ statûs, dignitateque eleuatus, vt quantumcunque istæ naturæ in suo ordine perficiantur, nulla perfectio peruentura sit, ad statum Filij DEI adoptiui, proinde non debet esse, aut dubium, aut mirum, quod eum statum, nec sibi, nec vlli de medio sui, neque vilæ, neque omnes simul obtinere, vllâ ratione possint, idque siue vt primò habeatur, acquiraturque, siue vt ante aliquando habitus, deperditus autem, rursùs recuperetur.

Sextò: Vt creaturæ alicuius opera, quantumuis bona & recta de se, sint coram DEO meritoria vel gratiæ sanctificantis, bonorumque eam comitantium supernaturalium spiritualium, vel gloriæ vitæque æternæ: impossibile est, nisi accedat aliqua dispensatio, dispositioq; Diuina supernaturalis. Sicut enim omnes brutorum actiones, quantumcunque in ordine brutæ operationis pertingere possunt: ita omnes naturalis rationis actiones,

nes, quantumcunque in suo ordine naturali complean-
tur, nunquam tamen ad perfectionem actionis supernaturalis, ad æquandam siue in Entitate, siue in valore assurgere prævalent. *Christus diuitijs Meritorũ, & liberalitate, excellẽtissimus.*

His positis: omnia ista creaturarum Naturalibus viribus impossibilia: Meritis Domini nostri IESV Christi, sunt possibilia, & nobis reddita sunt possibilia, & collata sunt, atque adeo in manus & potestatem nostram data sunt nobis.

Primò enim omnia peccata nostra, omnium nostrûm singulorumque tàm quoad pœnam, quàm quoad culpam adæquatè, ad rigorem iustitiæ diuinæ, immò & superabundanter expiauit, deleuit, & meritorum suorum thesauro abyssali exsoluit, & obruit. Ita vt eorum DEVS non memoretur amplius, eò quod in prõfundum Maris meritorum & satisfactionum Christi, quasi grandis lapis descenderint, & absorpta sint vniuersa: & sicut nix, & lana alba sint effecta. Idque non ad vnam, aut alteram, aut centesimam commissionis, remissionisque vicem: sed etiam ad millies, millieſque, absque vllâ numeri limitatione repetitam, repetendamue, tàm commissionem cuiuscunque hominis peccantis, quàm remissionem DEI condonantis.

Et prævaletne quispiam hominum, hanc abyssalitatem meritorum, satisfactionum, miserationumque Domini nostri IESV Christi, super nos homines, super nos, inquam; qui simusnè indigniores, & viliores, & inutiliores, an sceleratiores & ingrati, & impij, & rebelles, & mala summa, pro summis bonis retribuentes, & obstinatissimè, quidem retribuentes, meritò, & valde meritò dubitari potest. Ita scilicet, & si maiores sunt nostrûm omnium & singulorum iniquitates, quam vllâ ex parte veniam & misericordiam mereri, aut sperare possemus: tua tamen Bone IESV infinitudo miserationum & abyssalitas meritorum, pro peccatis nostris satisfactionum, tanta est, vt omnis iniquitas nostra, pietati tuæ compa-

Excell. 29. rata sit, quasi gutta ad mare, quasi granum arenæ ad totum terræ globum, quasi atomus ad vniuersum.

Cuius excessûs, illud etiam argumentum indubitatum est: Quia Dominus noster merita sua non est partitus in nos, ita, vt vnicuique, siue peccatori, siue peccato assignauerit attribueritue meritorum suorum partem aliam, atque aliam, huic, & illi, sed absque vllâ eiusmodi distributione, totum (quantus quantus est) thesaurum meritorum omnibus, totumque singulis peccatoribus peccatisque donauit, & Patri suo æterno pro illis obtulit, quo fit, vt nulla humana malitia, nulla peccatorum infinitudo exhaurire possit, miserationes super nos Domini nostri.

Accedit huc etiam illud in Immensum exaggerans DEI, Saluatorisque nostri miserationes & merita, quia & si meritorum, operumque Christi tantum fuit coram DEO Patre pretium, tantusque valor, propter Personæ operantis, merentisque eminentissimam, (quia Diuinam) dignitatem, vt non oportuerit absolutè Dominum IESVM, ad tantos seu labores, seu dolores, seu cæteros sumptûs, pro nostrâ plenâ salute ac à peccatis, peccatorumque æternis pænis eliberatione descendere: sed fuerit satis ad hunc totum effectum redemptionis & glorificationis nostræ, vnicam v. g. lachrymam ex oculis effundere, aut quid minutius etiam facere, & offerre: Nihilominus nimia eius in nos charitas: hoc apud illum egit, & huc illum adegit, vt cum potuerit solâ vnicâ guttâ, maluerit tamen totâ maris meritorum suorum vndâ, nostram emundationem, nostram redemptionem, nostram reconciliationem, nostram vniuersam æternam salutem, & vitam, & gloriam operari.

Quod hactenus de immensitate Thesauri meritorum Domini nostri dictum est, idem omnino & amplius affirmandum est, de eiusdem Thesauri infinitudine abyssali, Gratiæ Diuinæ nos sanctificantis, & filios DEI adoptiuos nos constituentis, nobis promerendæ, atque conferendæ

respe-

respectu. Cum enim certum sit diuersa esse beneficia, remittere offensas alicui, & eundem ad gratiam, ad Amicitiam, ad Filiationem, ad Hereditationem admittere. Potest enim Dominus seruo delicta illius, iniuriasque sibi ab illo factas misericorditer condonare, neque ab eo pœnas promeritas, debitaue contracta exigere: neque tamen seruum amore, fauoreque suo dignari, non eum ad amicitiam, aut familiaritatem intimam, admittere: multò magis potest illum nec adoptare sibi in filium, nec eum bonorum suorum hæredem, possessoremque instituere, aut ad supparem sibi Dignitatem sublimare, & per Adoptionis gratiam, Principem, honorandum ab omnibus reddere. Hæc enim pars, longè alia, & longè maxima est beneficentiæ Domini, seu Regis erga seruum. Propterea Dominus noster IESVS Christus, non satis habuit Patrem suum Æternum nobis reconciliare, & ab eo nobis peccatorum nostrorum, pænarumque æternarum ijs, vel potiùs propter illa nobis debitarum, veniam remissionemque, modo supra dicto, immensitate meritorum suorum, obtinere, læsam Dignitatem, Bonitatemque, æqualitate, excessuque iustissimæ satisfactionis pro nobis exhibitæ contentam facere: sed insuper hoc egit, & exhibitione infinitorum suorum meritorum hoc apud Patrem æternum obtinuit, vt nos à peccatis, & pœnis, & irâ offensâque suâ absolutos, admitteret præterea planè ad gratiam, ad Amicitiam, ad fauorem, & familiaritatem suam Diuinam, adhæc, adoptaret nos sibi in Filios charissimos, & faceret cohæredes Christi, tanquam veros eius fratres, suos autem Hæredes ac Filios. Totum hoc obtinentibus, præstantibusque nobis apud DEVM Patrem, meritis adæquatissimis Vnigeniti eius, consubstantialisque Filij IESV Christi Domini nostri. Quorum meritorum ratione, intuitu, ac infinitudine, ex iustitiâ, atque debito, confert nobis Pater æternus, & tenetur conferre totum illud, quod prædictum est suarum gratiarum.

Christus diuitijs Meritorũ, & liberalitate, excellentissimus.

Adiecit

Excell. 29. Adiecit verò his, Dominus IESVS illum insuper cumulum, suprà quam sperari potuit maximum, quia dispensationem, applicationem, huius sui abyssalissimi, sacratissimique meritorum thesauri, nobis ipsis in manus dedit, atque in nostro humano arbitrio deposuit. Recondidit enim merita sua, tùm in superadmirabili, superque efficaci Sacrificio, tùm in pretiosissimis, simul autem facillimis ad ministrandum Sacramentis; quorum omnium administrationem, dispensationem, & Patri æterno exhibitionem, suoque Nomine, ac vice, gratiarum & donorum ab eodem Patre exactionem, & hominibus fidelibus, ac ipsi Christo fide, spe, charitate coniunctis, illique tanquam viti palmites insertis, applicationem, communicationemque, ministris suis, ex hominum medio ad id assumptis, ordinatisque, commisit, & attribuit. Quâ in re, & summam beneficentiam effudit, & Homines tali ministerio summè extulit, & summam, mirandamque facilitatem participandi de meritis suis nobis indulsit.

Præter hæc autem, illum quoque Thesauri meritorum suorum nobis vsum, effectum, fructumque Christus donauit: quia omnibus nostris actionibus quæcunque peccaminosæ, & peccata non sunt, & quæcunque à nobis in eius charitatis participatione fiunt, eas naturalem ordinem transcendere, & ad gradum supernaturalium euadere, & meritorias coram DEO facit esse, tùm remissionis peccatorum, pænarumque ijs debitarum, tùm acquisitionis gratiarum sanctificantium, virtutumque & Donorum, ac fructuum Spiritus sancti, augmenti quoque Gloriæ, ac Beatitudinis æternæ. Id enim omni ex parte, viribus creatis naturalibus omnibus est impossibile, sed est solius Domini nostri donum, & meritorum illius effectus, atque super nos effusionis fructus.

Ex dictis hactenus euidens est, Dominum nostrum IESVM Christum, ditissimum esse meritorum, simul ac in-

in eorum profusione liberalissimum, & omnes creaturas cum illo non posse venire in comparationem. Euidens quoque ex dictis est, quantum creaturæ omnes rationales habeant Boni ex Christo, quanrumque debeant, gloriæ, amoris, exaltationis, subiectionis, & gratitudinis Christo? Etiam euidens ex dictis est, quàm vile, miserum, indignumque sit, omne quod à quacunque Creaturâ procedit peragituruè, si id non dignificetur, perficiaturuè ex Christo, & ex meritorum eius pretio atque thesauro? Euidens item est, quantùm humana fragilitas, mendicitas, & vilitas, subsidij præsentissimi, paratissimique habeat, quantumque fiduciæ robustissimæ collocare debeat in Christo: sine quo & si nihil omnino facere possit, quod ad vitam æternam proficiat: attamen in eodem omnia perficere, quæ salutis æternæ sunt potest, qui illum confortat; Confortat autem libentissimè, liberalissimè, constantissimè, ita vt nihil in vllâ gratiâ cuiquam desit, nisi ei qui tantam salutem à DEO sibi paratam, negligit, aut contemnit: at quisquis de salute suâ debitè solicitus est, huic etiam vltrò recluditur thesaurus Christi, & haurire datur quantum desideria eius capere possunt, & *fit ei fons patens in ablutionem peccatorum*, imò erit *in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam*. Etiam ex dictis euidens est, quanta, quàm inexcusabilis, quantæ pleniſſima indignitatis & ingratitudinis sit, plurimorum, & plusquam plurimorum Christianorum temeritas, negligentia, & tàm propriæ salutis, quàm Christi Domini charitatis, liberalitatisque ac meritorum & gratiarum eius contemptus: quibus vsque adeo nulli curæ ac æstimationi, est Christus, & sanguis eius, & mors eius, & merita eius, & meritis ijsdem, ac morte, & sanguine quæsita, partaque æterna salus, vt nihil sit Christianis æquè vile, æquè venale, æquè inter postremas curas postremum, æquè inter quæuis damna, nullius sensûs, pænitudinisque damnum, quàm Christi, quàm sanguinis Christi, quàm mortis Christi, quàm meri-

Christus diuitijs Meritorũ, & liberalitate, excellentissimus.

Zach. 13. 1. Ioan.

 rito-

ritorum & Gratiæ, & salutis Christi damnum. Heu! quis ista satis agnoscat, satis explicet, satis deploret? propter quod *lugebit terra*, dicit Dominus, *& mœrebunt cæli desuper. Vocem enim quasi parturientis audiui: angustias quasi puerperæ. Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisq; manus suas. Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos. Domine oculi tui requirunt & respiciunt fidem:* sed nunquid inuenire est in diebus his fidem, & non magis infidelitatem, perfidiam, periurium? *percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, iudicium* DEI *sui: ibo igitur ad Optimates & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini: iudicium* DEI *sui: & ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, sapientes sunt vt faciant mala*, fraudes, proditiones, inuidias, discordias, benè autem facere nescierunt, noluerunt, erubuerunt. Prostituerunt Ecclesiam, prodiderant patriam, euerterunt religionem, perdiderant animas, confirmauerunt hæreses: vendiderunt Christum, dereliquerunt, & deriserunt DEVM.

Ierē. 4 28. Excell. 29. Christus diuitijs Meritorū, & liberalitate, excellentissimus. Ierem. 5. 3.

O populi Christiani, ô gentes, quibus cognitus est DEVS, & Christus eius: exuite *cor incredulum*, & dolosum, *& exasperans*, reuertimini & redite: & *dicite in corde vestro. Metuamus Dominum* DEVM *nostrum:* & exaltemus DEVM salutis nostræ.

Ierem. 5. 23.

EXCELLENTIA XXX.

Solus Christus est summus Sacerdos, & Aduocatus, Mediatorq; inter nos, & DEVM.

TRIGESIMA Excellentia supra omnes creaturas Christi Domini nostri est, quia ille est Summus Sacerdos & Pontifex, idemque Aduocatus noster apud Patrem, ac Mediator inter nos, & DEVM. Explicat, & affirmat totum

totum, hoc disertè Apostolus Pavlvs: cum ad Hæbreos scribens, definit quid sit Sacerdotem esse, eamque definitionem Christo perfectè conuenire, ac per hoc verè Sacerdotem esse demonstrat, ait enim: *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad* Deum: *vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. 1. In quibus verbis Pavlvs, quatuor Sacerdotis conditiones exponit. Prima est, vt sit ex hominibus assumptus, siue vt sit Homo quoad Naturam, assumptus verò, & designatus, institutusque vel immediatè à Deo, vel mediantibus hominibus, iuxtà tamen ordinationem Dei. *Nemo enim sumit,* Hebr. 5. 4. seu sumere debet, *sibi honorem,* & officium Sacerdotale: *sed qui vocatur adhoc à* Deo. Secunda conditio, vt pro hominibus constituatut in his, quæ sunt ad Deum: vt scilicet sit Mediator inter Deum & Homines, transigens negotia & Dei ad homines, & hominum ad Deum, & ideò; Tertia conditio Sacerdotis est, tradere populo Diuina: legem scilicet ac voluntatem Dei enarrare, vt Deum populus nouerit, vt eum colat, amet, eius voluntatem, & præcepta obseruet, vnde dicitur; *Labia* Malach. 2. 7. *Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus, seu nuncius Domini exercituum est,* ad homines. Similiter ad Sacerdotem pertinet, Sacramenta Dei populo tradere, illumque per ea Sanctificare, ideò dicitur Sacerdos, quasi Sacra dans. Quarta conditio Sacerdotis est offerre Deo, ea quæ populus in honorem Dei, & in remissionem suorum peccatorum eidem offert. Et hoc fit à Sacerdote per Orationes, & sacrificia pro delictis & peccatis populi, oblata Deo.

Hæ omnes conditiones, & propriè & maximè conueniunt Domino nostro Iesv Christo. Qui Sacerdos est, non secundùm quod Devs: Deo enim Sacerdotem esse, conuenire non potest. Essentialiter enim Sacerdos est, minister Dei & ad Devm. Devs autem Minister esse nequit, quia Superiorem se non habet: est ergo Christus Sacerdos quà homo, siue, quà Devs Homo est. Est

Excell. 10. etiam assumptus & ordinatus à DEO immediatè, per ipsam Vnionem, & Vnctionem Hypostaticam, per quam constitutus est Caput hominum, proinde & Sacerdos, & Legislator, & Mediator, & Rex, gubernatorque, ac Doctor, & Pastor populi. Per Christum collata sunt nobis Diuina dona: prædicata Lex, & voluntas DEI: collata etiam SACRAMENTA Diuina, de quorum primo dicit ipse: *Psal. 2. 6.* *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*, cui etiam *Esaiæ. 40 9.* Propheta inclamat: *Super montem ascende tu, qui Euangelizas Sion;* de altero autem testatur Apostolus PETRVS di- *2. Pet. 1. 4.* cens: *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes Naturæ:* Ad extremùm Dominus IESVS obtulit DEO munera pro nobis, & pro peccatis nostris: obtulit enim semetipsum tàm in sacrificio, incruento panis & vini: quàm in cruento corporis, & sanguinis, & vitæ suæ in Cruce DEO Patri pro *Hebr 5. 7.* nobis, adiunctis *precibus & lachrymis cum clamore valido:* *Coloss. 1. 19* *vnde & exauditus est, pro suâ reuerentiâ: quoniam in ipso complacuit Patri, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipsum: pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Cum ergo hæc *Hebr. 5. 2.* omnia quæ Sacerdotis sunt, maximè propriè Christo competant: Maximè propriè Christus Sacerdos est, *qui condolere potest ijs, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate,* infirmitate carnis & humanitatis, *Hebr. 2. 14.* non autem peccati: nisi fortè alieni, id est nostri. *Quia enim pueri (quos & fratres suos dicere non confunditur,) communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium; id est, diabolum.*

Est itaque Dominus IESVS Christus, Sacerdos & Pontifex summus, idque ex multis capitibus ac rationibus.

Primò: Quia est Sacerdos, vt DEVS-Homo, gratiâ tàm Vnionis, quàm sanctificationis suprà modum excellentis vnctus, & institutus.

Secun-

Secundò: Quia est Sacerdos vniuersalis, pro omnibus hominibus constitutus. *Christus summi Sacerdotis &c. nomine, excellentissimus.*

Tertiò: Quia immediatè per semetipsum assistit vultui DEI pro nobis.

Quartò: *Quia sempiternum habet Sacerdotium: semper viuens ad interpellandum pro nobis, illi enim dictum est, Tu es Sacerdos in æternùm, vnde & saluare in perpetuum potest, accedentes per semetipsum ad* DEVM, *quandoquidem manet in æternùm.* Heb. 7. 24.

Quintò: Quia pro suis peccatis non eguit offerre: *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cælis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Vnde & *talem Pontificem habemus, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cælis sanctorum minister, & tabernaculi veri: quod fixit Dominus, & non Homo.* Heb. 7. 26. Hebr. 8. 1.

Sextò: Quia vnico Sacrificio, quod ex semetipso obtulit Patri, absoluit totum suum Sacerdotale munus, complexusque est in eo sacrificio, omnium Sacrificiorum differentias.

Septimò: Quia est Sacerdos, & idem altare, idem sacrificium, offerens & oblatio, idque ita, & ideo, vt omnia in se vno ad vnum etiam reduceret. Quatuor enim spectantur in omni sacrificio. Is cui offertur, is à quo offertur, Id quod offertur, hi pro quibus offertur. Christus ergo vnus ac verus Sacerdos seu Mediator, per suum Pacis sacrificium nos DEO reconcilians, & fuit manstitque vnus cum eo cui offerebat, vt potè DEVS-Homo, & ipse vnus erat is qui offerebat, & id quod offerebat: & omnes eos vnum in se fecit, pro quibus offerebat, Iuxtà illud eiusmet dictum: *Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate: vt omnes vnum fiant, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Ioan. 17. 19.

Excell. 30.

Octauò: Quia Christus Sacerdos, talem fecit sui oblationem: vt non tantùm acceptauerit mortem sibi, ab hostibus illatam, quam absolutâ potestate potuit impedire, & à se remouere: verùm etiam illam obtulerit per suam voluntatem, in honorem & obedientiam, & placationem Patris, simulque in salutem nostram.

Nonò: Quia Christus talis fuit Sacerdos, qui suo ministerio Sacerdotali, imprimisque Sacrificio, remittebat & delebat peccata nostra, omnia omnium & singulorum, deinde reconciliabat nos DEO Patri: eique pro omnibus debitis nostris, ad rigorem iustitiæ satisfaciebat, Sanctificabat etiam nos, & in gratiâ amicitiâque DEI reponebat, dans nobis potestatem filios DEI fieri fratresque, & cohæredes suos constituens, & demùm nos ad vitæ æternæ possessionem introducens. Quod ipsum totum, etiam nunc in Ecclesiâ suâ per Ministros eius operatur, tàm in Sacrificio Missæ, quàm in Sacramentis à se ad id institutis. Hoc autem nulla vnquam alia Sacrificia Sacramentaue operabantur, in quibus ex opere operato, siue ex vi ipsorum, nulla peccatorum remissio fiebat, sed hoc proprium est solius Sacerdotij, & sacrificij, & Sacramentorum Christi.

Decimò: Quia Christus talis fuit Sacerdos, vt potuerit alios etiam Sacerdotes constituere, ac ijsdem potestatem suam communicare constituto, ad id certo ritu communicationis. Ita dedit Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata, Sacrificium, quoque suum, quod ipse obtulit, offerendi representando, & repræsentare offerendo, conficiendi quoque & distribuendi Sacramenta eius, cum eodem effectu, hoc est, cum remissione peccatorum, & Animarum sanctificatione.

Vndecimò: Quia Christus Dominus talis fuit Sacerdos, vt Sacerdotium eius non fuerit alligatum, neque ad originem, v. g. primogenituram, neque ad successionem vt fuit in Aaronis filijs, neque ad Electionem humanam,

neque

neque ad Characterem aliquem, neque ad aliquam externam ordinationem, vnctionem, consecrationemue: sed fuit Sacerdos ex vi suæ originis, & hypostaticæ Vnionis, atque solius Diuinæ ordinationis: per quam est modo altissimo & perfectissimo designatus, ac (vt ait Apostolus ad Hæbreos) *secundùm mandatum vitæ insolubilis, segregatus à peccatoribus*, siue ab hominibus, & potens atque dignus ad intercedendum, nec non offerendum pro illis dignissimum Sacrificium, ad sanctificandum ipsos. Quæ Sacerdotij dignitas atque potestas, partim includit dignitatem Capitis, vt suprà dictum est, partim potestatem perfectè merendi alijs, satisfaciendique pro illis, partim vim gratiæ effectricem, partim denique Ordinationem illam, quâ constitutus est Christus, vt esset Mediator DEI & hominum.

Christus summi Sacerdotij &c. nomine, excellentissimus. Hebr. 7. 16. & 26.

Duodecimò: Quia Christus Dominus in suo Sacerdotio, & functionibus eius, non dependebat à Sacramentis, eorumuè ritibus: sed potiùs ab eo Sacramenta sicut manârunt, & ritûs suos ab eius voluntate institutos habent, ita & ab illo, ritibusque per eum definitis dependent. Ideò ille potuit absque Sacramentis, solâ etiam voluntate effectûs Sacramentorum; putâ, remissionem peccatorum, gratiam & sanctificationem animarum conferre. Quomodo *videns fidem illorum, qui ante* se, perfectum deposuerant paraliticum, dixit: *Homo, dimittuntur tibi peccata tua*, hoc autem mirantibus, & blasphemum putantibus quibusdam, subdidit: *vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait Paralitico. Tibi dico, Surge, &c.* Quo suo facto ostendit Dominus virtutem suam in remittendis peccatis hominibus, absolutam fuisse ab omnibus ritibus Sacramentisque externis.

Luc. 5. 20.

Decimò tertiò: Quia Christus fuit Sacerdos talis, vt eius Sacerdotium fuerit, & sit ordinatum, ad offerendum DEO sacrificium, non solùm incruentum, sed etiam cruentum, habens ex vi ipsius offerentis proximi, scilicet

Chri-

Excell. 30. Christi, valorem atque virtutem, ad sanctificandos illos, pro quibus est oblatum: quod nulli Sacerdotes ne quidem Nouæ legis habent, si quidem isti Nouæ legis ministri, solummodò possunt offerre Sacrificium, vt ministri Christi, & in virtute ipsius, atque in Personâ illius, & ordinatum ad applicanda merita & satisfactiones eiusdem.

Decimò-quartò: Quia Sacerdotium Christi, & ipse Sacerdos Christus, non fuit eiusdem rationis cum Sacerdotijs & Sacerdotibus, tàm legis Naturæ, quàm legis scriptæ, quàm etiam legis Nouæ: sed eminentioris cuiusdam, altiorisque ordinis; habens in illo genere infinitum quendam excessum, ac dignitatem ratione Personæ: ita, vt non sit possibile, tale genus Sacerdotij, quale est Christi, eodem modo, & cum eâdem perfectione, alicui puræ creaturæ communicari: deberet enim illi prius communicari dignitas Vnionis Hypostaticæ, quæ sola est vnus primusque fons in Christo sui Sacerdotij, sicut & Mediatoris, & Capitis, & aliarum dignitatum eius. Fatendum tamen est alia prænominata Sacerdotia, & si Sacerdotio Christi inferiora, habuisse nihilominus cum Sacerdotio, ac simul cum Sacrificio Christi eorum sacrificia similitudinem, atque ad illud respectum, quando-quidem omnia Christum, & eius sacrificium respiciebant, & repræsentabant, in lege Naturæ & scriptâ; respiciunt autem & repræsentant in lege Nouâ, vt facilè patet singula inspicienti. In Naturæ enim lege, Sacerdotium, primogenitorum iuris erat, & absque alio exteriori ritu obtinebatur, obibatur verò & exercebatur interdum, in talis rei oblatione, quæ similis esset sacrificio Christi, vt patet in Melchisedech sacrificio constante, ex pane & vino. Quæ omnia in Christo perfectius erant. Nam & est Primogenitus omnis creaturæ, & non vnius tantùm alicuius familiæ. Et solâ Vnionis Hypostaticæ vnctione ordinatus est: & incruentum Corporis & sanguinis sui Sacrificium, sub speciebus panis & vini obtulit, propter quod ei

Psal. 109. 4. dictum est. *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm Ordinem Melchi-*

Melchisedech: quia eius Sacrificium in pane & vino, præfigurauit Melchisedech. In lege verò scriptâ, Sacerdotium, & omnis generis eius Sacrificium, fuit vmbra & figura Sacerdotij, atque Sacrificij Christi, & si numero tantùm vnici, præsertim quoad Sacrificium cruentum, *sine sanguine enim* (ait Apostolus) *non fiebat remissio peccatorum*, in lege veteri: Christus ergo Dominus, obtulit etiam sacrificium cruentum, deque suo corpore & sanguine perfectum, in remissionem peccatorum nostrorum, & in sanctificationem nostram perfectam: virtute & efficatiâ sanguinis, mortis, meritique sui perficiendam.

Christus summi Sacerdotis &c. nomine excellentissimus. Hebr. 9. 22.

In lege Nouâ: Sacerdotium & Sacerdotio Christi simile & subordinatum: partim quia à Christo institutum est, partim quia postestatem, offerendi sacrificium illius ipsius rei quàm Christus obtulit, ipsius nempè Christi accepit, & in Personâ ipsiusmet illud offert: partim quia in potestate Christi confert, etiam veram perfectamque remissionem peccatorum, atque animarum sanctitatem. Quæ adeo efficax similitudo Sacerdoti legis Nouæ, cum Sacrificio Christi, sicut est summæ excellentiæ, ita hoc sacerdotium Nouæ legis attollit suprà cætera Naturæ & scriptæ legis Sacerdotia. Neque solùm super hæc Sacerdotia, sed absolutè supra omnes huius temporis, ordinisque, creaturis communicari solitas dignitates: adeo vt ipsam quoque Maternitatem DEI certa quâpiam ratione transcendat: adeò etiam, vt in ordine cultûs dulici, specialem & altiorem cæteris dignitatibus mereatur venerationem, quæ Sacerdotibus legis Nouæ debetur, adeo denique, vt in hâc verum creatarum quàm DEVS seruat gubernatione, nihil sublimius, nihilque eminentius post Incarnationem, & Maternitatem DEI, DEVS creaturis, in speciè autem hominibus, communicauerit, communicareuè possit, quàm Nouæ legis Sacerdotium.

Liceat mihi ô Sacerdotes DEI, ô sacra & electa DEI Christi, quâ Ecclesiam Sponsam suam dotauit, & ditauit,

Excell. 30. & firmauit Sponsus eius: liceat (in quam) mihi vos hic alloqui, & vobis vestram Electionē, Vocationem, Dignitatem, Potestatem, Colligationem commemorare, atque commonstrare, in his quæ prædixi de Christi Sacerdotali Excellentiâ, & de vestrâ ex eâ participatione, per illamque exaltationē.

Electio vestra est, quod sitis medulla generis humani, segregata in Sanctificationem, & vestri, & aliorum: suprà omne meritum vestrum, solo Christi merito dignū.

Vocatio vestra est, Diuinæ non tantùm ad esse, verùm etiā quodammodo præesse Maiestati: totius apud DEVM generis humani curā gerere, ac illi apud DEVM patrocinari.

Dignitas vestra est: Regalis sacerdotij, & Sacerdotalis Regni. Habetis enim Regnum, quod est super omne regnum, nimirum super Christum ipsum: & super Animas sanguine ipsius emptas, quæ solo Sacerdotio vestro ad vitam æternam, & ad DEI possessionem, fruitionemque securè, ac legitimè dirigi possunt.

Potestas vestra est, potestas æterna, & alteri non dabitur siue generi, siue muneri: Est Potestas cuius nutum ipsa DEI potestas voluntasque expectat, & obseruat: Est potestas arbitra omnium liberarum Voluntatum, atque Conscientiarum, cui omnes illæ se submittunt, & suimet vltrò rationem reddunt, quotiescunque in securo cosistere desiderant. Est præterea potestas vestra super omnem totius Christi substantiam. Hypostasim seu Personam Diuinam, & simul super Naturam Humanam, Diuinæ substantialiter innexam: cui vos Nouam, sed tamen eandem, imperatis, impertitisque existentiam, tot sæculis, tot locis, tot vtentibus, totiesque vsuris, siue vti volentibus, indubitatæ præsentiæ fruitione exhibendam.

Obligatio vestra est quænam? Hic hæret ô Sacerdotes, hîc hæsitat tàm calamus, quàm animus, de eâ dicere non valens, quis enim ediserat omnia? aut quis ignoscat ediseri pauca? Sacerdotes non dixero: satis id quidem, & quasi totum, sed quis ad hoc compendium

pendium capiendum idoneus? Dicam Angeli, Domini exercituum estis, verum: sed parum est, dicam, super vos ascendit DEVS tamquam super Cherubim: & de ore vestro requiri excipiqúe scientiam & omnem legem? verum quoque, sed etiam parum est, dicam, Sacerdoti, & puritate quâuis putiores vitâ, Moribus, Corpore, Spiritu, lingua, Conscientiâ, totâ viuendi ratione ac serié immaculati estis. Sicut & DEVS, cuius Sacerdotis estis, Sanctus est, verùm est, sed necdum dixi satis. Ignes estis: esse certè debetis, ipsis Seraphinis magis igniti, igneiqúe: quorum flammis totus Mundus ardeat: quorum calore omnium peccatorum, glacies gelu suum dissoluat: quorum ardore omnis ferrugo scelerum in puritatem niueam exoquatur, quorum supplicandi assiduato feruore, velut impenetrabili muro, furor omnis iræ iustæ DEI reprimatur, refringaturqúe, quorum mortificationibus, Sacrificijs, laboribus, Zelo, concilietur, mollescatqúe in Beneficia, & miserationes DEVS, quorum prædicationibus, expiationibus, monitis, Concilijs, persuasionibus, increpationibus, super omnia optimis exemplis, educatur, pretiosum è vili, extrahantur mentes è cæno, eripiantur Animæ ab inferno, corda subheuentur sursum, & collocentur in cælo, vindicentur à diabolo, & asserantur, restituanturqúe DEO. Estis ô Sacerdotes Matres Christi, parturientes nos nobis & Christo, ipsúmque in nobis Christum? donec formetur in mensuram plenitudinis ætatis suæ in nobis. Estis Sacerdotes DEO quasi thesaurarij, & dispensatores Meritorum Mysteriorumque Christi, assistentes vultui DEI iugiter pro nobis, legatione fungentes ad omnes nos pro Christo, tamquam DEO exhortante per vos, vt reconciliemur DEO.

Christus summi Sacerdotis &c. nomine, excellentissimus.

Ergo agite: Sancti estote, sicut & DEVS cuius Sacerdotes estis, Sanctus est, sanctificamini, qui fertis vasa Domini: qui fertis ipsum Dominum, qui portatis Corpus & Sanguinem, & Animam, & Personam, & vniuersam Meritorũ Donorumque Domini opulentiã. Absit vt in vos

cadat illud acerbè dictum per Prophetam: sicut populus sic Sacerdos: dicatur potiùs, sicut Sacerdos ita & popu-
Act. 20. 28. lus: *vt fiatis forma gregis* in *quo vos Spiritus Sanctus posuit*
Ephes. 5. 27. *regere Ecclesiam* DEI, *quam acquisiuit sanguine suo & semetipsum tradidit pro eâ: vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata.*

EXCELLENTIA XXXI.

Solus Christus est summus Regum omnium Rex.

TRIGESIMA PRIMA Excellentia super omnes Creaturas IESV Christi Domini nostri est; Quia ipse est Rex summus omnium Regum, Dominusque & Dominator Dominantium, ac Monarcha Monarcharum. Af-
Matt. 28. 18. firmat hoc disertè ipse Dominus de seipso, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Quibus verbis, tamquam in summa complexus est omnem Naturam, plenitudinem perfectionemque Regiæ suæ potestatis, vnde ex illis ijsdem verbis colligi possunt, omnes conditiones quibus Dominus IESVS, Rex est, & quibus omnem omnium aliorum Regum excellentium excellit, exceditque.

Conditionum istarum Prima est, quia Christus est
Tim. 1. 17. Rex non tantùm secundùm Diuinitatem suam: quomodo vna cum Patre, & cum Spiritu Sancto, *est Rex sæculorum, immortalis & inuisibilis*, ideoque illi, *Soli* DEO *honor & gloria in sæcula*, vt affirmat Apostolus: verùm etiam Rex est secundùm Humanitatem theandricam, & Diuinæ Personæ hypostaticè vnitam. Id enim ipse Dominus
Matt. 28. 18. satis ostendit in adductis verbis: *Data est mihi omnis potestas*, Christo enim quâ DEO, non est data, sed innata, atque cum ipsâ Origine ex Patre, insita & congenita Regia

gia potestas, & Natura: quæ quoniam sibi ad Personam adiunxit Humanitatem, illamque in ipsâ fecit subsistentem, ac per hoc constituit DEVM-Hominem, Christum, constituit etiam simul eandem participem, hæredem, & Naturâ Regem. In quo Christus vnus solus, singularisque est, & nullum consortem, nullum participem habet, habereuè potest: iuxta illud à Dauide pronunciatum. *Propterea* quia ad Personam Verbi assumptus es, *vnxit te* DEVS *oleo* Hypostaticæ Vnionis, omnisque Dignitatis & Potestatis etiam Regalis, *præ omnibus participibus*, nullo scilicet ex eâ tecum ad æqualitatem participante, vix autem, ac ne vix quidem vmbram eius imitante.

Secunda Conditio Regiæ Potestatis Christi Domini est, ex priore manans, nimirum quia Rex est Naturâ, & origine, Natus planè ad regnandum, imò natus Regnans. Non ex illo solùm capite: quia de stirpe Regiâ, deque Regali Dauidis Regis, per Virginem MARIAM deriuato sanguine editus est, iuxta illam de illo Angelicam prædictionem. *Dabit illi Dominus* DEVS, *sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternùm, & regni eius non erit finis*; sed etiam ex illo fonte, quia ad Diuinitatem assumptus, quin etiam, quia ad assumptionem istam prædestinatus est, ex hoc etiam statim & naturaliter constitutus, effectusque est Rex, propter quod *in femore eius*, scriptum ex tunc est, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, in femore scriptum (inquam) ad iudicandum, ex Naturâ, & ex Generatione competere illi, Dominari, & Regnare, Dominumque ac Regem esse. *Luc. 1. 33.* *Apoc. 19. 16.*

Tertia Conditio Regiæ potestatis Christi Domini est, esse Regem omnium, & singularum rerum visibilium, & inuisibilium, materialium & immaterialium, corruptibilium & incorruptibilium: maximarum & minimarum: altissimarum & infimarum. Comprehendit enim Regnum Christi omnem latitudinem, & longitudinem: omnem altitudinem, & omne profundum: omnem du-

Excell. 31. rationem temporaneam & æternam, omne quod corporeum, & quod spirituale, & quodcunque creatum est.

Est Dominus noster, Rex Empyrei cæli, quod est sedes Beatorum omnium, & in quo est totius beatitudinis, & vitæ æternæ, domicilium, nullâ mortali cogitatione,
1. Cor. 2. 9. aut cognitione perueſtigandum, quoniam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit*, illud grande, illud ineffabile, illud sublime, illud perennis gaudij, & gloriæ, & salutis, & vitæ, & felicitatis, & beatitudinis beatissimæ plenum, & superplenum & superabundans, & superexcedens, illud deniq; omnis boni aggregatione perfectum. In hoc cælo Empyreo, in hâc beatitudinis omnimodæ & omnigenæ sede Christus Rex, & beatissimis illis incolis, siue ij sint Angeli, siue Homines: siue Angeli, siue Archangeli, siue Virtutes, siue Principatus, siue Potestates, siue Dominationes, siue Throni, siue Cherubini, siue Seraphini, siue Apostoli, siue Patriarchæ, siue Prophetæ, siue Martyres, siue Pontifices, siue Sacerdotes, siue Leuitæ, siue Confessores, siue Virgines, siue omnis generis & conditionis Electi, & Sancti sint, præsidet; omnibus regnat, omnibus dominatur, omnibus præmia pro suo arbitratu, nec non pro cuiusq; merito, suæ verò gratiæ ineffabili dono largitur, perq; omnes sæculorum æternitates largietur: cum perenni pace, cum plenâ satietate, cum omni securitate, cum omni plenitudine. Hoc enim est Beatum, & Beatorum Regem esse, regnare cum Beatis, regere beatos, &
Apoc. 7. 17. *ducere illos ad vitæ fontes aquarum*: qui fontes sunt illemet ipse, cum Deo suo æterno Patre, & cum Spiritu Sancto.

Est deinde Christus noster, Rex cæli vniuersi visibilis, sub Empyreo constituti, est Rex Solis, Lunæ, stellarum: quæ *illi lucent cum iucunditate*, ordinatissimos supernè choros agitantes, quibus ille omnibus & singulis nomina vocat, & cui *omnes vocatæ ad omnem* nutum *respondent, Adsumus*; suntque *omnes in signa temporum*, & in tempora

pora signorum, præsidentes diebus & noctibus; Annis & mensibus, omnibusque terræ huius infimo loco sitæ vsibus. Istud certè super astra cæli, ipsosque cælos omnes regnum, nemo præter vnum, & solum Christum obtinet: nemo illis virtutes, quibus in hæc inferiora terræ influant elargitur, non astrologorum figmentis, & ementitis coniecturis, phrasibus, prædictionibusque, fauorem aut fallax fundamentum substruendo, non genesibus, aut genethliacis aspectibus, congressibus, conspirationibus, & in liberas quaslibet mentes, voluntatesque dominationibus, & præsidentijs aliquem friuolum locum dando: non fatis, fatorumque legibus necessitantibus, vniuersa seruiendo seruiliterque succumbendo: sed omnes syderum cursus concursusque ad arbitrium omnipotentis suæ voluntatis, atque Prouidentiæ dirigendo, moderando, & in fines terminosque beneplaciti sui recti, iusti, salutaris, & sancti inflectendo, & deducendo. In quâ potestate ac dominatione, nulla creatura Christo nostro similis, nulla particeps, nulla par, sed ipse solus vnusque tàm cælorum, quàm stellarum, quàm planetarum arbiter, dominus, Rex est, ita vt etiam quoad hoc soli illi competat dicere: *Data est mihi omnis potestas in cælo.* Matt. 28 18.

Christus Regali titulo excellentissimus.

Pariter autem Dominus noster est, Rex Aëris vniuersi, necnon omnium eorum, quæ in Aëris vniuersi regionibus, climatibus, impressionibus, alterationibus, altercationibusque reperiuntur, siue eæ sint calor, & ignis, & fulgura, & tonitrua, & sulfur, & comætæ, & quælibet flammantium exhalationum genera: siue sint vapores, & fumi, & nubes, & imbres, & pluuiæ, & nimbi, & niues, & grando, & glacies, & spiritus procellarum, & venti. Omnia enim hæc faciunt verbum eius, quo accedunt omnia volatilia pennata, volucres quoque cæli, siue aëris incolæ, quos omnes Dominus, tanquam Pater & Rex pascit, vestit, pingit, regit, adeo vniuersim, vt nullus *eorum sine ipso cadat super terram:* adeo prouidè, vt *quamuis neq;* Matt. 10. 29. Matt. 6. 26.

ferant,

Excell. 31. *serant, neq; metant, neq; congregent in horrea: tamen ipse omnia pascat, & saginet;* omnibus modulos suos, cantusque assignet, cum omnibus nidos mira dexteritate construat, & protegat: præsensiones tempestatum, periculorum, rapinarum inserat, sagacissimeque instillet, postremò hunc Domini nostri, super aëream omnem regionem, dominatum ac Regnum manifestissimè declarauit, admirabilis illa & per omnem modum ineffabilis Domini eiusdem Ascensio, super omnes cælos: quando non actractus funibus, non suffultus scalis, non alarum subnixus adminiculis, non Angelorum subleuatus obsequio, sed propria suâ operante, potestate Rex aërearum regionum in superna cælorum conscendit, probans euidentissimo testimonio, se non minùs aëris, quàm cæterarum vniuersi partium Regem, atque Dominum esse.

Act. 1. 9.

Præter hæc, est Dominus noster IESVS Christus, Maris & omnium Aquarum Rex. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, ipse condidit omnia viuentia, atque natantia in aquis mirabilia, & innumerabilia, tàm in speciebus, quàm in multitudinibus suis, ipse indidit vniuersis stupendas industrias, potentias, ordinationes suas, secundùm quas & temporibus, & locis, cæterisque conditionibus omnem humanam indaginem euincentibus, ea discreuit, ita vt tamen coniunxerit: ita coniunxit, vt nihilominus separata ab inuicem agmina ex illis instituerit. Ne multis morer in enarrandis mirabilibus potentiæ prorsus Regalis DEI nostri, super maria & omnes aquas eius. Quis calcabile & solidum pedibus, gressibusque humanis mare, & sibimet fecit, & cui voluit, præbuit? Quis capturas piscium copiosissimas, solo suo iussu dedit? Quis ad dexteram nauiculæ Apostolicæ, centum quinquaginta tres grandes pisces inuenientes sciuit, & comprehendi fecit? Quis ori piscis didragmam pro se, & pro PETRO soluendam inseruit, piscem homo sese induere, & capiendum primum omnium dare mandauit? Quis ventos & mare sæuientes, ac tempe-

Matt. 14 25.
Luc. 5. 4.
Ioan. 21. 11.
Matt 17. 24.

tempestuosè furentes, minis & increpatione, imperioq; compescuit, & in malatiam composuit, obedientesque habuit. Opera hæc sunt Domini nostri IESV Christi, ventis & mari, & tempestatibus eius imperantis, atque vt suum Regale imperium sentirent, facerentque, non effictâ animatione, sed imperantis Maiestate efficientis. Quibus accedit illud argumentum eiusdem potestatis, quod in Canensibus Nuptijs edidit Dominus, quando sola ipsius voluntatis, iussione aqua substantiam suam in verum substantialeque Vinum transmutauit. Sed nullo in opere Dominus noster, admirabilem & absolutam magis Regiæ suæ in aquam dominationis virtutem exercet, atque manifestat, & quidem quotidie, ne dicam quauis horâ, vel momẽto, quam quando accedente Verbi illius, virtute ad Elementum aquæ, conficitur SACRAMENTVM, seu signum visibile inuisibilis gratiæ, omnem signatum hominem sanctificantis, hoc est à peccato originali & innato, necnon ab omni aliâ personali, si reperta sit, noxâ plenissimè emundantis, insuper autem Gratiâ Diuinâ sanctificante ditantis & dotantis, Filiumque DEI adoptiuum, & vitæ æternæ hæredem constituentis, tum verò etiam virtutum omnium siue Theologicarum, siue Moralium, Donorum quoque ac fructuum omnium Spiritûs Sancti copiosâ accummulatione, nullâ vi creatâ, præterquam propriâ liberè malâ voluntate deperdendâ, adimplentis atque locupletantis. Hæc est illa vox, & virtus Domini nostri IESV Christi, *super aquas multas*, vniuersò generi humano, vsque ad consummationem seculi, abluendo & emundando copiosè suffectura, quam Dominus ex tunc aquis perenniter indidit, quando à baptismo IOANNIS de Iordane ascendit, secum quodammodò demersum educens, & eleuans mundum, quando baptizatus est Agnus, & aquas ipsas lauit, lauacroq; admirabili idoneas effecit. Atq; ex his indubium euadit, nulli creaturæ ne omni quidem simul tale Regnum, in aquas omnes competere, quali Dominus noster in illas dominatur.

Matt. 8. 17. Christ⁹ Regali titulo, excellentissimus.

Ioan. 2. 8.

Excell. 31. Jam verò qualis, & quantus est Dominus noster super omnem terram, omnesque, insulas, omnes regiones & regna terræ, enarrare aut comprehendere, quis verbo animoque poterit? Ipse est DEVS magnus, & Rex magnus, super vniuersam terræ molem. Ipse altitudines montium conspicit: ipse vallium omnium profunda penetrat: Ipse omnia terrarum viscera, & metallorum reconditoria rimatur, & possidet. Ipse omnium ferarum & syluestrium dominus, ipsius sunt omnia pecora campi, ipsi omnes greges seruiunt, ipsi omnia viuunt & ministrant, & ab eius manu implentur omni benedictione: ipsum sentiunt omnia semina terræ, & ad eius imperium benedictionemque multiplicantur, & in vastas segetes crescunt, & in immensas omnis generis lignorum arborumque syluas dilatantur, & foliorum suorum, fructumque, ac seminum, cæterarumque virtutum sibi propriarum qualitatibus & comuntur, & ornantur, & ditantur, & conseruantur. In manibus Regis huius, & quinque panes piscesque duo, itemque septem panes & pisciculi pauci, in quinque, & in quatuor millia virorum, præter paruulorum & mulierum numerunt, abundè sufficerunt, & tantò amplius superfuerunt, quæ Domini nostri semel, iterumque facta in admiratione fuerunt ijs, quibus quotidiana in tot annorum millibus, & in tam innumeris gentium populis edita, edendaque miracula viluerunt, non quia minora, sed quia perpetuo ordine vsuque, admirationem mereri, seu habere desierunt. Quæ nihilominus res, in omni prudentum iudicio, immensitatem potentiæ, abyssalemque simul profusionem, in omne genus non tantùm humanum, sed etiam in vniuersitatem omnem animantium, & quorumcunque viuentium, plusquam euidenter manifestat, atque etiam Christo Domino regnum, super omnem terram asserit.

Sed nihil æquè maiestatem, & amplitudinem Regis, ac Domini nostri IESV Christi prædicat, quam eiusdem super genus omne humanum, superque omnem illius cond i-

conditionem, & ſtatum regimen & Regnum abſolutè, plenum & perfectum. Igitur Chriſtus eſt omnium cæleſtium, Regum & Dominantium Rex & Dominus, omnes & ſingulos, regno illo ſuo æternè beatiſſimo, & beatiſſimè æterno complectens, atque regaliter remunerans, necnon Reges eos Regnumque conſtituens, & regnare faciens in omnium ſæculorum æternitatem, de quo ſupra aliquid dictum. Eſt deinde Dominus noſter Chriſtus Rex, ſuper omnes prædeſtinatos & Electos: *in ipſo enim Electi ſunt, ante mundi conſtitutionem:* & eos ipſi Pater ſuus æternus dedit in manus, vt nemo pereat ex eis in æternùm, quos ille ſpeciali dilectione, & efficaci meritorum ſuorum applicatione complexus, cum eſſet, vſque in finem dilexit, & in ſanguine ſuo pretioſo redimit ac lauat, omnemque vitæ curſum ipſorum ſic prouidentiâ ſuâ moderatur, ſic auxilijs efficacibus gratiæ ſuæ communit, præueniendo, cooperando, ſubſequendo, vt inter quaſlibet huius præſentis vitæ varietates, imò etiam ceſpitationes, viam nihilominus ſalutis inueniant, ac demum finaliter obtineant, & tandem ad portum vitæ æternæ appellant. Eſt quoque Dominus noſter Rex, ſuper omnes præſcitos, ſeu reprobos, qui quamuis ab ipſo dilecti, & in ſanguine ipſius appretiati, eodemque redempti, atque ad poteſtatem vt filij DEI fiant, admiſſi, & quantum ipſo Domino eſt, conſortio adipiſcendæ ſalutis æternæ adiuncti, ſubſidijſque, gratiæ ad vitam æternam idoneis, miſericorditer & largè ſuffulti, propria tamen ipſimet voluntate & culpâ, declinant à rectâ ſalutis viâ, & in arcum prauum conuertuntur, & pro vitâ deligunt mortem, & tenebras magis diligunt quàm lucem, & demum media ſalutis deſerere, media verò perditionis ſuæ, conſtanter ac finaliter retinere malunt. Quibus tamen etiam ſic miſerè infeliciterque ſpontè ſuâ conſtitutis, miſericors gratia Saluatoris per omne tempus vitæ ipſorum non deeſt, niſi ipſimet repellentes à ſe DEVM, indignos ſe faciant vitæ æternæ, & ipſi Naturæ lumini,

Chriſtº Regali titulo, excellentiſſimus.

Excell. 31. atque rationi, naturaliter de bono & malo, de honesto & probroso, de iusto & iniquo, de licito ac illicito, erudienti, atque manu ipsos ad id, quod rectum est ducenti, *per quod signatum est super omnem hominem, lumen vultus Diuini, rebelles* damnationem sibi acquirant.

Pari ratione Dominus noster Iesvs Christus, Rex est omnium damnatorum, tanquam inimicorum quidem suorum, & rebellium: verumtamen debellatorum, & sub iugum missorum carceriqúe æterno, & supplicijs ardoribusque sempiternis, adiudicatorum & adstrictorum. Cuius carceris, vel (vt Scriptura vocat) Abyssi, atque putei, clauis, siue potestas in manu est Christi, quippè eius, tanquam Domini, *sunt exitus & ingressus mortis*; & ad imperium eius omnes serui nequam, pigri, infideles, vestitu nuptiali mensæ Regiæ accubitu digno carentes, ligatis manibus, & pedibus, mittuntur in tenebras exteriores, & morti secundæ traduntur pascendi atque depascendi, fumo tormentorum eorum ascendente, & ascensero in sæcula sæculorum. Vbi tamen non ad condignum, sed infrà condignum, illa pœnæ mala arbitrio Regis Christi temperantur. Istud super inferos & damnatos regnum, asseruit luculenter descensus ille Domini, post eius mortem per actus ad inferiores partes terræ, vbi quosdam quidem, scilicet Patres Sanctos *eduxit de lacu, in quo non erat aqua: & captiuam eduxit captiuitatem:* eduxit etiam, si non omnes, at pleraſqúe Animas de purgatorio, accelerans eis indulgentiam pœnarum, tunc vel maximè efferuescente ad misericordiam suâ Passione, atque morte: *Eduxit quoq; spiritus illos, qui in Nóetico diluuio iram* Dei *super se incumbentem videntes: pœnitentiam egerunt, & ad Christi Animæ ad inferos descendentis prædicationem salutem æternam consecuti sunt*; alios autem seu impios, seu miseros, in Inferno repertos in statu suo dereliquit. Quibus gestis Dominus fortem illum armatum, nempè diabolum vicit, *& vasa eius diripuit, spoliaq; illius abstulit*; atque vires & potestatem confractam domuit, & qui-

Zach. 8. 11. Ephes. 4. 8.

1. Petri 3. 19.

& quidem vna cum assecliis eius omnibus, insuperque cum peccato & morte, cuius aculeum & victoriam resurrectione suâ confregit, ac edomuit in æternùm. *Quoniam resurgens ex mortuis, iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur.* Quod verò supremam Domini nostri super inferos potentiam firmat, illud est: *quia in inferno nulla est redemptio:* hoc est, quia sententiam Christi semel in impios & damnatos, iustitiâ vindicatiuâ decernentem latam, nulla potestas, nulla authoritas, nulla, ne diuina quidem miseratio, aut clementia, irritatura, aut saltem temperatura est in omnia sæcula sæculorum.

Christ⁹ Regali titulo, excellentissimus. *Roman. 6. 9.*

Est quoque Dominus noster IESVS Christus, Rex vitæ omniumque viuentium, Rex item mortis & omnium mortuorum, insuper Rex omnis Resurrectionis ex mortuis. *Omnes enim qui in monumentis sunt, audient vocem Filij* DEI, & ex corruptione resurgent incorrupti, *& omnes manifestabuntur, stabuntque ante tribunal Christi,* reddituri de omnibus factis suis, vsque ad verba otiosè prolata, rationem, & recepturi singuli, prout quisque gesserit in corpore, siue bonum, siue malum. Tunc à Rege Christo separabuntur *Oues ab hædis, iusti ab impijs, & ibunt hi in supplicium æternùm, iusti autem in vitam æternam.*

Ioan. 5. 28. *2. Cor. 5. 10.*

Atque istud est Regnum Christi DEI Dominique nostri, quo ille regnabit in domo DEI Patris sui (qui est Pater Verbum & Spiritus sanctus) in æternùm, & regni eius non erit finis.

Et hæc demonstrant cæteras conditiones, Regni Christi. Præterquam enim quod sit (vti recensitum est) Rex omnium absolutè rerum creatarum, materialium & immaterialium: estque specialiter Rex omnis creaturæ rationalis, & est Rex absolutus, independens, Rex cuius potestatem nemo circumscribere potest, neque restringere; Rex præterea est, quantùm ad regnandi durationem sempiternus & æternus, quantùm ad regnandi & regni spatia, immensus, illimitatus, infinitus, à centro terræ infimo, vsque ad altissimi cæli empyrei summum

Excell. 31. mum seu conuexum, quantum ad absolutionem est Rex, non tantum personarum ac substantiarum, sed etiam Mentium, Cordium, Libertatum, consiliorum, propositorum, voluntatum: ita vt nulla cogitatio, nullus mentis animiuè quicunque motus, tam humanus, quam Angelicus illum lateat, illiusuè moderamini non subsit, non tantùm quoad omnem entitatem suam, sed etiam quoad omne esse morale, bonitatis & malitiæ: honesti & inhonesti; meriti & demeriti; itemque præmij & supplicij.

Quamuis autem Rex Christus, tantus ac talis sit, ineoque Regno neque parem, neque socium habeat habereuè possit: communicat tamen ille Electis suis hoc re-
Matt. 25. gnum, dicens ad illos: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est, à constitutione mundi:* & quod ego passione & morte meâ, ex obedientiâ erga Patrem meum, & ex amore studioque salutis vestræ vobis promerui. Hinc etiam Electi gratias agentes illi, &
Apoc. 5. 10. magnificantes eum, confitebunt ei: *Fecisti nos Domine* DEO *nostro, regnum: & regnabimus* tecum, in gloriâ Patris tui, in æternùm.

Non solùm autem hanc communicationem Regni sui, exhibet Electis sui in illâ æternâ ac beatâ, sed etiam in hâc temporali vitâ, facit enim nos Dominus IESVS meritis & gratijs, donis & virtutibus, priuilegijs & potestatibus, præualentes, quomodo dat etiam quandoque non electis, attamen fidelibus suis, *potestatem calcandi super omnem virtutem inimicam*, potestatem eijciendi dæmonia, potestatem dimittendi peccata, & animos ipsos hominum regendi, iudicandi, adstringendi, absoluendi à vinculis spiritualibus. Quo etiam modo dat suis fidelibus, vt paupertate spiritûs, & persecutionum pro nomine perpessionibus, possideant regnum cælorum, dat eis vt per fidem vincant Regna, adipiscantur repromissiones, accipiant de resurrectione mortuos suos. Dat eis etiam virtutem regnandi super semetipsos, super peccata

& vitia

& vitia sua: super effrenes & indomitas passiones suas, super terrena & belluina desideria sua, super amorem sui inordinatum, super proprias rebelles voluntates suas. Dat eis quoque, vt abrenunciantes omnibus, quæ chara in hoc mundo possident, ipsi etiam toti mundo, valedicant, amorem parentum, filiorum, fratrum, vxorum, amicorum, omnis carnis & sanguinis, suimet denique ipsorum exuant, atque in sanctum odium conuertant. Quæ omnia tale regnum, imò talia Regna, Electorum Christi sunt, vt omnibus alijs, temporis & mundi huius regnis, excellentiora sint, id quod ipse ille impostor, & hostis noster diabolus, non dubitauit sensu suo comprobare. Cum enim *Christo in montem excelsum valde assumpto, ostendisset omnia Regna mundi & gloriam eorum:* dixit Domino. *Hæc omnia mea sunt, & cui volo do illa, hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me.* En diaboli, de omnibus mundi regnis, de omni gloriâ eorum iudicium, quo vnicæ sui adorationi postposuit omnia illa. Ergo diabolo iudice magis & maiores Reges sunt contemptores mundi, quàm possessores illius etiam totius.

Christus Regali titulo, excellentissimus.

Matt. 4. 8.

Et quid dicam de Regno virtutum, quod Dominus noster Electis suis communicat in hac vita? Quantum regnum voluntaria & votiua DEO paupertas? Quantum regnum obedientiæ, per quam sese totus homo seipso, totâ voluntate suâ, toto sensu, iudicioque suo, toto Intellectu, & prudentiâ, consilio, sapientiaque suâ exuit, propter amorem IESV Christi, & imitationem obedientiæ ipsius, vsque ad Mortem, Mortem autem Crucis? Quantum Regnum castitatis est: quâ homo ita debellat, ita subiugat, ita exuit, & abnegat semetipsum, vt in Angelorum Sanctorum statum atque gradum, non quidem æquè felicem, sed tamen magis fortem transferat atque inferat? Quid dicam de Regno Charitatis atque Dilectionis DEI, super omnia ex totis viribus, totâ virtute, totâ Animâ: itemque de Proximi cuiuscunque, etiam inimici & malefactoris dilectione, peræquali ad suimet amo-

Excell. 31. amorem propter DEVM. Affer quascunque vis, aut potes rerum vniuersi huius Magnitudines, Maiestates, Glorias, Opulentias, fortitudines: & quidquid amplum cogitare præuales: omnium horum Maior est charitas, Maius est regnum his omnibus, vnius soliusque chari-
1. Ioan. 4. 8. tatis. Et quidni maius sit? quando *Charitas* DEVS *est, & qui manet in charitate, in* DEO *manet, &* DEVS *in eo.*

Sic nimirum, Sic Dominus noster, & Rex IESVS Christus, Regnum suum Electis suis, etiam in hac vitâ mortali communicat, dans illis Regnum virtutum, *& faciens eos potentes virtute, pulchritudinis spiritualis studium, possessionem dominiumq; habentes.* Quâ in re eminentissimum Christi regnum, elucet luculentissimè. Neque enim aut sunt, aut esse possunt vlli ex Creaturis Reges, qui his quos regunt subditis virtutes suas, pro suâ propriâ potestate, atque voluntate infundant, quod noster
Ioan. 15. 5. iste Rex facit perinde, *vt vitis palmitibus suis*, vt ipse faretur, non solum exhibens exterius ministerium, aut imperium, sed etiam interius suggerens operando virtutem. Quin etiam suas proprias virtutes, circa suorum subditorum bonum & commodum omnimodum exercet. Nam *per Sapientiam* scientiamque suam, cognoscit omnes indigentias nostras, *per Omnipotentiam* suam, adiuuat infirmitates nostras, *per Charitatem & bonitatem* suam, omnes nos diligit, & vult nobis benè, vult omnes saluos fieri, sicut omnes redemit, *per Misericordiam* suam, totus misericordijs liquescit, & sanat omnes languores nostros, *per Prouidentiam* suam, planè regalem ac Paternam, ipse regit nos, & nihil nobis deesse facit, in loco pascuæ suæ collocans nos semper, *per Magnificentiam* liberalitatemque suam, non tantùm sua, sed etiam semetipsum donat nobis, etiam ad esum & potum vsque suæ carnis suique sanguinis, necnon omnis substantiæ suæ: *per Iustitiam prudentiamq;* suam, gubernat, coërcet, promouet nos, remuneraturque. Ad extremum *Beatitudine suâ*, beatos nos facit: & quidem *cum æternitate suâ*,

per

per quam Regnum ſuum nunquam auferet à nobis, ſed in ſæculum ſæculi regnare nos faciet in ſe, & ipſe pariter regnaturus in nobis. Et hæ quidem iunt Chriſti, Regis noſtri regnandi conditiones, quas ille exercet circa nos, quas nullus alius Rex exercere prævalet, circa ſubditos ſuos. *Chriſti Regali titulo, excellentiſſimus.*

Quin potius valde oppoſito, ſe modo habent circa illos. Nam Reges mundi, ſuis populis imponunt tributa, & onera grauia: *& importabilia, quæ ipſimet digito ſuo noluut tangere.* Noſter autem Rex Chriſtus, tributa remittit, aufert *à nobis iugum iniquitatum noſtrarum*, & ipſe pro nobis de ſuo proprio ſoluit debita noſtra. Reges populorum exhauriunt & emungunt illos: vt ipſi ditentur & abundent, & in bonis damnisue illorum luxurient. Rex autem noſter Dominus Iesvs, cum diues eſſet, & nullius egeret, egenus & mendicus propter nos factus ita eſt, vt in hoc mundo non haberet, vbi caput reclinaret. Quam ſæpe & turpiter Reges gentium ius & fas, & rectum honeſtumque deſerunt, & iniqua vel faciunt, vel fieri mandant, etiam ſi Dauides, aus Salomones ſint, Regem verò noſtrum Chriſtum nec fallit ignorantia, nec deprauat malitia, neque excæcat cupiditas, neque paſſio ſubuertit, ſi quidem eſt *Rex Sapiens, & iuſtus, & iuſtitiam diligit.* Regum huius mundi, ſanguinariæ plerumque ſunt, & duræ leges, & à quibus ipſi abſoluuntur: At noſtri Regis, *Mandata grauia non ſunt*, dicente ipſo. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue, & onus meum leue:* denique ipſe in obſeruatione legum ſuarum præluceat exemplo: & neminem ad ſe vocat, niſi etiam vt ſequatur ſe præeuntem. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos ſimiliter faciatis:* ait ipſe, ſicuti & illud. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Reges huius mundi, vt plurimum ſunt inacceſſibiles, animique illorum intractabiles, familiaritas paucis conceditur, & de

1. Ioan. 5. 3. Matt. 11. 29. Ibid. 21. 30.

Ioan. 13 15.

Ioan. 12. 26.

Excell. 31. de mutatione alienationeque animi semper suspecta, inuidijs, obtrectationibus æmulorum obnoxia: Rex autem noster, nulli vnquam accessum ad se negat, qui ad eum accedere velit: cupit sibi omnes esse quàm familiarissimos, vultque tales omnes suos esse, vt amicitiam suam, non tantùm non inuideant, verùm etiam prouideant mutuò sibi apud ipsum: illeque est ei gratissimus, qui quàm plurimos ad eius amicitiam adducit, eiusque gratiæ, & amoris participes facit. Reges huius mundi accipiunt successores, & quidem varijs ex causis: Rex noster nullum metuit successorem, cum Regni eius nullus sit futurus finis, & admittit quidem, imò facit cohæ-
Apoc. 3. 21. redes, *facitq; sedere in throno suo:* attamen absque omni priuationis regni periculo. Talis est Rex noster Dominus Iesvs Christus, cui non apponetur alius similis ei: Huic Regi omnis quidem creatura, omnis mens Rationalis, omne genus humanum, maximè tamen omnis populus Christianus, sicut fidem & cognitionem, ita quoq; spem & fiduciam, inprimis autem charitatem, & super omnia dilectionem omni iure debet, debet reuerentiam, debet exaltationem & laudem, & gloriam, debet deuotionem, obsequium, & obedientiam, debet gratiarum actionem, debet seruiendi eius voluntati perpetuam promptitudinem, constantiam, fidelitatem, debet insatiabilem, infatigabilem, inuincibilem, quantumcunque, cum eius gratiâ prævalet, omnium hominum, ad eius cognitionem, dilectionem, venerationem subiectionem, mandatorum obseruationem, virtutum eius perfectam imitationem, adducendi curam.

Christiani, populus Regis Christi, natio signata in fidem & Amorem Iesv: conuertatur quæso vnusquisq; vestrûm, ad Obligationem professionis suæ, & funditus circumspiciat, introspiciatque indolem vocationis suæ, hoc est, Religionis Christi. Si Christus est Dominus noster, vbi est timor & reuerentia eius inter nos? Si Christus est Rex noster, vbi est amor, vbi honor, vbi obedi-

entia

entia mandatorum eius? Si Christus nos emit sibi, & fecit Regnum sanguine suo? vbi est condigna æstimatio, & tractatio, dispensatioque pretij eius? Nullus Regum fuit, est, esse potest, pluribus iustioribusque titulis Rex, quam Dominus IESVS Christus Rex noster est: nullus tamen infelicior (verbum quo indignitatem rei significantius explicem, non reperio) nullus inquam infelicior est in Regno suo, apud incolarum Regni sui maximam multitudinem, magis, quàm idem Rex noster Christus? Ipsum diaboli regnum apud damnatos, apud impios, magis suo diabolo subiectum est, quam Christi apud Christianos, adeo vt meritò improperet dæmon Christo, maiore, fideliore, promptiore, sumptuosiore, curâ animoque seruiri sibi, sibi inquam, hominum capitali, & omnis perditionis eorum authori inimico: ab ipsis hominibus, nullius à se præmij, nisi æternæ damnationis secum consortij certis, seruiri & obediri, quam à suis Christianis, pretiosi sanguinis, mortisque impendio redemptis, seruiatur & obediatur Christo. Atque sunt, qui referant fide dignissimi scriptores, ipsorum dæmonum confessione, ipsos dæmones tangi miseratione Christi Domini, ob tantam stragem Christianorum, ad infernа descendentium, cum inæstimabili & irreparabili iniuriâ, damnoque impensarum à Christo factarum, in salutem hominum. Heu quantum hoc probrum hominum Christianorum, & maximè eorum, quibus cura salutis incumbit aliorum, dæmones quidem miseratione tangi damnorum Christi: Christianos autem, & Pastores, curatoresque Animarum perditione æternâ illarum, non tangi.

Christo Regali titulo, excellentissimo.

Laurent. à Ponte in Matth.

EXCELLENTIA XXXII.

Solus Christus est summè, & perfectissimè subiectus DEO.

TRIGESIMA-SECVNDA Excellentia super omnes Creaturas, Christi Domini nostri est: Quia ipse solus est summus & perfectissimus DEI seruus, excellentissimoq; modo illi subiectus, ita vt nulla creatura pertingat, nec pertingere possit ad eam sublimitatem, plenitudinemq; perfectæ seruitutis subiectionisque ad DEVM, quæ & quanta in Christo Domino reperitur.

Videtur primâ fronte, contrariam esse Excellentiæ alicuius, seruum esse, & subiectum alteri, dominumque habere, ac imperium dominiumque pati. Quemadmodum enim liberum, ac sui iuris esse, ad propriumque arbitrium viuere, censetur vulgò, etiam à prudentibus, perfectio quædam, feliciterque, & excellentia: ita per contrarium, seruire, & alieno nutu arbitratuque gubernari, miseria quædam, & infelix conditio vitæ, censeri vulgò assolet.

Sed enim aduertendum est: esse aliquam libertatem seruam, & miserè indignèque seruientem: per oppositum verò esse seruitutem, valdè & verè liberam, atque planè ingenuam. Qua de re disertè Apostolus pro-
Rom. 6. 20. nunciauit, cum dixit. *Cum serui essetis peccati, liberi fuistis Iustitiæ.* Quibus verbis indicat Apostolus, duplicem esse tam seruitutem, quàm libertatem: vna est libertas misera & falsa, quia est seruitus peccati propria & vera, nihil enim miserius & seruilius, quam pro arbitrio prauo ac perditè libero seruire peccatis, nefandisque moribus: alia est libertas vera, honesta, felix, & ingenua; quia est seruitus Iustitiæ, nihil siquidem est magis ingenuum, magis honestum, magisque secundùm rationem, quam legibus iustitiæ adstringi gubernari & subdi. Est igitur aliqua

aliqua ſeruitus minimè ſeruilis, aut probroſa, per quam ſeruitur Iuſtitiæ, & libertas obtinetur ab iniquitate, & omni prauâ, indignâque animi corrupti affectione, & eſt aliqua libertas improba, & homine ſobriæ mentis indigna, quæ Iuſtitiæ honeſtatisque iugum excutiens, liberè per ſcelera vagatur, tantò magis ſeruitutis, onus & pondus ſibi aggrauans, quantò amplius iuſtitiæ renuncians, virtutique valedicens. Experimento id quotidiano diſcimus, ac planè palpamus, in vitâ humanâ. Nonne videmus ebrioſos, non poſſe ab ebrietate quotidianâ, quin & crebriore abſtinere? Nonne videmus quomodo libidinoſi adamantinis planè catenis ad probra ſuarum libidinum, vel inuiti trahuntur? Iam verò auaros, vſurarios, ambitioſos, iracundos: nonne videmus, ad inſaniam furoremque ipſum à ſuis malitiæ morbis raptari? Nempe mancipia ſunt tot dominorum, imò dæmoniorum, quot vitiorum. Tam abſurdam illis imponente ſeruitutem illâ ſuâ, pro arbitrio, contra ius, fas, legemq; Iuſtitiæ, viuendi cæcutiente, & excæcante, libertate, veriùs autem licentiâ. Vice autem versâ: in Libertate quâ Iuſtitiæ vacant, piæ ac virtutibus deditæ mentes: quàm pulchra, quàm ſyncera, quàm irrefragabilis, quàm vincens aduerſa omnia, quàm obfirmatè inhærens DEO, eiusque ſanctiſſimæ voluntati ac dilectioni, ſeruitus arctans, ac veluti cogens ad omne quod honeſtum, quod iuſtum, quod pudicum, quod ſanctum, quod dignum & placitum eſt DEO? An non ſeruitutem hanc Iuſtitiæ paſſus PAVLVS, qui de ſe teſtatur? *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* (quæ vtique eſt ipſa vera, ſumma iuſtitia) *tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; Virtutes: neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; Creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate DEI, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.* *Rom. 8. 36.*

Excell. 32. En liberatum à peccato, seruum autem iustitiæ hominem. Cuius seruitutis amorem, studium, experimentum, violentiam, vtinam omnes, qui Christianâ professione censentur, vtinam omne humanum genus, condiscat, vsu ipso frequentatissimo induat! vtinam hæc sit vltima, & vnica gloria, gloriatioque nostra, seruos esse iustitiæ, seruos esse IESV Christi, seruos esse DEI nostri, per IESVM Christum Dominum nostrum.

Hoc ergo comprobato, quod non omnis seruitus sit misera, sed sit etiam quædam honesta, & ingenuo animo digna, imò debita: pariterque sit libertas minimè libertas, sed potius seruitus & captiuitas, captiuans miseram hominis animum, in lege peccati, & tot dominis subijciens quot vitijs, quoniam *qui facit peccatum, seruus est peccati*; hoc (inquam) comprobato, agnoscendum vlterius est, atque confitendum, seruitutem DEI, quâ se mens humana rectè ac debitè ad DEVM habet, & perijusta est, esse ipsissimam, perfectissimam & absolutissimam, tùm libertatem, tùm iustitiam. Nihil enim iustius est, quàm vt ei subditus sis, à quo accepisti vt sis. Itaque seruitus DEI, summa iustitia est, colere & amare DEVM, summa pietas est, denique seruire DEO, regnare est.

Hinc autem vlterius, subinferre licet seruitutem DEI, & subiectionem ad DEVM, esse omni creaturæ, maximè verò rationali conuenientissimam, esse DEO ab omni præsertim rationali creaturâ, omni iure possibili, & cogitabili debitissimam, esse summam pietatem, summam iustitiam, summam dilectionem, summam veneration em, summam gratitudinem & gratiarum actionem, summam laudem, & exaltationem, quæcunque & quantacunque DEO à creaturâ suâ obuenire tam potest, quam debet, rursum etiam consequens ac euidens est, seruire & subesse DEO creaturam, hoc esse maximum bonum creaturæ, maximum honorem dignitatemque creaturæ, maximum & meritum, & præmium apud DEVM creaturæ,

turæ, hunc esse vnum, solum, maximum, præstantissimumque modum, quo vel sibi DEVM creatura demereri, vel se illi summum, quod potest pro omnibus bonis in se ab eo collatis retribuere, vel vicissim quod DEVS summum in creaturam bonum conferre, creaturamuè ditare, & exaltare, & beatam reddere possit: nempe seruire illam sibi facere.

Christ⁹ perfectissimâ erga DEVM subiectione, excellentissimus.

Jndaget quicunque intellectus, etiam Diuinus quod nam munus & officium, possit DEVS creaturæ imponere, quoduè creatura possit coram DEO, siue DEO præstare: quod non sit seruitus, quod non sit obsequium, quod non sit DEO subesse, quod non sit DEVM præesse.

Non potest DEVM Creatura creare, non potest Dominus DEI esse, non potest DEVM gubernare, & Rex eius esse. Non potest Iudex, aut remunerator DEI esse. Non potest (verbo dicam) vllâ ex parte, dignior DEO esse, aut aliquam dignitatem coram DEO, parem DEO, supra DEVM habere. Vna & sola seruitus est, quam creatura potest habere à DEO, & ad quam solam creatura admitti potest à DEO: & sine quâ intermistâ omnibus, nihil creatura potest præstare DEO, nihilque acceptare à Creaturâ DEVS.

Euidens, & quo euidentius neque esse, neque cogitari potest, exemplum huius rei habemus in Domino nostro IESV Christo, in quo nullam (excipio hypostaticam vnionem, Verbique ad Humanitatem nostram, adglutinationem) inuenimus prærogatiuam, dignitatemq; excellentiorem, præter eam, quæ seruitus DEI Patris æterni est: vel ipsam intimè intermistam habet, adeo quidem, vt ipsa etiam Persona Verbi, quatenus Humanitati iuncta est, conditionem nihilominus seruilem habeat. Jgitur etiam in DEO-Homine Christo, seruitium DEI eminet, & prævalet, & in eo seruum DEI esse, summum est, & incommunicabilis Excellentia est. Sicut enim nulli creaturæ communicata est, assumptio ad personam Verbi; ita nulli creaturæ competit seruire DEO, seruumque

Excell. 32. uumque esse DEI, in Personâ etiam Verbi, secundùm Naturam assumptam à Verbo. Sic ergo Christus Dominus est vnus, ac solus, summus inter omnes seruos DEI seruus, quoniam ille est solus DEVS-Homo DEI seruus.

Atque huc videtur B. PAVLVS Apostolus respexisse, istamque Excellentissimi Seruitij Diuini, conditionem
1. Cor 15. 23. enarrasse de Christo, quando dixit. *Primitiæ Christus: deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis, cùm tradiderit regnum DEO & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponit, omnes inimicos eius*
Ibid. ℣. 28. *sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit DEVS omnia in omnibus.* Quibus verbis Apostolus, Seruitium Christi ad DEVM Patrem, tàm hoc quod in præsenti statu, & cursu labentis seculi, vsque ad finem eius exercet: tàm illud quod post finem huius seculi, cum omni plenitudine exercebit, per omnem æternitatem, enarrare videtur.

Veniet enim tempus, seu magis seculum, in quo non erit vltrà tempus, & cessabunt omnia ista, quæ modò aguntur, cessabit motus, cessabunt vicissitudines omnes, omnes series ortuum & interitionum, omnes hominum curæ, omnia Angelorum ministeria: omnia etiam tentamenta dæmonum, doli fraudes, furores, in salutem humanam euertendam instructi. Cessabit etiam & desinet nauis Ecclesiæ iactari fluctibus, portum iam æternæ quietis tenens, & simul cum suo Capite, tanquam Corpus eius, nouissimum inimicum, sempiternæ ac immortalis Resurrectionis priuilegio calcans.

Veniet (inquam) sæculum quo terminabuntur tempora, incipient autem nunquam terminanda æternitatis sæcula, tunc scilicet, quando Dominus noster IESVS Christus, præcipitato in puteum abyssi, & in lacum ignis, tum dracone, tùm omnibus, qui ex parte sunt aseclis

seclis eius, Ecclesiam Electorum, ac Sanctorum suorum, in Ciuitatem Beatorum ciuium, Societatemque multorum millium Angelorum introductam, tanquam Regnum suum, à DEO Patre regimini, & prouidentiæ suæ olim commissum tradet eidem DEO Patri, ad hoc quidem inprimis, vt à visione & fruitione vultûs illius Diuini satientur, deinde, vt, quando nihil aliud supererit agendum, omnes satiato, sed tamen insatiabili semper studio, & affectu fruitiuæ Charitatis, DEO in pace in idipsum seruiant, dormiant, & requiescant, atque illum in domo suâ, per sæcula sæculorum laudent, nec laudando fatigentur; quia laus ista, merces eorum erit. Mercedis autem receptione fatigatur nemo, vt verò vicissim DEVS in omnibus regnet, vt omnes ab vbertate, & diluuio, domus suæ inebriet, vt omnes contemplatione, dilectione, possessione, tentione, fruitione, & lætitiâ sempiternâ exsatiet, ipseque his ipsis beatæ creaturæ suæ, tàm felicibus, quàm finalibus obsequijs, seruitijsque & honoribus exsatietur, ac delectetur.

Christ⁹ perfectissimâ erga DEVM subiectione, excellētissim⁹.

Tunc, & ipse Filius, Dominus scilicet IESVS, subiectus erit ei, qui, subiecit ei omnia: vt sit DEVS omnia in omnibus. Non quod non semper, & in omnibus, & Totus, cum omnibus suis à DEO sibi traditis, subiectus fuerit: Ipse enim dixit. *Pater, maior me est*, secundùm hominem assumptum: qui aliâs, secundùm Verbi personam, *vnum cum eo est*, vti etiam ipse testatus est; sed quia dum Electorum numerus non consummabatur, simul & semel vniuersus, dum alij, & alij prædestinati prædestinatis, iuxtà seriem prouidentiæ æternæ succedebant, dum salutis Electorum negotium, inuestigabilibus iudiciorum & ordinationum concatenationibus pertexebatur: dum Electorum alij iam comprehensores, alij autem necdum viatores essent: dum item Electorum alij quidem amici ac filij, alij contrà adhuc inimici, & rebelles essent: non erat regnatiua, & gubernatiua potestas Christi Domini, perfecta & completa etiam in Ecclesiam,

Ioan. 14. 28.

Ioan. 10. 30.

Excell. 32. siam, sed adhuc in executione, manca, neque plena, quoniam plenitudo gentium necdum intrauerat in eam: nec erat adhuc vnum ouile, vnusque Pastor; sed adhuc Dominus dicebat: alijs quidem, *Venite post me, faciam vos*
Matt. 4. 19. Luc. 10. 2. *fieri piscatores hominum*: alijs: *Videte regiones, quoniam alba sunt ad messem: rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*, alijs etiam: *Ite & vos in vineam meam,*
Matth. 20. 4. Luc. 29. 13. *& quod iustum fuerit, dabo vobis.* itemque. *Negotiamini, dum venio.* ideo non erat, nec esse poterat Christus DEO Patri, hoc est, Sanctissimæ Trinitati vni DEO Patri, Verbo, Spiritui Sancto, plenè & per omnia subiectus, neque tradere Regnum eidem, nondum euacuato omni principatu, & potestate, &c. vt potè, qui Corpus suum totum, nempe Ecclesiam completam nondum habebat.

At postquam sagena Missa in mare huius mundi, & sæculi congregauerit ex omni genere piscium: postquam exibunt Angeli, & bonos pisces in vasa elegerint, malos autem foras miserint: postquam perpurgauerit Dominus aream suam ventilabro, & frumento in horreum congregato, paleas combusserit igne inextinguibili: postquam de medio tritici, collecta fuerint zizania, & alligata in fasciculos, in ignem missa fuerint: postquam Rex in sede Maiestatis suæ sederit, & his quidem, qui à
Matt. 25. 41. sinistris eius erunt, dixerit: *Discedite à me maledicti, in*
Mat. 25. 34. *ignem æternùm*; his autem, qui à dextris illius erunt, dixerit: *Venite benedicti, possidete regnum*. Hæc (inquam) omnia quando consummata fuerint, fueritque propalata Sanctorum via, quando Rex cum populo, Pastor cum grege, Pontifex cum Ecclesiâ, Caput cum corpore, Procurator vineæ cum operarijs, Sponsus cum prudentibus Virginibus, intrabit ad Nuptias: tunc DEO Patri tradet Regnum, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit ei omnia, & erit DEVS Pater, Verbum, Spiritus Sanctus, omnia in omnibus: tunc nimirum Christus iam vacabit, non amplius in procurandam salutem Electorum, non in consummationem Sanctorum, non in completionem

sui

sui Corporis, quod est Ecclesia intentus: sed vacabit completissimæ, & absolutissimæ, & vni ac soli summæ Seruituti, summæque ac soli subiectioni, quia nulla deinceps supererit cui vacet operationi, sed soli duntaxat Diuinæ faciei ad faciem visioni, contemplationi, laudationi, & omnimodæ glorificationi, ac beatificationi Sacrosanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, cui hoc vno & solo modo seruiri poterit.

Christo perfectissimâ erga DEVM *subiectione, excellentissimo.*

Tunc Sanctissima Trinitas, DEVS Pater, Verbum, Spiritus Sanctus, post suam suimet abyssalem, essentialemq; DEIficam fruitionem, ac beatificationem, quâ ab æterno, substantialiter beatificat semetipsam, fruetur etiam competenti sibi modo, creaturæ, siue Electorum suorum seruitio, & maximè Christi Filij sui, per quem saluata, & ad ipsum fruendum, eidemque finaliter beatificè seruiendum, adducta est omnis humana creatura.

Hæc autem seruitus beatifica, non erit alia, quàm amari & amare, possideri & possidere, teneri & tenere, penetrari & penetrare, ad plenum, & perfectum, abyssaliter & diuinè, DEVM & à DEO, DEVM à Domino IESV eiusque Electis, à DEO Dominum IESVM & eiusdem Electos, ita vt omnia desideria Electorum DEO expleantur, vicissimque omnia DEI desideria, ab Electis, quantum creaturæ fas sit satientur, ita quoque vt DEVS ab Electis ex toto corde, ex tota mente, totis viribus, totâ animâ, totâ fortitudine suâ diligatur super omnia: Electi autem vicissim accipiant à DEO mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem, eamque in sinum suum colligant, ac possideant. Atque tunc erit DEVS omnia in omnibus, erit omnia in semetipso per Essentiam, erit omnia in Christo Filio, per vnionem ad Verbum Hypostaticam, erit omnia in Electis per visionem, dilectionem, possessionem, fruitionemque beatificam æternam: Ita redundanter, ita immensurabiliter, quomodo mare piscibus in se natantibus vndique redundat & inundat, quomodo lux Solis aërem penetrat

Excell. 32. & possidet, ita DEVS, tàm Christo, quàm omnibus Electis eius, & beatificè glorificatiuèque inerit ac supereminebit, vt illi quidem sint, & insint in ipso: ille autem super ipsos, quomodo (vt prædixi) pisces sunt in mari, mare autem comprehendit, viuificat, vegetat illos, & superabundat, superque eminet illis: tanquam seruis bonis & fidelibus, qui iam intrauerunt in gaudium Domini sui, & in quibus Dominus diluuium suum, inhabitare facit.

Sed quando hæc erunt? Quibus filijs hominum hæc erunt? Audite hæc filij hominum: percipite & intelligite corde. Agnoscite, & exaltate DEVM-Hominem, DEVM seruum. *Qui cum in formâ DEI esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO: sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* Glorificate Filium DEI, & Filium Hominis, in formâ DEI, filium DEI; in formâ filij Hominis, seruum DEI. Seruus est; quia non venit inter nos ministrari, sed ministrare: seruus est, & factus est in medio nostri: sicut qui ministrat, seruus est, & omnium nostrûm se fecit seruum, seruus est, vt nos seruos faceret ei, voluntate, cuius serui sumus naturæ & creationis conditione. Seruus est: & factus est seruus eius, seruilis formæ assumptione, cui coæqualis & consubstantialis est in Diuinitate. Seruus est, & seruit ei, cui seruiunt omnia. Seruus est, & seruitute suâ facit, vt sit DEVS in omnibus omnia, vt sit DEVS omnibus omnia, vt DEI sint omnia: vt in DEO sint omnia: vt propter DEVM sint omnia. Ad extremum Seruus est, & seruitus eius Electorum speculum atque exemplar est: vt ad instar illius, DEO seruiant Electi, per omnia, & super omnia, & faciant DEO seruire omnia.

Phil. 2. 7.

O homines: creati à DEO, vt seruiatis DEO per omnia: propter quos DEVS condidit sibi Christum, vt eius seruitij exemplo, in præstando sibi seruitio erudiret omnia. Et erudijt sanè, erudit, erudietque & dum abesse, festinant tempora, & dum perdurare contendunt æter-

æternatura sæcula. O quis det hominibus, dignam hac Christi eruditione & magisterio mentem, vt à Christo discant seruire DEO: vt à Christo discant erudire omnes in seruitio DEI, vt ad exemplar Christi discant efformare, discant adducere, quam plurimos seruos munus DEO, vt discant à Christo, ex tam multis rebellibus DEO, exhibere seruos, & subiectos quàm plenissimè DEO.

Christo perfectissimâ erga DEVM subiectione, excellētissimo.

Væ nobis, non discentibus, nec discere volentibus à Christo, quomodo debeamus & ipsi nos, & cum multis alijs eruditis in Christo per nos, deseruire DEO. Væ nobis, qui & ipsi non seruimus, nec ambulamus cum DEO, dignè DEO? & insuper, quâ verbis quâ factis detrahimus homines ab obsequio Domini, ne seruiāt DEO.

Beati omnes qui sunt de populo seruorum DEI: beati omnes, qui ad ideam Christi, & in hac vitâ seruiunt, & in futura seruient Domino DEO suo. Etenim in sæcula sæculorum seruient ei illum laudando, & laudabunt eum illi seruiendo: seruitute beatificante: beatitudine seruiente.

Nosse enim hoc debet, & intimis sensis suis inradicatum habere omnis rationalis Creatura, quia sicut nihil amplius exhibere tenetur Creatori, præterquam vt seruiat ei, ita nihil amplius restat, quod Creatura deneget Creatori, præterquam vt non seruiat ei. Et quemadmodum ob nihil aliud potest DEVS condere creaturam, nisi ob seruiendum sibi: ita nihil etiam DEVS à creatura rationali exigere potest, nisi seruitium suum. Et DEVS creaturæ nihil debere, nihilque reddere potest, nisi vel præmium si ei seruiat, vel supplicium, si non seruiat. Et non aliud quidem præmium, nisi noui & æterni beatificique seruitij: Non aliud etiam supplicium, nisi denegati in æternùm omnis seruitij. Et sicut nullum optabilius, & amabilius præmium esse potest creaturæ, quàm si DEVS promittat, & donet: *In æternùm mihi deseruies*, ita nullum acerbius, & formidabilius sup-

Excell. 32. *Christ⁹ perfectissimâ erga DEVM subiectione, excellentissimus.*

plicium esse potest creaturæ, quàm si DEVS minetur, & edicat illi. *Non seruies mihi in æternùm.* Ea propter neque Christus, neque Beati eius, vllum præmium habent à DEO maius, quàm quia seruituri sunt DEO in æternum, neque damnatis vlla pœna maior infligetur: quàm ea, quia DEO non seruituri, sed rebelles & inimici futuri sunt in æternùm.

Vtinam homines Christiani hæc saperent, & intelligerent, & intimis medullis animi ponderata reconderent, recondita dignos fructûs proferre facerent.

Atque hæc, quæ hactenus de Christi IESV erga DEVM seruitute dicta sunt: ostendunt eundem, & esse seruum, & summum seruum, & solum perfectissimè ac incommunicabiliter seruum, & iam quidem esse, sed tamen maximè & completissimè post diem extremi Iudicij, fore cum omnibus Electis DEI seruum.

EXCELLENTIA XXXIII.

Solus Christus est Sanctorum remunerator, & glorificator, æternus in Cælis.

TRIGESIMA TERTIA, eademque vltima Excellentia Domini nostri IESV Christi est, quia ille solus est omnium Electorum & Sanctorum DEI remuneraror, & glorificator beatificus, æternusque in cælis: & ante finem quidem mundi; maximè tamen, & absolutissimè post finem eius, & post absolutum illius Vniuersale Iudicium à Domino. In quo munere neminem ex creaturis consortem, aut parem habebit, sed hoc est solius opus, solius officium, solius dignitas, solius præmium laborum. *Pro eo enim, quod laborauit Anima eius* in mortali corpore degens, *videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, & ipse iustificabit in scientiâ suâ mutos, & fortium spolia diuidet.* Quod præmium laborum suorum, simulque officium erga Electos suos, recipit,

Isai: 53. 10.

cipit, exequiturque Dominus IESVS iam inde à primo exortu, & Incarnatione suâ, maximè tamen à Resurrectione suâ ex mortuis, ascensioneque in cælos, & a consessu ad dexteram Patris; recepturus, executurusque toto hoc tempore durantis sæculi, & Ecclesiæ in ipso sæculo, per cuius decursum Dominus attendit Ecclesiæ suæ regimini, & Electorum indemnitati, donec tandem consummatio illorum appetet, & omnium finis appropinquabit, quo aduenientè succedet resurrectio mortuorum, & Christus glorioſus aduenier ad Iudicandum orbem, genusque humanum vniuersum. Tunc congregabuntur ad eum omnes gentes, & disceptabit cum eis, & faciet Iudicium cum singulis, ac omnibus: & probatâ approbationis sententiâ circa Electos: cessante omni deinceps necessitate regendi, propagandi, protegendi, erudiendique Ecclesiam, Electosque: dabit eis possessionem Regni, ipsis præparati a constitutione mundi, & introducet vniuersum Electorum & saluatorum cetum, in Empyreum cælum, quantùm ad locum mansionis eorum, & in cælum Beatitudinis, quantùm ad statum vitæ illorum, qui erit visio, possessio, fruitio, æterna, intuitiua, beatifica Domini DEI ipsorum.

In hoc beatitudinis statu, tota Sanctissima Trinitas vnus DEVS, Pater, Filius, Spiritus Sanctus, totum beatitudinis negotium & cursum peraget, substantialiter & essentialiter beatificans Electorum mentes & Animas, accidentaliter autem, siue secundariam beatificationem perficiet Humanitas Verbi Incarnati, quæ in omnibus quidem beatis suo modo: sed specialiter in Hominibus operabitur beatitudinem, etiam quoad sensûs eorum externos internosque. Sicut enim reprobi ac damnati omnes ante Iudicium terminatum, videbunt Filium DEI & Hominis Christum, in quem pupugerunt, atque transfixerunt: ita & Electi atque Beati per omnem æternitatem, videbunt eundem DEVM Hominem, quem totâ cordium dilectione amauerunt, & totâ virtutum perfectione

Excell. 33. *Christi⁹ Remuneratoris, & Glorificatoris dignitate, excellētissim⁹.*

ctione imitati sunt, toto affectuum ardore perfrui desideraverunt.

De hac Domini nostri Excellentiâ, quæ in Sanctorum æternâ glorificatione consistit, in gratiam pij lectoris Dominum IESVM deuotè amantis, visum est mihi plus aliquantò (licet idipsum succinctè) immorari, eiusque gustum cumulatâ, & distinctâ explicatione proponere, quatenus & faciliùs recogitetur, & dulciùs regustetur, & ardentiùs desideretur, sperenturque, & efficaciùs ipsius Domini Glorificatoris amor, beneuolentiaque concilietur, necnon multi alij fructûs, affectusque propositæ materiæ congrui in mentibus concitentur, foueantur, & in alios quoque proximos salutariter promoueantur.

Quia verò Dominus noster, non tantùm post Iudicij & Mundi finem, glorificaturus est Electos suos, verùm & nunc iam est glorificator ipsorum, esto necdum plenâ & consummatâ gloriâ, cum eos necdum quoad Corpora illorum, sed tantùm secundùm Animas glorificet; reseruans Corporum glorificationem Resurrectioni eorundem, atque iuridicæ remunerationi meritorum; propterea in præsenti tractatione complecti propositum est considerationem vtriusque glorificationis, tam scilicet eius, quæ iam peragitur, quam illius quæ post mundi finem peragenda est a Christo Domino, circa Electos suos. Sed iam rem ipsam ordiamur.

§. I.

Christus Dominus est glorificator Sanctorum in cælo.

HOc manifestum est ex eo, quia Christus, siue DEVS-Homo, ad hoc primariè & vltimatè Electus, Prædestinatusque ab æterno, deinde in tempore missus est de cælo, seu de sinu Patris æterni, in sinum Matris Hominis, vt esset summus, supremusque exaltator, & glorificator.

Summi

Summi DEI, manifestatorque Nominis, & Dignitatis, & Gloriæ, & voluntatis eius, idque per Electorum DEI, (præcipuè verò hominum) salutem, adductionemque eorum ad vitam æternam: seu ad fruitionem possessionemque DEI, sicuti est; Quoniam hæc est suprema gloria DEI, quam â creaturâ suâ habere, & per quam exaltari ab illâ summè super omnia potest, vt nempè DEVM intueatur, eoque beatificè prout in se est, in æternùm perfruatur. Ad hoc verò præstandum occasio fuit Christo lapsus hominum in protoparente eorum ADAMO, per quem mors temporalis & æterna, intrauit in mundum, & sic in omnes homines pertransijt. Medium verò & modus exequutionis & assecutionis supradicti finis Christo exstitit, Incarnatio illius, & vniuersa Incarnationis œconomia, quam Christus Dominus, & ab origine mundi in præuisione meritorum suorum; sic enim *Agnus ab origine mundi*, asseritur occisus, tum verò per realem in carne aduentum, quando *Verbum Caro Factum Est*, re quoque ipsâ executus, & in medio terræ salutem hominum operatus est. Quæ operatio, & si finem suum in morte Christi super lignum Crucis accepit, ita tamen accepit, vt eius applicatio, atque fructificatio in hominibus, præsertim Electis, duret duraturaque sit, vsque ad finem mundi, quo tempore toto Christus Dominus intendit, & præest regendæ Ecclesiæ, *quam acquisiuit sibi in sanguine suo:* cuius regiminis vltima clausula est, Beatificatio Animarum ex hac vitâ in cælos emigrantium: quas excipit Christus, & *omnem lachrymam ab oculis earum abstergit*, & repræsentans eas Patri æterno, beatitudine æternâ replet.

Apoc. 13. 8. *Ioan. 1. 34.* *Acto. 20. 28.* *Apoc. 7. 17.*

Totum hoc suum negotium Dominus, paucis verbis suis explicauit, cum dixit. *Ego sum via, veritas, & vita.* Via quidem in exemplari operatione. Veritas in infallibili doctrinæ instructione. Vita demum, tùm in Hominum à peccatis saluatione, tùm in eorundem in cælis æternâ & beatâ remuneratione. Nec minus explicatè

Ioan. 24 6.

Ioan. 10. 28. Excell. 33. Christ⁹ Glorificator Sãctorum in cælo. Ioan. 14. 21.

hoc ipsum asseruit, cum dixit idem Dominus. *Ego vitam æternam do vnibus meis, & non peribunt in æternùm; & non rapiet eos quisquam de manu meâ:* Ad istud ipsum negotium, officiumque suum respiciens Dominus affirmauit alibi. *Qui diligit me, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum,* non in hâc solùm vitâ mortali, dando illi cognitionem mei & mysteriorum meorum, ita claram, & practicam, cordique intimè lucescentem, simul ac dulcescentem, eumque in mei, & Crucis meæ imitatione confirmantem: sed etiam in cælesti patriâ, dando illi, vt me clarissimè non per speculum, & inænigmatè, sed facie ad faciem intueatur, possideat, & fruatur.

§. II.

Vnde hoc sit Christo, quod sit Glorificator Sanctorum suorum?

INde inprimis est, quia est DEVS, nisi enim DEVS esset, glorificator esse non posset, glorificatio enim Sanctorum consistit essentialiter in Possessione DEI beatificâ æternâ: iuxta illud ad Abraham dictum. *Ego ero merces tua magna nimis,* & ad Moysen. *Ego ostendam tibi omne bonum,* quia ergo Christus, est DEVS, & DEVS dat se Sanctis suis in mercedem, hoc est, in Beatitudinem æternam, ideo & Christus, quà DEVS merces & glorificator est Sanctorum. Rursùm. Christus est DEI Filius: & omnia quæ habet Pater, eius sunt: & Pater dedit illi vitam habere in semetipso: quin etiam, quæcunque Pater facit opera circa Sanctos suos, hæc Filius similiter operatur in ijsdem, quemadmodum viderit Patrem facientem: ideo non est ambigendum, quod & Christus Sanctos suos glorificet, & vitam æternam det eis, quoniam Pater dedit illi vitam æternam dare alijs, nempe Sanctis. Adhuc verò ius glorificandi Sanctos, atque munus competit Christo: quia DEVS-Homo est, sicut verò vt Christus esset

Genes. 15. 1. Exod. 33. 19. Christ⁹ Glorificator Sãctorũ vt DEVS. Et Homo.

set Redemptor, vt Pastor, vt Doctor, vt Dux, vt Medicus, vt Iudex, vt Caput, vt Pontifex, oportebat eum esse DEVM-Hominem, vt quasi connaturaliùs atque suauiùs, hæc munera obiret circa homines: ita etiam munus glorificatoris requirebat DEVM-Hominem, vt merces æterna dulciùs obueniret ab Homine DEO mercedis exhibitore, & sui ipsius in mercedem cum Deitate pariter & cum Humanitate collatore. Huc accedit: quod Dominus noster, sit Caput Ecclesiæ suæ, illa autem, seu Filij eius Electi DEI, sint corpus & membra Christi. Istud autem Caput ex munere suo, influebat omnem gratiam, omnemque virtutem, & efficaciam, atque fructuositatem in sua membra, tanquam vitis in palmites: consequens est, vt idipsum Caput Christus, influat quoque omnem vitam gloriæ, omnemque fructum beatitudinis æternæ in Electos, tanquam in sua membra viuentia vitâ gratiæ suæ, sic enim completissimâ ratione, & Christus est Caput Electorum tanquam membrorum, & Electi membra Christi sunt, tanquam Capitis. Alioqui esset quiddam vel mancum, vel quasi monstrosum in Capite Christo, & membris Christi, si Christus influeret in Electos vitam gratiæ tantùm, & non etiam gloriæ: quæ vtique est nihil aliud, quàm consummatio gratiæ, seu consummata gratia.

vt Caput Ecclesiæ

Adde his, quod dictis vicinum est, Christo Domino competit esse inuitatorem ad labores, conductorem operariorum ad vineam; quis enim alius Sanctos omnes & verbo, & facto, & imperijs, & promissis, & etiam minis, & auxilijs, prouocat ad pugnas, ad labores, ad pericula, ad confusiones, ad Cruces, ad pauperiem, ad abnegationem, ad perditionem sui & animarum suarum propter Dominum? Non alius certè id egit, & agit, agetque ad mundi finem, nisi ipse Dominus, illi ergo etiam competere debet, & competit glorificare Sanctos suos, & reddere illis mercedes, præmia, coronas, triumphos, & omnem remunerationem. Præter ista, competit Christo esse

Vt Præmiator laborũ, ad quos antea Electos inuitauerat

vt bonorum naturali Heres Paternorum.

Excell. 33. esse glorificatorem Sanctorum, quia ille cum sit bonorum Paternorum omnium Naturalis, & absolutus Hæres, admisit autem Electos ad filiorum DEI sortem, iuxta illud, quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem Filios DEI fieri, admisit eâdem operâ eosdem Electos, iam DEI filios, ac fratres suos, ad Hæreditatem suam, ita vt cohæredes Christi sint, Hæredes autem DEI, Christo ipso dante, & communicante ipsis hanc Hæreditatem, quæ alia non est, nisi Beatitudo DEI.

Vt omnia habens sibi à Patre tradita in manu.

Adhuc autem Ius glorificandi, Sanctos Christo competit, quia Pater dedit illi omnia in Manus, & hoc nominatim, vt sit Iudex viuorum & mortuorum; Bonorum & malorum: Agnorum & Hædorum; Electorum & reproborum: quo circa sicut mortuos, seu malos & Hædos, reprobosque, ad Christum spectat iustè punire damnatione ignis æterni, qui paratus est diabolo & angelis eius, sic etiam ad ipsum pertinet viuos, Bonos, Agnos, Electosque, iustè remunerari Regno, & vitâ æternâ, paratâ eis â constitutione mundi.

Omitto afferre, quod Christus Dominus meruerit sibi ius glorificandi Sanctos, immenso sanguinis & vitæ suæ pretio pro eis impenso, quod sit Rex Sanctorum, Imperator Militum pugnantium atque victorum, Agonothetes in agone luctantium, quibus omnibus titulis incumbit illi glorificatio & præmiatio eorundem.

§. III.

Quàm cupiat Dominus IESVS *exequi hoc munus, glorificatoris Sanctorum?*

CVpit sanè exequi, quam cupidissimè. Si enim præcipuam rationem Incarnationis Verbi attendimus: prima illa se offert, vt nimirum esset Glorificator Electorum. Quamuis enim primò & primariè (vt supra dixi) venerit in mundum Christus, vt manifestaret gloriam & no-

& nomen Patris æterni apud homines, tamen ista manifestatio Nominis & Gloriæ, finaliter, & tanquam in cardine atque vertice constitit, consistitque, in vltimâ, finaliqúe Sanctorum glorificatione. Hoc quippe est vnum ac solum, ac præcipuum vltimatumque medium, per quod summè & vltimatè glorificatur DEVS, tàm à Christo, quàm à Sanctis Electisque illius: quod nimirum Sancti beatificentur, & beatificè fruantur DEO, possideantq; bona illius, idque per merita vitæ & mortis IESV Christi, & hoc modo laudent, honorificentque Filium, sicut honorificant & Patrem. Quare, quàm auidus fuit, aut est, (est verò ac fuit omni auiditate auidissimus) exaltandi Paterni nominis, totamque Incarnationis suæ œconomiam, ad hoc vnum opus profundendi; ita etiam fuit & est Glorificationis Electorum, & ad illam direxit vniuersam Incarnationis suæ dispensationem, tanquam ad scopum, ad finem, centrumque totius huius Diuini consilij, ex quo Aduentus Filij DEI in carnem, & in carne in terras, de terris in Crucem, & Mortem, de Cruce & Morte, in cælos promanauit. Addendum est ad hæc, quod Glorificatio Sanctorum sit Christo Domino præmium, ac merces eorum, quæ laborauit, & perpessus est in corpore passibili. *Si posuerit* (ait Isaias) *pro peccato animam* *Isaiæ. 53. 10.*
suam, videbit semen longæuum, pro eo quod laborauit Anima eius, videbit & saturabitur. In scientiâ suâ, iustificabit ipse Iustus, seruus meus multos. Quoniam ergo glorificare Sanctos suos, Christo Domino præmium est, & quidem tantorum, quanti nullius vnquam fuerunt, laborum: non est dubium, quin summoperè appetat, & quærat Dominus præmium istud sibi & obuenire, & maximè multiplicari: nimirum beatificando, & quàm plurimos, & quàm maximè, & quàm diutissimè Sanctos suos. *Gra-* *Iob. 14. 6.*
ta est enim Mercenario dies eius, quâ mercedem recipit, & nemo mercedem recipiendo fatigatur.

§. IV.

Hæc omnia de Glorificatore Domino nostro IESV Christo hactenus dicta, debent te ô homo Christiane prouocare.

ad Laudem 1. AD laudem Patris æterni, & ad gratiarum actionem eidem: quia ille ex ineffabili charitate suâ, talem, tantumque Glorificatorem (quantus Christus est) creaturis suis, & speciatim Hominibus prouidit, ordinauit, & exhibuit: cum tam profusæ liberalitatis adiunctis, quales in vniuerso Christi Incarnationis Mysterio & videre, & summâ attentione animi considerare, per quam dignum est.

Congratulationem. 2. Eadem dicta, debent te ô homo Christiane prouocare ad congratulationē ipsi Christo Domino, quod sit glorificator Sanctorum, glorificatione tàm absolutâ, tam sublimi, tàm æternâ, quomodo esse glorificatorem nulli puræ creaturæ competere potest, sed hæc solius Christi Excellentia est.

3. Eadem dicta, debent te ô homo Christiane prouocare ad congratulandum omnibus & singulis Sanctis, pro eo, quod eis talis glorificator obtigerit, & quidem non tantùm sine eorum vllis meritis, sed etiam post multa eorum malè merita: quæ nihilominus Diuina Christi Charitas, in tantùm euacuauit coram se, vt etiam Electis suis dederit potestatem merendi sibi, apud ipsummet, ius, debitumque glorificationis, vt non tàm ex puris Christi meritis, ipse Christus glorificare videatur, (quod tamen omnino, & reuera sic est) sed ex meritis ipsorummet Electorum, & non quasi ex gratiâ, sed tanquam ex Iustitiâ, quâ de re Apostolus, non dubitauit affirmare, cum dixit. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, Iustus Iudex; Non solùm autem mihi, sed & omnibus his, qui diligunt aduentum eius.* 2.Tim. 4.7.

4. Eadem

4. Eadem dicta, debent te ô homo Christiane prouocare, ad congaudendum tibimet ipsi, totiq́ue Ecclesiæ militanti & filijs eius, quod sitis habituri talem glorificatorem, remuneratoremq́ue, ex quo, & te, & omnes, quàm maximè animari par est, ad laborandum strenuè Christo, & pro Christo, & exemplo Christi, quoniam compertum est: illum eundem esse potentem, paratumq́ue ad dandam laboribus, laborantibusq́ue, copiosam, & superefluentem mercedem, qui est prouocator, & inuitator, etiam suo proprio exemplo, ad laborem. *Gaudium*

5. Eadem dicta, debent te ô Christiane homo prouocare, ad congratulandum Christo Domino, tot, tantosq; titulos, ac nomina, ob quæ illi glorificatoris Potestas, atq́ue Dignitas competit. Est nimirum Dominus IESVS DEVS, vltimus finis, summumq́ue Bonum creaturæ rationalis, quæ est omnium Electorum Ecclesia: illam ergo glorificabit, & fruitione suæ Diuinitatis beatam efficiet. Est Dominus IESVS Caput, Ecclesia Electorum Corpus. Est Dominus IESVS Pastor, Electi sunt Oues, Dominus IESVS est Rex, Ecclesia Electorum est Regnum. Dominus IESVS est Pater futuri præsertim seculi. Electi autem sunt Filij: Dominus IESVS est Sponsus, Electorum Ecclesia est Sponsa, sine rugâ & maculâ. Dominus IESVS est Pater-familiàs, Ecclesia est Domus & familia. Dominus IESVS est Imperator, Ecclesia Electorum est Exercitus Victor. Dominus IESVS est Doctor & Magister, Electi sunt discipuli, docibiles DEI. Dominus IESVS est Agonothetes, Electi in Agone, & stadio, contenderunt, & vicerunt. Dominus IESVS est Hæres: Electorum Ecclesia Hæreditas eius. Dominus IESVS Agricola, Ecclesia Vinea, Electi Botri, digni Dilecto, ad ruminandum. Dominus IESVS est Gubernator, Ecclesia Ciuitas, habens fines positos pacem, & fundamenta in Montibus Sanctis. Dominus IESVS est Nauarchus, Ecclesia Nauis, quæ portum securum feliciter tenuit. Dominus IESVS est Promissor, ac proinde etiam debitor beatitudinis, Electorum *Congratulationem*

verò

Excell. 33. verò Ecclesia est, quæ promissum tenet, & scit cui crediderit, quoniam qui dignatus est promittere, idem etiam potens ac paratus est, quod promisit reddere. Est ergo quod vniuersa Electorum Ecclesia, & Christo glorificatoris indubitatæ munus gratuletur, & ipsa sibi filijsque suis omnibus adgaudeat, de tam diuite, tamque fideli remuneratore atque glorificatore.

Ad augmentum glorificandorum.

6. Eadem iam dicta, debent te ô Christiane prouocare ad hoc, vt quoniam â tui glorificatione, dependet merces laborum Christi adeo sumptuosorum, omnem velis, omnem coneris, omnem des operam, vt & ipsum te, & per te alios insuper quàm plurimos, quàm copiosissimæ glorificationi idoneos reddas: perque hoc mercedem Christi, Christo adaugeas: contrà verò, vt omni ratione caueas, ne tuis malis imperfectisuè moribus, tàm te, quàm alios minus idoneos glorificationi Christi facias, & sic mercedem Domini euacues.

§. V.

Quomodo Christus exequatur hoc Glorificatoris munus?

EXequitur sine dubio maxima cum vigilantiâ, diligentiâ, promptitudine, liberalitate. Si enim tanti constat illi munus istud, quanti vidimus aliquatenus in prædictis, non potest non amare hoc munus, executionemq; illius, non etiam non potest dare vigilantem operam, ne quâ illum pars muneris, siue mercedis suæ prætereat. Jdeò ipsemet testatur se ita inuigilare ouibus suis, sibi ab
Ioan. 10 29. æterno Patre donatis, *vt nemo possit eas rapere de manu suâ,*
Luc. 15. 4. ac *vt nemo ex eis pereat:* & si fortè vel vnica sibi casu quopiam aberret, illam tamdiu quærat per deserta, relictis etiam alijs, donec errantem inueniat, inuentam in humeros suos tollat, & ad aliarum societatem reportet. Si ergo tàm diligens Dominus est in custodiendis atque seruandis

uandis ouibus, seu, Electis suis. Si est, fuitque tam profusus ac sumptuosus, in promerendâ nobis quidem gloriâ, sibi autem glorificandi nos potestate, & voluit hanc esse suam omnium laborum snorum, mercedem vnicam & summam; quis potest dubitare, summoperè futurum illum profusum, prodigumque in vsu potestatis huius, in receptione suæ mercedis, in glorificandis suis Electis, quandoquidem per hoc nihil deperdit, plurimùm verò adauget, tàm gloriam nostram, quàm gloriam & mercedem suam? Itaque extra dubitationem est, nullâ huius vitæ mortalis cogitatione comprehendi posse, ardorem, amoremque illum: liberalitatem & profusionem illam, quâ Verbum Incarnatum Dominus IESVS sese profundit, in glorificationem Sanctorum suorum, perinde singulorum, atque omnium. Signatur hæc profusio, prodigalitasque verbis illis Sacræ Scripturæ, de hâc materiâ loquentis. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ducet eos ad vitæ fontes aquarum. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis: dicens eis; Comedite Amici, & inebriamini Charissimi.* Denique, *Dominus diluuium*, beatitudinis, *inhabitare facit in domo suâ.* Effundit ergo, & profundit sese Verbum Incarnatum IESVS, in Sanctorum suorum bonum, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Maximè quando iam in cælo nihil obstat glorificationi plenæ, (nisi fortè exiguitas meritorum alicuius beati) quando absorpta est mors in victoriâ, quando mortale hoc induit immortalitatem. Hic multa obstant, quominùs Christus aut velit, aut possit glorificare seruos suos, obstat viæ status, pericula superbiæ, ingratitudinis, tepiditatis, obstat infirmitas tùm Sanctorum, tùm eis conuiuentium, obstant necessitates, & auxilia proximorum, exigentiæ officiorum ac munerum, aliaque similia, propter quæ remanere in carne, & vitâ istâ Sanctos necessarium est, licet dissolui & esset melius, & vrget desiderium; at

Christus perfectissimè munus Glorificatoris exsequitur.

Psal 35. 9. Apoc. 7. 17. Matt. 25. 21. Luc. 12 37. Cant. 5. 1. Psal. 28. 10.

Quæna sine obstaculaglorificationis in terra

Excell. 33. in cælo nihil istorum obstabit, exiget potius status ille satietatis effusionem: congaudebunt omnes, procul erit superbiæ ingratitudinis, tepiditatis periculum omne: imò erit ex hoc plena fidelitas, subiectio, gratiarum actio, feruor, desideriumque inessabile, cum satietate. Effusis ergo fuæ liberalitatis cataractis glorificabit Christus Sanctos, glorificabuntur à Christo Sancti, sedebitque populus ille DEI in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulentâ.

§. VI.

Quam indignè ferat Christus Dominus se præpediri à glorificatione Sanctorum suorum?

IMmensitas desiderij, quod in Christo est ad glorificandum, facilè ostendit grauitatem indignationis eius, atque molestiæ, quam sustinet, quando impetus bonitatis, pondusque profusionis eius retunditur, impediturq; quominùs aliquem glorificet, aut minùs glorificet, quàm volebat, & quàm impensæ suæ in glorificationem factæ, postulabant.

Malè admodum cessit seruo nequam & pigro, qui pecuniam Domini sudario inuolutam, in terrâ defossam, integram vt putabat, sed absque lucro & fænore restituebat: Ita malè cedit, & Domini indignationem incurrit, quisquis pro eo, quod debebat crescere in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ac tàm seipsum, quàm alios etiam, quos aut muneris, aut charitatis obligatio suppeditabat, idoneos glorificationi Christi offerre: maluit in malum, in otium, in damnum & perditionem, Domini sui, bona conuertere aut potiùs deperdere.

O qui diligitis Dominum IESVM: ne sileatis, neque detis silentium ei, neque vacuis coram illo manibus compareatis, sed inueniantur dies pleni, & opera plena in vobis,

vobis, coram ipso. Non vos, non etiam vllos alios, quod in vobis est subducatis ab hoc IESV Christi gaudio, quod Anima illius habet in Sanctorum suorum glorificatione. Sanguinis Christi reus est, quisquis culpâ suâ facit, ne vel ipse, vel alius quis, vel ne quàm cumulatissimè glorificetur à Christo. *Sicut qui sacrificat Filium, in conspectu Patris eius*, sic est abominabilis, qui detrahit homines à glorificatione IESV Christi.

§. VII.

Quomodo impeditur Christus ab exequutione Glorificationis?

Impeditur Christus ab executione Glorificationis

QVod hîc inquiritur: spectat ad præsentem vitam; in illâ enim alterâ vitâ, locus & tempus huic impeditioni non est, nisi quatenus ea in hâc vitâ apparata fuerit. sensus ergo quæsiti est hic, quomodo fiat in istâ vitâ ab hominibus, vt in illâ alterâ Christus, vel illos ipsos, vel etiam alios ob illorum culpam, glorificare non possit.

Peccato mortali.

In hunc ergo impedimentorum censum Primò veniunt peccata mortalia: quorum vel vnicum sufficit, vt qui illud committit, excidat sicut à Gratiâ, ita & à Gloriâ Christi: qui enim talia agunt regnum DEI possidere non possunt, sed talium retributio, est damnatio æterna, atque ita, isti homines præter alia plurima & maxima, quæ mortaliter peccando, atque in talibus hærendo mala, damnaque perpetrant: hoc etiam vnum Christo Domino inferunt, quia illi mercedem duro labore quæsitam, & verè sanguineo sumptu partam, glorificationem scilicet Redemptorum à se impediunt, ac prorsus auferunt. Hanc ipsam Mercedem Christi Domini, & si non planè auferunt, prapediunt tamen in se se omnes, qui peccata venialia grauiora, & crassiora, voluntaria & deliberata, consuetudine firmata committunt: in ijsque veterascunt. Idem faciunt illi qui habitûs malos, vitiaq; & af-

Veniali grauiori.

Habitibus vitiosis.

Excell. 33. & affectus parum domitos, viuumque ac potens sensualitatis, & cupiditatum regnum in se retinent, ac fouent: nec mortificatione eneruant. Huic quoque damno Christi subseruiunt (esto superiora impedimenta sublata

Languore Spiritûs. alicunde sint,) Tepiditas & languor spiritûs, defectusque deuotionis, feruoris, ac diligentiæ, liberalisque contenti-

Inconstantiâ Animi. onis in obsequio Diuino. Item Inconstantia & Nobilitas animi per incerta, vaga, inordinata distrahentia opera & exercitia. Addatur his: adhæsio ad voluntatem,

Irresignatione Cordis. iudicium, sensumque proprium: & irresignatio cordis in Diuinam prouidentiam, voluntatemque: quâ sit vt homo non hoc probet, sequaturue, aut operetur quod DEO placere scit, sed magis optat vt suis desiderijs, designationibusque, suam DEVS accommodet voluntatem, quod est se facere maiorem DEO, & quasi se DEVM DEO super ponere: regulamque regularum omnium, suâ stultâ voluntate ac ratione regere, corrigereque velle, in quem scopulum sæpè impingunt etiam iusti, etiam perfecti, vt videre est in B. PETRO, abundante in sensu suo nimis, & Domini sui tàm passionis atque Crucis amorem, quàm in pedibus lauandis humilitatem, iudicio, sensuque suo reprobante. Facit hanc ipsam Christo iniuriam Amor sui proprius, & æstimatio quædam sui, rerumque suarum, tùm quæsitio propriorum commodorum: præcipuè ab

Nollitudine Animique Pusillanimitate. humanis laudibus, in suis actionibus. Adhoc ipsum Domini nostri incommodum facit, mollitudo animi & inertia, atque pusillanimitas, indeque fuga laboris, passionis, Crucis, persecutionum, linguarum, propter DEVM, propter virtutis, & Iustitiæ, & perfectionis studium, propter zelum Gloriæ Diuinæ, propter proximorum salutem, profectumque, qui eiusmodi serui DEI sunt, in eos

Marci.8.38. cadit illud asperum verbum Domini. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & Angelis* DEI. Denique, (vt cætera prætereantur,) ad

Impuritate Intentionis &c. hoc ipsum Mercedis Dominicæ detrimentum, facit plurimùm Impuritas Intentionis, defectus quoque ardoris, &

inten-

intensionis, cæterarumque perfectionum, & ornatuum, in operando propter DEVM: talia enim opera modicam habent remunerationem, atque ita restringunt Christi liberalitatem ac mercedem. Eisque simile est, quærere v. g. virtutem & excolere; & propter quidem virtutem, & quasi propter placendum DEO: simul tamen propter virtutis apud homines opinionem, ac æstimationem. Talis quisquis est similis, *est Virgini fatuæ lampadem* ornatam habenti, sed oleum in vase non habenti. Talibus dicitur: *receperunt mercedem suam*, & illud: *Nescio vos.* *Mntt 25.12:* *Matt. 6. 16.*

§. VIII.

Supra dicta, omnem Christianum hominem prouocare debent.

1. AD eximium Amorem erga Christum Dominum, adeo diligentem Sanctorum suorum Glorificatorem, adeoque cupidum glorificationis eorum, & nullis sumptibus suis parcentem ad istius muneris liberalissimam exequutionem. *Christ⁹ Glorificator prouocat hominem ad Amorem:*

2. Hæc eadem prouocare debent omnem Christianum, ad Dolorem & Timorem, & Fugam, & ad studium: ad Dolorem quidem, eò quod tàm multi passim Christiani tales sint, qui sese vel penitùs subtrahunt Glorificationi Christi suis, per omnia Christo contrarijs moribus: vel saltem negligenter valde, se huic rei aptant, quotidianâ tepiditate agendi, perfunctorièque nimis, Christianæ professioni satisfaciendi: tùm verò etiam quod tàm multi passim Christiani reperiantur, qui suâ in semetipsos, ac in Dominum suum ignauiâ, stultitiâ, malitiâque, peccare non contenti: alios quoque in eandem perditionis suæ massam secum trahunt, siue vt parentes filios malâ educatione deprauantes, neque in timore Domini educantes: sed potius illos dæmonijs & non DEO immolantes, modestiæque ac pietatis Christianæ mores, in eis culpantes odien- *Dolorē &c.*

Excell. 33. odientesque, ac longè â mentibus eorum facessere iubentes, siue vt Domini subditos famulosque, qui cum suorum, maximè domesticorum salutis curam non habeant, iudice Apostolo, fidem negant, & sunt infidelibus deteriores: siue vt Pastores & Prælati oues sibi commissas, quarum salutem æternam, vsque adeò nihili habent: vt videantur ex proposito talem illarum curam esse sortiti, ac professi, vt earum curam nullam habeant, DEI possessioni illas subtrahant, diabolicæ verò rapinæ extradant; siue vt vicini vicinorum, amici amicorum ac familiarium, qui pro eo quod intelligere debuerant, quia vnicuique DEVS mandauit de proximo suo, & quia obligatus est quisque fratrem, proximumque suum, quà verbo, quà exemplo suo ad meliora prouocare, â peioribus autem auocare: illi è contrariò, mundum replent scandalis, & veluti agminatim iuncti, invicemque alij alios sequentes, ac æmulantes, imò supergredi in malignitate cupientes, ducunt in malis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et hinc est, Væ mundo à scandalis, Væ à prauis exemplis. Et vtinam hæc Christiani intelligant, defleant, timeant, fugiant, & studia sua seriò, atque constanter, & vniuersim omnes in contrarium, in Diuinum placitum, in IESV Christi promeritum, in æternæ salutis bonum fructum conuertant!

Spē & Desiderium. 3. Jsta eadem prædicta, omnem Christianum prouocare debent, tùm ad spem, desideriumque, nec non curam magnæ Glorificationis à Christo promerendæ, atque obtinendæ: tùm ad detestationem tepiditatis, atque de salute tàm suâ, tàm quorum interest sua, curæ negligentis tùm ad omnem apprehendendam exercendamque diligentiam, ne quisquam quidpiam in se residere permittat, ob quod aut ipse, aut quis alius ipsius culpâ, vel non glorificetur, vel etiam minùs glorificetur à Christo, quàm cordi sit Christo.

Constantiã. 4. Hæc quoque prædicta, omnem Christianum prouocare debent, ad feruentissimam constantiam, constantissimum-

simumque feruorem, in amore, imitatione, seruitioque Christi: in labore & studio pro incremento, quàm Maximo Gloriæ DEI, salutis autem & perfectionis etiam propriæ, simulque omnis quantùm in ipso est proximi: esto eam ob rem subeundæ, superandæque sint iniuriæ, inuidiæ, odia, persecutiones, Cruces, probra, & quæuis alia impedimenta, & ingratitudines, dummodo exaltetur DEVS salutis nostræ, deniqúe in labore & studio, vt omnem circumstantiam conditionemque vitæ suæ, (vnde vnde proueniat, non potest autem nisi ab ordinatione DEI prouenire,) conuertat in ampliorem, & ampliorem dispositionem, capacitatemque Glorificationis sui, à Christo recipiendæ.

§. IX.

Quàm sit gratum Christo Domino, si iuuetur in munero Glorificatoris obeundo?

QVàm sit ingratum, aliquatenus vidimus, si impediatur, aut non adiuuetur: videamus quàm gratum sit, si adiuuetur, vt vel plures, vel magis copiosè glorificet, magisque citò, quâ de re Apostolum audire licet dicentem. *Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem, DEI enim sumus adiutores;* in quo autem adiuuamus DEVM? non in alio certè opere, nisi in eo, in quo solo totus ferè DEVS occupatur: vt scilicet saluum faciat populum suum, à peccatis eorum, & vitam æternam det eis, propter quod *posuit in nobis verbum reconciliationis, & pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini DEO, & state in fide, perfecti in charitate, secundùm spem vocationis vestræ. Charitas enim Christi vrget, ac triumphat nos,* ad obsecrandum vos, *vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit,* & ad Patris dexteram sedet. In hoc ergo opere, DEI adiutores

Gratissimũ est Christo, dumiuuatur in Munere Glorificatorii.

1. Cor. 3. 8.

2. Cor. 5. 19.

2. Cor. 5. 14.

Excell. 33. tores sumus, adiuuantes autem exhortamur omnem animam fidelem in Christo, ne in vacuum gratiam DEI accipiant, nec defraudent Dominum suum fructu, fidei & dilectionis suæ, sed exhibeant se dignas DEO suo, recipere ab ipso mercedem vitæ, & coronam gloriæ æternæ. Hoc est desiderium Christi, hoc est gaudium cordis illius, ista est expectatio charitatis eius.

Non ita festinat sol, ad illuminandum ortu suo mundum, nec ita volucris ad pullos suos in nido pascendos, nec Mater aut Nutrix ad lactandum infantem suum ita studet, nec amicus ad gratissimos sibi Amicos obuiat, ita excipiendos; quemadmodum Dominus IESVS, expectat, & anhelat, ad infundendum, impendendumque se Electis suis, ad coronandas Sponsas suas, ad glorificandum Amatores suos. Vsque adeo pergratum est cordi eius opus hoc, gloriâ & honore coronandi Amicos suos. Propter quod etiam, præcipua maximè voluptas Animæ illius ista est, habere quemcunque, qui illi semetipsum, vel alium quempiam, vel quàm plurimos alios, adaptet, offeratque glorificandos. Hinc illa admiran-

Iere. 15. 19. dæ dignationis, Dominica vox sonat; *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis: & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* En quàm pretiosum, speciosumque in conspectu Domini munus est: afferre illi Animas Electorum suorum, & offerre illas in gloriam & honorem nominis eius. Quodsi cui desiderabile minùs videtur, esse quasi os Domini sui, audiat, & exhorre-

1. Cor. 9. 16. scat ipse quoque ad metum Apostoli dicentis. *Nam & si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, væ enim mihi est, si non euangelizauero.* Væ, vox est faucium, & rictus diaboli: non oris Christi. Itaque quisquis ad os Domini pertinere, eiusque laude infrenari non satagit, rictu diaboli ringi, & rugire infelix debebit. Sed absit hoc ab ijs, qui assiduè supplicant DEO. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem*

Ephes. 6. 23. *tuam*; potiùs, *Pax talibus, & Charitas cum fide à* DEO *Patre,*

tre, & Domino IESV *Christo. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum* IESVM *Christum, in incorruptione.*

§. X.

Quantus sit Honor Electorum DEI, *glorificatorem habere* IESVM *Christum* DEVM-*Hominem?*

Honor Sanctorũ eximius ex Christo Glorificatore.

APud Psalmistam Regemque: maximæ atque vix credendæ dignationis esse videtur: Si DEVS meminisse hominis, & super eum ponere oculos suos dignetur; eò quod nihil sit homo, & filius hominis mera putredo, & vermis. Cogitasses ô Sancte, DEVM futurum innumerabilium hominum, glorificatorem ac beatificatorem per omnes æternitates: quis tunc tibi sensus animi, quæ admiratio cordis fuisset? Sed iam hodie experimento discis æternùm beato, quia Dominus præcinctus, facit Dilectos electos suos, super mensam beatitudinis suæ discumbere, & transiens ministrat illis. Quid opus multis? Gaudent subditi, si de manu liberalis Domini accipiant donaria, gaudent Milites, si de manu Imperatoris prædam, stipendia, coronasque victrices reportent, gaudent athletæ, dum de manu Agonothetæ coronantur, & brauium accipiunt, gaudent filij, hereditatem à Patre assignatam adeuntes: gaudent Sponsæ, à Sponsis suis magnificatæ: Non gaudebunt; non sibi ducent honori & gloriæ, Sancti à Christo Domino suo, gloriâ & honore circumdari, Coronas super capita sua de lapidibus pretiosis imponi, brauio æternitatis beatæ donari, & hæredes quidem DEI, cohæredes autem ipsiusmet Christi, reddi ac denunciari? Minuta plerumque donariola, sed vel à Magno viro, vel magno affectu, vel magni amoris signo dari contingat, magni æstimantur, & ob hoc pretium habent, atque ad seram posteritatem transmittuntur. Sanctis, Christus DEVS-Homo, affectu Diuino-Humano, sum-

Excell. 33. ſummum quod cogitari, imò magis ſummum, quàm cogitari poteſt Bonum, Beatitudinem ſcilicet æternam dat, donatque: & non erit hoc ingens Sanctorum Bonum? non erit hoc illis ſupremus honor? Ipſum occidi, & malè mulctari, modò manu Magni Herois contigiſſet, non pœnitendum mundanæ vanitatis æſtimationibus, quandoque viſum eſt; vnde illud: Nec magni Æneæ dextrâ cecidiſſe pigebit: Beatificari, glorificarique æternaliter, à Magnâ Magni DEI-Hominis manu, magnum & honorificum non erit? Dauid hâc etiam in vitâ elegit, abiectus eſſe in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis illuſtrium, potentiumque peccatorum: Moyſes grandis factus, cum poſſet videri filius filiæ Regis Pharaonis, negauit ſe eſſe, eligens magis affligi cum populo DEI, & ferre improperium Chriſti: quàm diuitias & theſauros Ægypti, fuitque hoc laudi coram DEO, tàm Moyſi, quàm Dauidi: Sanctis in domo Domini, incuius atrijs, melior eſt dies vna ſuper millia: non abiectis & neglectis eſſe. (Nam nimis honorati ſunt amici tui DEVS, nimiſque confortatus & exaltatus eſt principatus eorum,) ſed beatificari ab ipſo DEO, introduci in omne gaudium eius, donarique ab eo omnibus diuitijs, & theſauris & Regnis cæleſtibus in æternùm, non erit perhonorificum, non erit peramplum, non erit ſupremum bonorum omnium Bonum? Infeliciſſimus & nequiſſimus mortalium Aman: vno exceptus, & adhuc altero excipiendus conuiuio cum Rege Aſſuero, à Reginâ Eſther: gloriari & ſuperbire ſatis non potuit, coram Vxore & Amicis ſuis, quæ tamen conuiuatio illi demum in altiſſimæ furcæ, probrum mortemque deſiit. Quomodo Electos DEI omnes ac ſingulos gloriari & exultare conuenit, quibus æternùm beata cum Chriſto cænatio conferetur, & nunquam auferetur?

§. XI.

Quibus modis obtineatur ab Electis glorificatio Christi?

SVmmariè Dominus ad hoc respondet dicens cuidam: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: sed hoc fortasse intellexerit quis, de plebe Electorum, plebeiâque vitâ in cælo: hic autem excellentiorem illam cogitamus, quâ quisquis potitur, is Magnus vocabitur in regno cælorum. Ergo Dominus alicui dicenti; Domine, si pauci sunt, qui saluantur? subintulit. *Contendite intrare per angustam portam, quia arcta est via, & angusta porta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Quod si omnibus per angustam portam, penetrandum est: quanto magis triumphaliter ingressuris? compendiosè PAVLVS: *Si* (ait) *compatimur, & conglorificabimur*: & confirmans animas discipulorum, exhortansque, vt permanerent in fide, addebat, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum* DEI: *& quia omnes quicunq; volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur pro Christo.* Itaque, *ambulare vias asperas, delicatorum* DEI *est, ducuntur enim vt grex direptus*, & oues occisionis, mortificati totâ die, *ab inimicis*, quin etiam & dimittuntur *sicut oues in medio luporum*, non feritatem ab eis assumpturi, sed potiùs mansuetudinem suam lupos edocturi, non cum lupis perituri, sed lupos secum ad salutem perducturi, imitantes Christum suum, qui â quibus fudit, pro ijsdem fudit sanguinem suum, & eosdem morte suâ viuificauit, â quibus mortem ipsam suscepit.

Modi Obtinendæ glorificationis â Christo.

Luc. 13. 23.

Matt. 7. 14.

Rom. 8. 17.
2. Tim. 2. 12.
Act. 14. 21.

2. Tim. 3. 12.

Bar. 4. 26.

Matt. 10. 16.

Ac paucis multa dicendo: Christum & hunc Crucifixum induere, amplecti ea, quæ Christus amplexus est, odisse & fugere aspernarique ea, quæ ille contempsit: vitæ illius pauperi, humili, obedienti, mansuetæ, laboriosæ, patienti conformari, vnicâ DEI, voluntate, cuiuscunque

Excell. 33. cunque tandem formæ & saporis ea sit, cibari, & pasci, ad Iustitiam & patientiam Christi erudire multos, atque fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum, etiamq; millesimum offerre munus Christo: eidem seruire vsq; ad fatigationem, vsque ad confusionem, vsque ad sanguinem, vsque ad mortem, cupere dissolui, & esse cum Christo, & tamen non defugere manere in corpore, si hoc fratribus, proximisque sit salutare ac necessarium, deniq; nusquam & nunquam ea, quæ sua sunt: sed quæ DEI ac Domini IESV Christi gloriæ, charitatisque sunt ambitiosè, ac infatigabiliter quærere, & sic vsque ad mortem perseuerare, hæc via legitima est ad gloriam, & coronam, Col. 1. 22. 28. à Christo reportandam: Istud est *exhibere se sanctum, & immaculatum, & irreprehensibilem coram Christo, & perfectum in Christo.*

§. XII.

Ista quæ in præcedentibus dicta sunt, omni Christiano persuadere debent.

Christi⁹ Glorificator prouocat homines ad studiũ alienæ etiã perfectionis.

1. NIhil se facere posse gratius, & secundùm Cor. Christi, quàm si & seipsum, & quàm plurimos alios, pro gradu suo, perficiat, capacissimosque gloriæ Christi reddat.

Horrorẽ minimi peccati imminuentis glorificatonẽ

2. Eadem prædicta, persuadere debent omni Christiano, horrorem, fugamque omnimodam, ne aut sibi, aut alicui sit occasio causaue mala, non dico ruinæ spiritualis, aut æternæ damnationis, verùm etiam minoris, minusue excellentis apud Christum Dominum glorificationis. Quamuis propter hoc sit ei subeunda, ingratitudo, indignatio, censura, confusio, pæna, labor, crux, & quodlibet malum humanum, vt homo Christianus, plus honoret æstimet vnum Diuini oculi intuitum, cordisque gustum, quàm omnes omnium hominum oculos & respectus, & placita DEO ingrata.

3. Eadem

Æstimationē præmiatorū Christi

3. Eadem prædicta, debent omni Christiano persuadere, vt summi æstimet, faciatque IESVM Christum, præmiatorem beatificatoremque suum æternum in cælo, non tàm quia suum (quamuis & ideo,) sed quia IESVM Christum, DEVM Saluatorem, Redemptoremque suum, à quo tanto sumptu acquisitum est, velut summum præmium, Ius & munus ad glorificandum hominem, anhelet ergo totis virium suarum medullis, ad recipiendam à Christo gloriam: & ad disponendum se, in quàm maximâ copiâ recipiendam, vt per hoc quàm maximè exaltetur Dominus DEVS salutis, & felicitatis nostræ.

Venerationē Sanctorum.

4. Eadem prædicta, debent omni Christiano persuadere, magnam erga Sanctos DEI venerationem: Cum enim DEO tàm cordi sit sua, vel à se, Sanctorum suorum glorificatio, aliter fieri nequit, quàm vt etiam ad mentem DEI valdè sit honor ille, quam Sanctis eius impendimus. Exemplum enim sectamur DEI nostri, hâc in parte, & quodam modo adiuuamus Dominum in honoratione Sanctorum. Non quasi ille non sit huic operi sufficiens ipse, sed quod illum imitari per nos, dignum sit illo, ac proinde gratum illi: sicut Sanctos à nobis indignè haberi, iniuriosum est Domino, ac ideò ingratum ipsi. Præsertim cum Sanctos à nobis honorari: sit pars eius glorificationis, quam Christus Sanctis impendit: impendit autem, quia vt impenderet, meruit. Vnde manifestum euadit, quod qui Sanctos DEI debitè non colit, is & in Christum, & in Sanctos iniurius sit, subtrahens de mercede & Christi erga Sanctos, & Sanctorum à Christo.

Commensurationē voluntatis exequētis circà eâ propter Christū glorificatorem quæ intellectus exequēda proposuit.

5. Eadem prædicta, omni Christiano persuadere debent, vt quæcunque sciuerit vel necessaria, vel proficua esse ad gloriam, apud Christum comparandam, augendamque, diligentissimè & teneat, sequatur, exerceatque ipse, & tenenda, sequenda, exercendaque persuadeat, verbo, & exemplo alijs. Non tàm ideò, quia hoc ipsi alijsue sit causa gloriæ, apud Dominum amplioris, quàm potiùs, quia

Excell. 33. quia istud est Christo gratum, glorioſum, & Christi præmium, per labores paſſionis, ac mortis ſuæ, ab illo quæſitum, & acquiſitum.

§. XIII.

Christus Dominus tractat & beatificat Electos ſuos, Veritate ac Luce.

A Luce & veritate Christi beatificatio Electorũ.

ESt enim Chriſtus Veritas ipſa prima & æterna, eſt etiam lucerna ciuitatis illius cæleſtis, eſt lux vera, & lumen mundi illius ſupermundani, illuminans omnem hominem venientem, in illum Beatum Beatorum mundum. Quare in illo mundo, per omnia mundo, in quem nihil intrat coinquinatum, Chriſtus Dominus ciues & incolas, ſuos beatificat veritate, ſeu veriſſimâ luce, lucidiſſimâque veritate, manifeſtans omnibus ad oculum, quoniam illa omnia, quæ credebant in hâc mortali vitâ, quæ ſperabant, quæ amabant, quæ deſiderabant, propter quæ adipiſcenda, & ſibi & toti creaturæ renunciabant, omnem laborem, patientiam, mortificationem auidè ſuſcipiebant: omnia (inquam) illa fuiſſe & eſſe vera, certa, ſolida perennantia, magna, digna maiore longè labore, & perpeſſione, ſpe quoque & deſiderio eorum. Ita
Pſal. 92. 5. vt neceſſe habeant dicere Beati, illâ veritate paſti. *Domine, teſtimonia tua, credibilia facta ſunt nimis*, nobis iam en
Pſal. 47. 9. cernentibus, poſſidentibus, fruentibus. Et, *Sicut audiuimus, ſic vidimus*, & videmus in hâc tuâ Ciuitate Sanctâ, ô Sancte DEVS noſter. Neque verò ſolùm eam veritatem & lucem Sancti DEI vident, quam hic credebant, ſperabant, & amabant: ſed etiam aliam multam nimis, quæ hîc in oculum, aurem, cor eorum non aſcendebat, ibi autem aſcendit, & in eam ipſi aſcendunt, intrantes in gaudium Domini DEI ſui. Inſuper vident veritatem omnem ſtatui quiſque ſuo congruam, ſine vllâ admiſtione falſi, aut erroris, aut dubij, aut opinionis, ſicut nos hîc

vnam

vnam vix veritatem agnoscimus, innumeris cinctam dubietatibus, erroribus, falsitatibus, at ibi omnia in luce clarescunt, omnia in veritate patescunt, omnia in certitudine suâ agnoscuntur. Ipsos errores si vident, non erroneè vident, vident falsa, non falsò, nec falluntur, aut fallunt. Quid enim non videant, qui videntem omnia dent? Præterea Sancti in cælo, & Christo, non tantùm vident veritatem, sed etiam vident se videre veritatem, ac neque falli, nec posse falli. Ex quo veritate illâ toti possidentur, penetrantur, saginantur, & securi, quieti, contenti, felices, beati, glorioſi, in æternum perseuerant. O si tanta est animi hic exultatio, sæpè etiam exaltatio, & inflatio, ob cognitas scintillas alicuius veritatis: quid erit in luce illâ veritatis habitare, in lumine lumen; in in veritate, veritatem; lumen verum, de DEO vero, ab eodemque potius capi, quam illud capere? Et huius luminis atque veritatis, fons est Dominus noster IESVS Christus. In quo fonte non est vobis pars, neque sors ô Filij hominum graui corde, diligentes vanitatem, & quærentes, operantes, possidentes mendacium. Posuistis mendacium spem vestram, & pane mendacij sutarari concupiscitis: ideò & mendacium erit in æternùm pars vestra, & mendax ille, paterque omnis mendacij oggeret vobis, & non cessabit improperans, quia *filij scelesti vos, & semen mendax.* *Isaiæ. 57. 4.*

§. XIV.

Christus Dominus Sanctos suos pascit Bonitate, Charitate, Gaudio, & Voluptate.

Bonitate Charitate, Gaudio, & Voluptate Christi exūdat Beatitudo Sāctorū. Bar. 2. 27.

QVid enim aliud faciat bonus DEVS, in regno beatitudinis suæ Electis suis, quàm vt *impleat eos secundùm omnem bonitatem suam, & secundùm omnem miserationem suam illam magnam*, plantans eos in hæreditate Charitatis suæ, vt nunquam deficiat vox gaudij ab eis, neque voluptas

Excell. 33. luptas eorum â Domino DEO ipsorum auferatur? Intrabunt enim in gaudium Domini DEI sui, & faciet eos possessionem dilectionis suæ, & torrente voluptatis suæ potabit eos. Quid enim aliud est IESVS Christus, nisi
Ezech24.25. omne Bonum, & Charitas Patris? quid est aliud nisi oleum gaudij, & dignitatis? quid est aliud nisi Paradysus voluptatis? Explet ergo Christus omnem voluntatem Sanctorum suorum, & super explet etiam iuxta promissum
Luca. 6. 38. suum, quo dixit. *Mensuram bonam confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Beatitudo enim illa Sanctorum mensura quidem est, quia infinita non est, sed vnius cuiusque meritis admensa, est tamen ita copiosa, ita vltra condignum, ita supereffluens & coagitata, vt non capiatur à sinu Sanctorum, sed ipsum potius sinum Sanctorum, ac ipsos Sanctos capiat. Quamobrem etiam non dicitur Sanctis, Euge serue bone, intret in te gaudium Domini: sed intra in gaudium Domini tui. Nimirum & Sancti quidem capiunt, & apprehendunt illam voluptatem, dulcedinemque Diuinæ beatitudinis: si tamen copiam attendas voluptatis illius & excessum, non eam Sancti, sed illa Sanctos comprehendere, Sanctisque supereffluere meritò videtur, atque dicitur. Quæ namque lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit: illa supernæ Ciuitatis quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse, cum Beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere: præsentem DEI vultum cernere, incircumscriptum lumen videre; nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Atque
Luc. 22. 30. hoc totum opus IESV Christi est, qui dixit. *Et ego dispono vobis regnum: vt edatis, & bibatis super mensam meam:* edatis cibos voluptatis beatificæ, & inebriemini ab vbertate domus meæ. Nec iniuria? Quia enim Sancti, propter Christi imitationem, amorem, promissa, contempserunt omnia mundi istius, vitæque bona, & quæ illis esse poterant lucra, arbitrati sunt propter Christum detrimenta, circumferentes mortificationem IESV Christi in corpo-

corporibus suis, & *adimplentes ea, quæ deerant Passionum Christi in se, & pro Ecclesiâ illius:* quonam modo non etiam illis a Christo, merces magna nimis purissimæ dilectionis, atque dulcedinis, & voluptuosissimi gaudij retribueretur? quonam modo non satiarentur oleo gaudij fruentis, qui in spem promissionum Christi sustentabantur, expectatione charitatis desiderantis? Coloss. 1. 24.

§. XV.

Dominus IESVS *Christus Sanctos suos glorificat Gloriâ, Regno, Hæreditate cælesti:*

FAciens illos glorioſos, & Reges, & Hæredes DEI. Pertinet enim hoc ad magnificentiam eius, vt seruos suos gloriâ & honore coronet, regesque ex seruis constituat, ac propter amorem sui in terrâ nihil habentes, omnia in cælo, & ipsum inprimis DEVM possidere faciat. *Fecisti nos* (ait ad Christum populus Sanctus in cælo) *DEO nostro Regnum, & regnabimus,* non vsitatâ, vtique formâ loquendi. Neque enim regna regnant, sed potius regnantur à Regibus regnantibus, quomodo ergo ait, fecisti nos regnum, & regnabimus? An quomodo dicebat ille, & cum eo Ecclesia, DEO seruire, sic & DEI regnum esse, regnare est? An quia eos, quos in hâc mortali vitâ, Christus præceptis, consilijs, meritis, virtutibus, exemplis, gratijs ac donis suis fecerat DEO regna, eosdem ille idem in illâ æternâ vitâ faceret Beatitudine Reges, gloriâ Principes, potestate Dominatores, iuxtà illud, quod Regius Propheta eidem Christo occinebat. *Pro patribus tuis, nati sunt tibi Filij: constitues eos Principes super omnem terram,* etiam illam viuentium, proinde dicit populus ille Beatus: fecisti nos Regna, in mundo mortali nos tibi subijciens ac Patri: iam nunc in hoc beato mundo, fecisti nos Reges, & regnabimus in eo, perfruentes bonis tuis, & tui cælestis Patris. Quanquam & ita verum est dictum illud

Christ° glorificat suos Gloriâ.

Apoc. 1. 6. Regno.

Psal. 44. 17.

Excell. 33. illud Sanctorum, quod illi & regna, & Reges sint in cælo. Regna sunt, quia DEVS & Christus in eis regnat pacificè, beatè, gloriosè. Reges autem sunt, quia DEVS ipse, & Christus eius est Regnum eorum: facit enim voluntatem illorum, ita vt omnia quæ volunt habeant: sicut & nihil volunt, quod DEVM non deceat velle.

Hereditate. Non solùm autem ad Magnificentiam Christi, pertinet Sanctos suos facere Reges, & Hæredes cæli: sed etiam id ipsum præstare spectat ad fidelitatem, imò & ad Iustitiam ipsius. *Matt.29.29.* Ipse enim edixit: *Omnis qui reliquerit omnia propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ex Sanctis autem nemo est, qui non reliquerit propter Christum omnia sua, plurimi quidem affectu pariter, & effectu, adiecto etiam nihil possidendi voto, omnes autem fecerunt hoc ipsum saltem affectu, qui hoc mundo vtebantur, tanquam non vtentes, eumque possidebant, tanquam non possidentes. Quamuis autem multi Sanctorum talium, censu pauperes fuerant, & multa propter Christum relinquere in hoc mundo non poterant: quia tamen ijdem cupiditate, & desiderijs rerum mundanarum diuites fuerant, quæ postmodum desideria pro Domini sui amore deseruerant: ideo & isti non pauca, sed multa, imò omnia propter Christum reliquerant. Cum enim in nobis non culpetur census, sed affectus, quisquis propter Christum affectum & habita amandi, & amanda habendi dereliquit, multùm imò planè totum quod habere, vel desiderare, habere potuit, dereliquit. Sic factum est, vt nemo Sanctorum parum reliquerit propter Christum, quandoquidem quilibet eorum cuncta habendi desideria reliquit propter ipsum. Atque ita pertinet ad Christum, vt partim ex Iustitiâ, partim ex fidelitate promissionis suæ, centuplum cuique Sanctorum reddat. Et huic Iustitiæ, huic fidelitati, huic Magnificentiæ, atque liberalitati suæ indulgens Christus, ac abundè satisfaciens, gloriâ & honore Sanctos coronat, Reges, Hæredes, cohæredesque suos illos facit, vt qui erant in mundo isto contem-

contempti, stulti, angustiati, afflicti, purgamenta & peripsema mundi propter Christum, & cum Christo, sint glorioſi, sint Reges, sint Hæredes DEI per Christum, & cum Christo.

His tamen quæ nunc dicta sunt, non obstantibus: in integro manet, sua Apostolicæ, Religioſæque paupertatis prærogatiua, cui certum ac indubitatum est, præmium centupli, & possessionis vitæ æternæ, & assessionis in vltimo Iudicio, singulariſſimè à Christo Domino, sicut admiſſum, ita & attribuendum esse. Diuitem enim nimis Remuneratorem habemus, & speramus; & talem cui immensa in infinitum sit, Sanctos suos pro cuiusque gradu remunerandi, etiam supra condignum tàm facultas, quàm voluntas.

§. XVI.

Hæc quæ prædicta sunt omnem hominem Christianum confirmare, ac stabilire debent.

Christ⁹ Glorificator cõfirmat suos in virtutibus Theologicis.

1. IN viuacitate atque firmitate Fidei, Spei, Charitatisque, adinhærendum per eas virtutes, rebus à Christo Domino reuelatis, præceptis, consultis, propositis, promiſſisque, quoniam quæ complacuit ei promittere, eadem potens est quoque adimplere: Neque enim negare seipsum potest veritas DEVS.

Obseruatione Præceptorum

2. Eadem prædicta debent omnem Christianum, confirmare in ambulando per semitas mandatorum, voluntatumque Diuinarum: Verbum enim DEI, lucerna est pedibus audientium illud, & non est illis scandalum, in quo necesse est impingere, & velut cæcitate percussos palpare omnes, qui diligunt magis tenebras, quàm lucem, & quibus, vtpotè carnalibus, omnis Diuini Verbi veritas nox est.

Amore feruenti, & Mortificatione cõstãti.

3. Eadem prædicta debent omnem Christianum, confirmare in dilectione feruenti, & perpessione constanti morti-

Excell. 33. mortificationis IESV Christi, tàm in Corpore, quàm in Animâ, quandoquidem in hoc, vita Christiani cuiusque est, si spiritu desideria & facta carnis, & animalis voluntatis mortificauerit: & quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam qnæ reuelabitur in nobis, ad perennemque voluptatem æternæ vitæ, quæ torrente inundabit nobis.

Euacutione voluntatis propriæ

4. Eadem prædicta debent omnem Christianum, confirmare in expurgatione & euacuatione voluntatis suæ, ab omni amore creaturarum præsentium, simul ac præ-

1. Corit 7. 31. tereuntium. *Præterit enim figura mundi huius*, Ita vt non tantùm nihil velit, cupiatue: sed etiam nec velle, cupereque possit; quantùm quidem hæc cupiendi potestas in hâc vitâ excludi ab Animâ, per gratiam Saluatoris, potest. O Christiane, melle Diuino implendus es: si aceto cupiditatum plenus es; vbi mel pones? Effunde ergo acetum, vt melle implearis. Proijce abs te amorem terrenorum, vt cælestium hæreditate bonorum stabiliri possis; quomodo enim cælum & terra, ad inuicem disiuncta sunt, sic terrena & cælestia desideria, ab inuicem dissociantur. Quod ergo DEVS disiunxit, frustra est Homo, si coniungere velit.

§. XVII.

Christus Electos suos beatificat in cælo, Mercede, Coronâ, Denario, Præmio.

Christus in cælo suos muneratur: Mercede siue Denario.

QVia enim Dominus IESVS est ille Pater-familias, qui habet vineam, quam agricolis locauit, & ad quam excolendam operarios à mane, vsque ad vesperam submisit, facta cum eis conuentione ex denario diurno; Sancti verò operarij iustitiæ, pondus diei & æstus studiosè sufferentes, atque in hâc Domini Sabbaoth vineâ, in omne opus bonum operandum abundantes, ideo reddit illis Dominus mercedem suam, denarium scilicet diurnum.

num, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Item, quia Dominus IESVS agonothetes luctantium in certamine, & in stadio currentium, nec non Imperator Diuinorum Agminum, cum inuisibilibus inimicis diu noctuque decertantium: Sancti verò sunt, qui legitimè decertant in omni certamine, vsque in finem; propterea Christus Dominus, coronat Sanctos coronâ iustitiæ, donat brauio, palmas manibus inserit, & exhibet manna absconditum, & nomen nouum, facit illos columnas in templo suo, & dat eis in suo throno sedere secum. Ad extremùm, quia Dominus IESVS est Homo diues, qui inter seruos suos, Mnas, & talenta, & bona sua distribuit, secundùm propriam cuiusque virtutem, iubens vt negotiarentur in eis, dum ille accepto sibi regno rediret: porrò Sancti sunt serui boni, fideles, ac prudentes, qui non defoderunt pecuniam Domini, sudario inuolutam, sed negotiati sunt in talentis & bonis Domini diligenter, afferentes ei fructum in lætitiâ & abundantiâ; ideò & Dominus reddit eis præmia meritorum, & dat illis potestatem supra decem ciuitates, constituit illos super omnia bona sua, qui super pauca fideles fuerunt, ac demùm introducit illos in gaudium suum æternum.

Coronâ.

Præmio.

§. XVIII.

Dominus IESVS *Christus beatificat Sanctos suos vitâ, & vbertate, plenitudine, satietate omnis Boni.*

Christ⁹ beatificat suos Vitâ.

HOc quippe est proprijssimum munus eius, dare vitam, & abundantem quidem vitam, & æternam quidem vitam, ijs omnibus, quos inuenit dignos se. *Ego* (inquit ipse Dominus) *veni vt oues meæ vitam habeant: & abundantiùs habeant; Et ego vitam æternam do eis.* Accedit quod cum Christus nihil sit aliud, nisi vita, & quidquid in eo est, vitale, & vita ipsa est: adeo vt & ipsa mors

Ioan. 10. 63.

Excell. 33. eius, sit vita nostra, quâ ex mortuis resuscitamur in æternam vitam; Ipse quoque est Patris Cor, atque vita: quo-
Ioan. 1. 4. niam *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*; inde sit vt Christus, non aliud possit dare Sanctis suis, nisi quod sit vitale, viuificum, & ipsa vera vita: Ipse est Lignum vitæ in medio paradisi situatum, cuius ipsa quoque folia sunt ad salutem, atque ad sanitatem Gentium: quoniam & ipsa
Ioan. 10. 10. verba, *Spiritus & vita sunt, & verba vitæ æternæ sunt.* Dat ergo Sanctis vitam, & dat immortalem, ideoque dat cum plenitudine, & satietate; In eâ enim dat semetipsum, ipse verò est plenitudo, & habet in se omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitantem corporaliter. Ipse etiam est omne bonum, & omne omnis boni Bonum. Quidni ergo satiet Sanctos vbertate, & plenitudine omnis boni? Præsertim cum idem ipse sit mammilla æterni sui Patris, & vber Diuinitatis. Mensa quoque lactescens, & nutrix
Et satietate omnù Boni. omnium, ac mundi nutritor. Quid enim ab hâc mammillâ, ab isto vbere, ab istâ nutrice non trahunt, non sugunt, non sumunt illi Filij excussorum, illi paruuli in Christo, sed tamen grandes in cælo: qui pauperes opibus, diuites operibus, per angustam portam intrauerunt in regnum cælorum? Tales sunt, qui etiam hâc in vitâ licet, clamant nihilominùs DEO, satis est Domine, satis est, qui clamant Domino: quid seruas in cælo, si tantùm profundis in exilio?

§. XIX.

Christus IESVS *beatificat Sanctos suos Vnione, & communicatione mutuâ:*

Christi beatificat suos mutuâ sui & bonorũ cõmunicatione

TVm scilicet ipsorum cum DEO, & DEI cum eis: tùm ipsorum secum, & sui cum ipsis; tùm deniquè ipsorum ad inuicem, vniuscuiusque cum omnibus, & omni-
Hebr. 12. 22. um cum vnoquoque. *Accessistis ad Sion montem, & Ciuitatem DEI viuentis Ierusalem cælestem, & multorum millium fre-*

um frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium DEVM, *& spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem* IESVM. In illâ quippè beatitudine æternâ, omnia & omnes vnum sunt: quia DEVS est omnia in omnibus, & omnes vnum in DEO: hoc ita postulante ipso Christo à Patre, *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Tanta enim sese illis DEVS effundit, & infundit copiâ, vt omnes absorbeat, & quasi in se vnum attrahat, vnumque secum faciat. Christus quoque pro suâ (DEI-Hominis) parte, hoc vnum operatur in cælo, vt Sancti sint vnum cum ipso, vnum non tantùm spiritu, sed etiam quodam modo corpore. Nam si hoc in istâ etiam vitâ agebat, vt efficeremur corpus eius, & illi concorporei, ob idque nobis dabat corpus suum ad vescendum, & sanguinem ad potandum, vt habentes illum nobis immistum, & habentes Corpus eius in nos contemperatum, vnum quid simus, tanquam corpus capiti vnitum, fiamusque Christi consanguinei, ac ipsi reddamur (vt dixi) concorporei: sicuti si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit necesse est, vt alteram cum alterâ commisceat: sic qui sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Et sicut parum fermenti, totam massam fermentat, sic parunla benedictio totum hominem in se ipsam attrahit, & suâ gratiâ replet, & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. *Ioan. 17. 21.*

Hoc (inquam) si Christus Dominus hâc in vitâ agebat, mediante Sanctissimo Eucharistiæ SACRAMENTO, quantò magis hoc aget in cælo, vt Sancti sint vnum cum ipso, idque ita, sicut ille & Pater vnum sunt. In cælo enim Christus, est absolutissimè & perfectissimè caput corporis sui, quod est Ecclesia, & membrorum, quæ sunt Sancti Beati, in cælo ergo maximè compaginatur Caput & Corpus, & in corpore membra, simul cum Capite. Denique, cum in cælo charitas sit, quæ beatificat Sanctos,

Excell. 33. ctos, Charitas autem non quærat, quæ sua sunt, sed quæ aliorum, vt quæ tota sit ad alios, tanquam vera & propria Amicitia: ita certè fit, vt Sancti, qui sunt filij Charitatis omnes, fiant inter se vnum omnes; adeo vt vnus sit omnium, & omnes vnius, & singuli singulorum, & omnes omnium. Ideoque vnus omnium bonis sic gaudet, vt suis proprijs: & omnes sic gaudent vnius bono, ac suo proprio: fiuntque bona omnium communia: quoniam vnus omnibus communis est DEVS, vnus omnium communis Christus. Vna quoque communis est omnibus Charitas, & sunt mutuis bonis diuites, pleni, ac beati; perinde, vt in Corpore viuo, sano, vegeto; membra omnia, sunt mutuâ sanitatè viua, sana, vegeta, robusta, formosa. Et hoc quidem operatur in Corpore vnus, ac idem eius Spiritus, quidni ergo idem, imò millies melius & perfectius, in Sanctis suis operetur Dominus JESVS Christus?

§ XX.

Hæc quæ prædicta sunt animare debent omnem Christianum.

Christ⁹ Glorificator animat quẽq; ad Laborem &c. perfectissimum.

1. AD laborandum, ad pugnandum, ad currendum, ad negotiandum, assiduè, strenuè, fideliter, prudenter, tanquam bonus operarius, strenuus miles, indefessus cursor, seruus fidelis, negotiator prudens, quoad vsque veniat Dominus, qui ponet rationem cum seruis suis, & reddet vnicuique secundùm fidelitatem & prudentiam eius. Non ergo Christiane cesset pes tuus, non langueat manus tua. Age, quod agis: donec veniat sicut mercenarij dies tua, in quâ dicetur tibi, & omni iusto, quoniam benè, quoniam ad inuentionem manuum suarum comedet. Id verò illè, vel maximè faciat, qui viderit sibi appropinquantem finem, instareque velocem huius luteæ, suæ domus dissolutionem, & pastoritij tabernaculi

naculi depositionem. Tunc enim ingeminare oportet; Ohe, tempus breue est, cælum verò adhuc procul distat. Cursus ergo adduplicandus est.

Vitâ absconditâ in DEO.

2. Eadem prædicta Christianum omnem animare debent, ad viuendam vitam absconditam cum Christo, & pro Christo in DEO, ad expurgandum quoque vetus fermentum, corrigendum quoque palatum, ne carnes & porros Ægypti sapiat vel cupiat, Angelorum verò panem obnauseet, ne inter sepulchra concupiscentiæ demoretur, potius ad conditionem pusillorum redeat, vt mammilla Regum lactari, nutrici omnium Gratiæ nutriendus committi, & ad vbera æternæ beatitudinis lacte turgentia portari, & admoueri mereatur.

Viâ dilectionis & Spiritu Charitatis Christi.

3. Eadem prædicta omnem Christianum animare debent, ad ambulandum in dilectione, & in spiritu Charitatis Christi semper, vt quantum fieri potest totus Charitati insistat, totus Charitate constet, totus ex Charitate operetur, totus Charitas DEI, & proximi fiat, quatenus fiat vnum cum DEO, qui Charitas est, vnum cum Christo, qui & ipse Charitas est, vnum & cum omnibus Sanctis, qui & ipsi filij Charitatis sunt, & omnes alter-vtrum fratres.

§. XXI.

Dominus IESVS *Christus beatificat Sanctos suos, sacratissimâ Humanitate suâ.*

Christus beatificat suos Humanitate suâ, tanquâ secundario principali obiecto beatitudinis.

Siue, illius visione, possessione, fruitione, pulchritudine, formâ, dotibus, siue Maiestate tàm in Animâ, quàm in Corpore residentibus, ac à Diuinitate VERBI promanantibus. Etsi enim principalis, & essentialis Sanctorum gloria & Beatitudo, non consistit in Visione ac fruitione Humanitatis IESV Christi, attamen hæc est, secundarium, principale beatitudinis eorum principium & obiectum, adeò vt attendendo ad totalem, totius alicuius,

Excell. 33. præsertim Hominis Beati, beatitudinem, si in cælo Humanitas Christi non esset, quæ sensibiliter Sancti beatitudinem compleret, minus esset perfecta, minusque tota esset eius beatitudo, deesset quippe beato corpori, quin etiam Animæ, quo eius beatitudo perficeretur, & quod ex Visione Essentiæ DEI haberi, trahique non posset. Vt igitur esset ex omni parte plena Beatitudo Sanctorum, præsertim hominum, necesse erat esse Humanitatem glorioſam VERBI in cælo, cuius fruitione (vt ita dicam) sensibili, etiam sensitiua beatorum portio completè beatificaretur, præsertim cum Sacratissima Humanitas illa, fuerit in hâc vitâ mortali, & VERBO instrumentum seruiens valde ad Redemptionem, salutem, instructionem, exemplumque Sanctorum, ob quod sine dubio, decens quoque valdè est, vt sit etiam instrumentum beatificandorum: & Sanctis fuit via, atque Ianua, medium & adiumentum præcipuum ad DEVM, tùm ratione mysterij Incarnationis simpliciter & absolutè, tùm ratione operum à VERBO in eâ, & per eam gestorum, tùm ratione Sacrificij altaris, atque SACRAMENTI Eucharistiæ, tùm ratione Capitis, tùm denique ratione Exempli Archetypi, ad imitandum Sanctis propositi, ab ipsisque singulariter imitando expressi. Ista enim omnia requirunt, quasi connaturaliter, vt eadem Glorioſa Humanitas VERBI, esset etiam præmium Sanctorum, & fons aliquis beatitudinis eorum; impleretur*que* Prophetica promissio dicens. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris*, siue ij fontes essent Diuinitas & Humanitas, siue Vulnera in Corpore Christi, etiam ad beatitudinem reseruata. Vt quemadmodum in hâc vitâ, per Humanitatem VERBI peruenirent Sancti omnes ad Gratiam: sic per eandem etiam peruenirent ad Gloriam, & quemadmodum hîc fruendo per fidem, spem, charitatem, imitationem, ac Eucharisticam sumptionem Humanitate VERBI, pergebant ad filiorum DEI adoptionem, & accipiebant pignus hæreditatis æternæ: sic ibi in cælo, fruendo visibiliter eadem

Esai. 12. 3.

eâdem ipsâ Humanitate VERBI, pertingerent ad realem, & veram, & plenam possessionem DEI, tanquam Hæreditatis æternæ. Atque si teste ipso Domino, *beati erant oculi discipulorum*, qui in carne videbant, audiebantque commorantem DEVM-Hominem, quæ felicitas Veteris testamenti Regibus Prophetisque Sanctis non obtigerat: quantò magis beati sunt Electorum oculi, auresque in cælo, fruentes sacratissimæ, ac beatissimæ eiusdem Humanitatis VERBI, conuictu, conspectu, consortio glorioso, simul ac glorificante per omnem æternitatem. *Luc. 10. 23.*

§. XXII.

Dominus IESVS *Christus glorificat Electos suos, suâ superbeatissimâ Diuinitate.*

Christ⁹ beatificat in cælo suos Diuinitate tãquam primæ principali Origenaliq; beatitudine, ac cõsũmatâ felicitate.

SCilicet Visione intuitiuâ facie ad faciem, fruitione, possessione, atque Hæreditatione veri DEI, Magni DEI, optimi super omnia bona DEI, Patris, Verbi, Spiritûs Sancti. Ista enim est Originalis, & Essentialis, suprema & consummata Beatitudo, DEVM videre, DEO frui, de DEO gaudere, cum DEO esse, non iam per fidem, spem, desiderium: sed sicuti est, sed per comprehensionem, sed per introitum, & intromissionem in potentias, in plenitudinem, in Essentiam Domini. Ad hoc Christus, est Christus, ad hoc (inquam) est DEVS homo factus, vt nos Diuinitatis suæ tribueret esse participes, hæredes, fruitores. Ergo sicut ad hoc Christus Sanctos deducit, tanquam via, tanquam ostium, tanquam Pastor, tanquam Magister, tanquam Dux, tanquam Caput, vt eant & perueniant ad DEVM: ita etiam ille idem eosdem inducit in locum pascuæ, in regnum opulentiæ, in mare voluptatis, in abyssum omnis Boni: in ipsum scilicet DEVM, hoc est, in seipsum, & ostendit ac dat eis DEVM, aperit eis catarractas gloriæ, diluuia beatitudinis immittit in eos, & absorbet eos, in abyssis Deitatis suæ,

Excell. 33. in viſceribus felicitatis, atque bonitatis ſuæ. Vt hoc modo ipſe ſit Alpha & Omega, principium & finis, primus & nouiſſimus, Via, Veritas, & Vita. Bonum ſuper omne bonum, vita ſuper omnem vitam, beatitudo omni beatitudine beatior, quam nihil minuit, nihil contriſtat, nihil conturbat, nihil ſuccedit. Cui fons DEVS, principium DEVS, eſſentia DEVS, æternitas DEVS, omnia DEVS. O ſtatus, in quo ſtatur & manetur ſemper. O locus, qui nunquam mutatur. O Diuitiæ, nunquam deficientes. O ſatietas, abſque nauſeâ: O fames abſque carentiâ. DEVS ſemper DEVS, ſine fine DEVS, ſine defectu DEVS. Æternitas DEVS. Ipſe eſt cibus, quo beatos cibat Chriſtus: ipſe eſt potus, quo beatos potat Chriſtus: ipſe eſt opulentia, quâ Beatos ditat Chriſtus: ipſe eſt omnia, quod eſt in omnibus, per omnia Chriſtus, & omne omnium Bonum Chriſtus, omne omnis boni bonum Chriſtus.

§. XXIII.

Dominus IESVS *Chriſtus Electos ſuos beatificat Æternitate, & ſecuritate.*

Chriſt⁹ beatificat ſuos Æternitate bonorum & ſecuritate.

NEque enim beati eſſent beati, niſi in æternùm eſſent beati, & niſi ſecuri eſſent, quod per omnem æternitatem futuri ſint beati. Ergo hoc etiam Domini IESV Chriſti eſt munus, hoc officium, hoc præmium in Sanctos, quod illos faciat de bonis æternis, quod illos introducat in portas, in domos, in regna, in clauſtra æternitatis, nunquam tranſituræ, nunquam tranſeundæ, è quibus non poſſint ſi velint, non velint ſi poſſint egredi, adeò Sancti in illâ Patriâ, à Chriſto collocati nec velle poſſunt, nec poſſe volunt non eſſe beati. O felix ſtatus, verè ſtatus, in quo non eſt motus, à quo non eſt tranſitus, non eſt ſpes, non eſt metus, ſed deſperatio omnis mali, & certa poſſeſſio omnis boni, eſt æterna ſecuri-

ſecuritas, & ſecura æternitas, & felix ſuauitas, & ſuauis iucunditas, & iucunda beatitas, & beata vita, & vita æterna, & hæc omnia Chriſtus, fons Chriſtus, mare Chriſtus, abyſſus Chriſtus.

§. XXIV.

Hæc prædicta omnem Chriſtianum excitare debent.

Chriſti glorificator hortatur vnumquemq; ad Amorem &c. Humanitatis ſuæ.

1. AD amorem, imitationem, deſideriumque Sacratiſſimæ Humanitatis Chriſti: æmulando in hoc omnes Sanctos, tàm huius mortalis, quàm illius immortalis vitæ, quos in eo ſtudio erga Dominum IESVM excelluiſſe conſtat. Talis fuit Beatus PETRVS, qui tertiùm interrogatus à Domino, an eum plus alijs diligeret, non dubitauit, allegatâ ſibi in teſtimonium ipſiusmet Domini omni ſcientiâ, non inquam dubitauit affirmare, quod Dominum plus omnibus diligeret. O quantus amator, & quanto teſtatore amator PETRVS! Quid verò PAVLVS? is quidem erat *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*: nihilominus propter amorem Chriſti, non abnuebat remanere in carne, remanere in periculis in plagis, in naufragijs, in inſidijs, in mortibus frequentibus & quotidianis, propter Electos, propter ſeruos Chriſti. Neque hoc ſatis PAVLO. *Optabam* (ait) *ego, ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis*, Chriſto meo inimicis; Quid eſt, quod dicis PAVLE, ſatisnè tui compos es: an te multa Charitas adinſaniam adducit? Ita ne? optas carere Chriſto, dummodo inimici Chriſti, amici fiant, & non careant Chriſto? Omnes ſiue in terrâ, ſiue in cælo amatores Chriſti, iudices ſint, de iſto amore PAVLI, erga Chriſtum, ſitnè Amor, an quid plus, quàm Amor Chriſti?

Phil. 1. 23.

Rom. 9. 3.

Et Diuinitatis. Emũdationẽ oculorum Cordis.

2. Eadem prædicta omnem Chriſtianum, excitare debent ad amandum ardentiſſimè, concupiſcendamque fame-

Excell. 33 famelicissimè Diuinitatem Christi, tùm verò ad exactissimam emundationem oculorum cordis, quibus videatur
Matth. 5. 6. possideaturque, quàm serenissimè DEVS Christus. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Mundum cor, amans, & amore ardens cor est, quantò ardentiùs diligimus, tantò serenius videbimus. O amare! ô ardere! ô Amore perire! ô ad DEVM videndum peruenire! ô IESVM, qui cum Patre & Spiritu Sancto, est benedictus super omnia DEVS in æternùm videre!

Timorem & cautelam. 3. Eadem prædicta omnem Christianum firmare, & cautum facere debent: tùm vt cum metu & tremore, operetur salutem suam semper; tales siquidem manet illa secura æternitas, atque æterna securitas. Beatus enim, qui semper est pauidus, tùm vt non fatigetur neq; frangatur, siue labore, siue dolore, siue expectatione atque dilatione futuræ gloriæ. Diu enim desiderandum est, quod semper possidendum est, & ad magna præmia paruo labore, peruenìri non potest, deniquè magnæ & æternæ consolationes, non modico dolore mercandæ sunt.

§. XXV.

Domino IESV *Christo, Sancti eius in cælo, sunt Exercitus, seu Legiones, atq; milites.*

Christ⁹ in cælo tanquam Imperator medios inter milites.

DOminus autem IESVS est, eorum Ductor ac Imperator. Non quod in cælo sint, aut esse possint bella, seditiones, prælia: (semel id tantùm euenit, quando Sanctus Michaël, *& Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Angelis eius: sed eiectus est Draco cum suis, & non est inuentus amplius locus eorum in cælo,*) siquidem illius Ciuitatis
Apoc. 12. 7. Psal. 147. 14. supernæ, *Dominus fines posuit Pacem, & confortauit seras portarum eius,* sed quia qui isthic sunt, & qui istuc veniunt, omnes sunt qui pugnauerunt, aut etiamnum hic pugnant cum antiquo serpente: & sunt Milites, ac propugnato-

gnatores; pugnantes bella Domini, & propugnantes Legem, Iustitiam, Veritatem, Gloriamque illius, quapropter sunt Legiones, & Castra, & Milites in cælo: & in medio eorum Imperator IESVS, qui & ipse pugnauit & vicit, & accepit virtutem, & Diuinitatem; Isti milites recensent, prælia, vulnera, pericula, victorias suas, meritaque sua, gloriantes in Domino, & coronas, palmasque suas deponentes ante thronum DEI, & Agni, huic Exercitui Ecclesia, militans quotidie supplementa mittit: vt impleatur numerus fratrum & electorum, & ædificentur muri Beatæ Ierusalem. Hic Exercitus Ecclesiam militantem propugnat, & protegit, ab impetitione Draconis: quâ meritis, quâ precibus, quâ Exemplis. Hic Exercitus veniet cum Christo de cælo, ad iudicium vltimum, cum virtute & maiestate multâ, in nubibus venientem.

§. XXVI.

Sancti in cælo, sunt IESV *Christi præda & spolia.*

Christo Beata in cælo spolia.

DOminus enim IESVS de cælo, in mundum prædaturus venit, & hoc est nomen illi â Natiuitate suâ. *Accelera, festina prædare: Ad prædam fili mi ascendisti,* aiebat eidem Pater suus IACOB, deniquę, qui benedicebant Dauid succlamabant, *Hæc est præda Dauid, accipite de benedictionibus Domini.* Sancti itaque sunt præda veri Dauidis, præda quam Iacob *abstulit de manu Amorrhæi in arcu suo, & gladio;* præda & captiuitas, quam eduxit Christus ereptam iniquo possessori diabolo, forti armato, sed fortior spolia detrahere superueniens, arma confidentiæ illius, auferens ac diuidens, atque sibi vendicans. Olim enim Sancti fuêre tenebræ, & filij tenebrarum: iam autem lux in Domino, & filij lucis; olim non populus & absque misericordiâ, nunc autem populus acquisitionis, & misericordiam consecutus. His itaque spolijs & prædis onustus,

Esaiæ. 8. 3.

1. Reg 30 20.
Ibid ij. 26.
Gen. 48. 22.

Excell. 33. onustus, & ditatus Magnus prædator Christus, venit in cælum, tanquam Dominus virtutum, tanquam Dominus fortis & potens in prælio. Talibus prædis & vasis captiuitatis, etiam hodie ditatur in cælo, & occinitur illi: *Percussit Saul mille: at Dauid, decem millia: etenim manus Domini erat cum illo; percussit Philistæum, & abstulit opprobrium ab Israel.* Et illud etiam: *Vicit Leo de tribu Iudâ.* Leo & simul Agnus. *Agnus, dignus accipere virtutem, & honorem, & fortitudinem, & Diuinitatem.* O Christiani: vtinam nos quoque inter hæc spolia, inter hasce prædas, atque manubias Domini IESV connumeremur! vtinam quisque nostrûm sit ex eis, quos se de manu fortis armati, fortior rapuisso glorietur Dominus noster IESVS Christus!

Apoc. 5. 5.

Apoc. 5. 12.

§. XXVII.

Sancti in cælo, sunt IESV *Christi Trophæa, & pompæ, arcusq; Triumphales:*

Christo Beati, Trophæa & Triũphi.

ADeò vt tot Christus erigat trophæa, totque agat Triumphos, quot habet Sanctos, quot excipit & coronat Electos. Licuit PAVLO Apostolo, (& cui nisi IESV Christi seruo, ac ministro?) licuit inquam scribere ad eos quos Christo, vel potius quos sibi Christus per PAVLVM lucri fecerat & subegerat, de potestate diaboli ereptos: *Gaudium meum, & corona mea.* Non licebit Christo; vel plenius, non erunt Christo Sancti sui Gaudium, Corona, Trophæa, Triumphi? Sanè. Quantum Christi trophæum PETRVS Apostolorum Princeps? quantus Triumphus Christi ipse PAVLVS? quantum Christi gaudium ANDREAS? quanta Corona Christi STEPHANVS? quanta Trophæa Christi, ille Sanctorum Legiones, veteris iuxta nouique Testamenti? illi Martyrum exercitus, illa Religiosorum Confessorumque agmina? illi Virginum, Matronarumque conculcatores ac debellatores, tàm-

Philip. 4. 1.

tàm carnis, quàm mundi dæmonumque, glorioſiſſimi, ſpectatiſſimique cætûs! Quid te vocabo: *O Signum Magnum in cælo, Mulier amicta Sole, ſub cuius pedibus Luna, ſupra cuius Caput Corona ſtellarum duodecim, terribilis vt caſtrorum acies ordinata;* Chriſti Mater, & Virgo MARIA? Et tu Trophæum Chriſti es, vel potiùs, quid omni cæleſti Trophæo maius, gaudium, & corona, & coronatrix Chriſti: Etiam Angeli ſancti, ſunt trophæum Chriſti: quorum zelus & victoria pro Chriſto, vnica quidem, at quæ omnium inſtar ſit reſonat ſucclamatione triumphali: Quis vt DEVS? Super omnia verò ipſemet ſibi Chriſtus IESVS DEVS-Homo, Verbum Caro, trophæum eſt grande nimis, quod ita exornatur coronaturque omnibus, omnium Sanctorum ornamentis, tanquam ex meritis gratiâque illius deſumptis, vt ſimul ipſum ſit, omnium decorum decus, omnium coronarum corona, omnis gloriæ gloria. O quale eſt illud vniuerſæ Ciuitatis DEI gaudium, qualis gloria? vbi quacunque circumtuleris oculorum obtutum, omnia videas pleniſſima trophæis Chriſti, triumphis Chriſti, exaltationibus & exultationibus, & omni gloriâ Chriſti. *Apoc. 12. 1.*

§ XXVIII.

Prædicta, omnem Chriſtianum docent hortanturque.

1. MIlitare militiam Chriſti, & caſtris eius accentuariari, & ſub ſigna ipſius colligi, induere arma potentia DEO, & armaturam omnem DEI: tum verò certare quaſi bonus Miles, & luctari contra carnem & ſanguinem: contra principes & poteſtates tenebrarum, contra mundi rectores, aduersùs ſpiritualia nequitiæ, & nequiſſimos ſpiritûs. *Chriſti Glorificator excitat ad certamen bonorum militũ Chriſti.*

2. Prædicta docent omnem Chriſtianum, curare vt & ipſe ſit ſpolium, prædaque Chriſti, & vel vltroneè ſe illi in *Ad curam, vt ſimũ inter prædas Chriſti.*

Excell. 33. in prædam dare. Insuper verò, quàm maximam dare operam, vt quàm plurimos proximos, prædas etiam Christi faciat, ditetque Christum opimis spolijs, nullum, quoad fas fieri, momentum prætermittens vitæ, quo non aliquid prædarum Christo in cælum deferat: exerens & exercens amabiles Christo Animarum prædationes: siue Orationibus, & votis desiderijsque, siue prædicationibus, doctrinis, consilijs, salutaribusque monitis, siue perpetuis bonorum operum, atque morum exemplis. Talibus enim hostijs promeretur DEVS, talibus spolijs prædisque delectatur Christus, talibus manubijs ditatur Rex noster IESVS, talibus trophæis ornatur & exaltatur Imperator DEVS-Homo.

§. XXIX.

Sancti in cælo sunt specula & imagines, ad viuum & genuinis coloribus in sese IESVM *Christum ipsimet Christo, & omnibus qui in cælo sunt, glorioſissimè repræsentantes.*

Beati in cælo, specula sunt, Christum re præsentatia.

ITa vt quodam modo tot esse in cælo Christi videantur, quot sunt Sancti. Neque enim quisquam Sanctorum, aliâ conditione ad cælum admittitur, quàm si in se efformatam, elaboratamque IESV Christi imaginem, quàm optimè attulerit. Itaque intraturis in cælum indubitatè, quæstio illa proponitur; *Cuius est hæc imago?* omninoque exigitur, vt omnes cæli incolæ, portent imaginem in se Hominis cælestis, qui est Christus, & tales sint cælestes, qualis & Cælestis, aliàs qui secus faxit dicitur ei. *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem:* nec portans cælestis Hominis imaginem?

Mar. 12. 16.

Matt. 22. 12.

O quale est illud Sanctorum regnum, in quo tot Christi sunt, quot Sancti: in quo toties est Christus, quoties relucet ac videtur in Sanctis! O quantus etiam est Domi-

Dominus noſter IESVS Chriſtus, quem tot Sancti, id eſt, tot viuæ, veræ, perfectæque Imagines repræſentant, & in tot exactis, terſisque ſpeculis refulget? In ſingulis verò aliter & aliter, & licet vbique perfectè, & Chriſto dignè, nuſquam tamen per omnia Chriſto adæquatè. Reſplendet in vno aliquo Sancto Charitas Chriſti, reſplendet in alio Humilitas, in alio Manſuetudo, & ſic deinceps: in omnibus ſicut in Chriſto, & dignè Chriſto: attamen non adæquatè Chriſto. Rectè enim & verè dictum eſt. Quantumcunque te deieceris, humilior Chriſto nunquam eris, quod & de omni aliâ virtute, ac ſimilitudine Chriſti ſentiendum eſt. Tanta eſt enim Charitas, Humilitas, Manſuetudo, Patientia, & omnis alia perfectio Chriſti, vt nulla earum, neque ab vno aliquo Sancto, neque ab omnibus ſimul Sanctis, tota adæquari poſſit. Jdque dixerim, non tantùm habitâ ratione Perſonæ Chriſti, ſed etiam ratione ipſius cuiuſque virtutis gradûs, & excellentiæ, & exemplaritatis. Ita ſancti ſunt Jmagines, & ſpecula Chriſti: non quidem adæquata, & planè paria Chriſto: non tamen indigna Chriſto, quoniam in omnibus dignè relucet, exaltaturque Chriſtus.

§. XXX.

Sancti in Cælo ſunt Amici, & conuiuæ, hoſpites q; Chriſti.

QVi ſedent ad Menſam eius, & quibus ipſe iuxtà promiſſum ſuum, præcinctus & tranſiens miniſtrat; & dicit, Comedite Amici, & bibite, & inebriamini Chariſſimi. Et quid miniſtrat? qualem cibum, qualem potum? Ipſe Menſa, ipſe cibus, ipſe potus, ipſe ſapor, ipſe ſuauitas, & dulcedo, ipſe Miniſter eſt. Vide hoc ab illo fieri in militante Eccleſiâ, ipſe Paſtor, ipſe menſa, ipſe cibus, ipſe potus, ipſe Altare, ipſe Sacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe Ignis, ipſe DEVS: quantò magis hoc erit ibi,

Beati, in cælo, cõuiuæ cũ Chriſto.

Excell. 33. ibi, vbi est omnia in omnibus? Et quidni pinguescant, saginentur, inebrientur, in tàm vbere pascuæ loco collocati? tanto cibo, tanto potu, ipso scilicet DEO-Homine, ab ipso DEO-Homine pasti, & potati? Non te fefellit

Psal. 16. 15. spes tua ô Dauid sancte, quâ exclamabas: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ergo satiaris illo cibo, illo potu atque calice, de quo pariter admirans dicebas. Calix meus inebrians, quàm præclarus est? & quem sitiebas,

Psal. 41. 2. quando æstuans aiebas. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat ad te Anima mea DEVS.* Regina Austri de seruis Salomonis dicebat, videns eorum

3. Reg. 10. 8. ordinem ministeria, cibos, vestimenta. *Beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam,* quid dicendum est de Sanctis DEI nostri, qui sedent ad Men-

Matt. 12. 42. sam eius, sicut Amici eius. *Nonnè plusquam Salomon hic?*

§. XXXI.

Sancti sunt, IESV *Christi thesaurus, imò Thesauri in cælo reconditi, & quidem tot, ac tanti, quot & quanti sunt Sancti.*

Beati, intelo, Thesauri sùt Christo.

HI enim sunt reuera thesauri illi absconditi, quondam in Agro Electionis Diuinæ primùm, deinde in agro militantis Ecclesiæ, quos prouidentissimus homo IESVS inueniens: vendidit omnia quæ habuit, & tradidit omnem substantiam Domus suæ, & emit Agrum illum, cum thesauris istis. Hi sunt bonæ & pretiosæ Margaritæ, quarum vnamquamque prudens Negotiator, omnibus suis distractis comparauit. Non admittuntur ad cælum vlli, nisi qui supra fundamentum, quod etiam est ipse IESVS, superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos. Quia enim inferendi, ac inserendi sunt Ciui-

Apoc. 21. 18. tati illi, quæ *tota est aurum mundum,* cuius ornamentum omnis lapis pretiosus, cuius fundamentum ex lapidibus pretiosis, non possunt esse aliter idonei huic ædificio:

nisi

nisi & ipsi sint per omnia pretiosi, per omnia thesaurus diues, atque pretiosus, dignus qui abyssos thesaurorum Christi cumulet. Et reuera nisi tales essent Sancti, argueretur inscitiæ, seu prodigalitatis increata & incarnata Sapientia IESVS, si pro vilibus quibusdam scrutis, pro fæno, ligno, stipulâ, pro paleis & luto: pretiosam substantiam suam, inæstimabilis pretij sanguinem, Animam, vitam suam profudisset. Sed absit ita cogitare, de Sapientiâ, Iustitiâ, Potentiâ, Charitate æternâ, quæsiuit, inuenit, selegit, emit, thesauros pretiosos, & in eis abyssos posuit. Posuit quidem ille & thesauros in abyssis suis, sed etiam simul recondidit abyssos in thesauris. Etenim Judicia DEI abyssus multa: atque terribilis, mirabilis, abyssalis planè DEVS in consilijs, super filijs hominum, potissimum circa Electos DEI, *radix Sapientiæ, nemini reuelata est*, sed exclamari debet. *O Altitudo Sapientiæ & Scientiæ DEI*, quam incomprehensibilia sunt Iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Habet ergo Dominus IESVS Sanctos, tanquam thesauros in abyssis, & tanquam abyssos in thesauris, in omnibus verò ipsemet est totus Thesaurus, totus diuitiæ, totus eorum DEVS. Omnis etenim Sanctus necesse habet confiteri, ac dicere Domino. *Gratia DEI sum, id quod sum*; & gratiâ quoque DEI non sum, quod non sum, *& gratia eius in me vacua non fuit*; & IESVS, ipse est thesaurus meus, ipse est ponens in thesauris abyssos, & thesauros in abyssis. Ipse thesaurorum thesaurus, ipse abyssorum abyssus, ipse thesauros omnium replet, ipse est suæ Plenitudinis plenitudo, & abyssalis abyssus.

Eccl. 1. 6. Rom. 11. 33. 1. Cor. 15. 10. Ibidem.

§. XXXII.

Hæc quæ prædicta sunt, omnem Christianum hominem inducere debent.

Christ° glorificator excitat vnumquemq; ad delendā in se terreni hominis imaginem. Rom. 8. 28.

1. AD dandam operam, vt Imaginem terreni hominis in se penitùs aboleat: Imaginem autem cælestis hominis, quàm maximè ad viuum exprimat, *conformisq; fiat Imaginis Filij* DEI.

Ad perpoliēdā in se perfectè effigiem Christi.

2. Prædicta omnem Christianum inducere debent, ad expoliendam iugiter, quouis die, ac si fieri potest, momento, ampliùs & ampliùs Imaginem hanc in se IESV Christi: conferendo illam cum istâ Archetypâ, & ideali; ac videndo quid adhuc desit illi, ad id quod satis, ad id quod perfectum est. Etsi enim quantumcunque quis in hâc similitudine profecerit, plenè similis nunquam erit: est tamen diligenti Christum, Christiano ad laborandum semper, vt quàm plurimùm similis, quàm minimùm dissimilis sit.

Adcurā virtutum perfectiū in se imaginem Christi.

3. Prædicta omnem Christianum inducere debent, vt dispiciat, & statuat apud se, quibus nam in virtutibus potissimùm velit, tàm in hac, quàm in alterâ vitâ imaginem Christi exprimere, & speculum eius esse, vt se per hanc vitam, in his specialius expoliat exerceatque, quæ magis vocationi, statui, muneri, conditioni, viribus, professioni conuenient, in hisque perfectus euadat.

Adprocurādam vestem nuptialē Charitatis & Imitationis Christi.

4. Prædicta omnem Christianum inducere debent, vt sibi Nuptialem vestem Charitatis, ac Imitationis Christi conquirat nunc, quâ indutus inter Amicos, & conuiuas Domini, dignè compareat consedeatque: Ne nimium serò, queratur lampadem suam defectu olei restringui: vt etiam cum purgato ac famescenti palato, ad cibos Mensæ Dominicæ accedat.

Ad ministerium Pauperibus Christi

5. Prædicta omnem Christianum inducere debent, vt sedulè pro conditione suâ, hic ministret fratribus minimis,

mis, præsertim Christi Domini, vt dignus euadat, cui etiam vicissim ministret Christus.

6. Prædicta omnem Christianum inducere debent, vt curet diligenter, & auidè, ac planè auarè, esse thesaurus Christi, absconditus quidem in agro humiliationis, mortificationis, modestiæque Christianæ, sic tamen vt luceat lux eius coram hominibus, vt videntes glorificent Patrem, qui in cælis est, quatenùs & de bono opere proximis, præbeatur bonæ ædificationis exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli DEO placendum est, semper optetur secretum. Curet quoque esse gemma coram Christo pretiosa, vt ille sapiens architectus, illum comperiat fundamento à se posito, superimponere aurum charitatis DEI, argentum dilectionis proximi, lapides pretiosos omnis generis virtutum, bonorumque operum, quibus ditet Christi thesauros, vt & in ipso Christus glorietur.

Ad curam, quâ euadat & mutetur in Thesaurū Christi.

Hactenus de Glorificatoris Christi Excellentiâ, & simul de illius in Sanctos suos profusâ beatificationis liberalitate. Quæ certum est à me, non pro grauitate argumenti, verè inenarrabilis, enarrata esse: attamen ipsa hæc grauitas, Maiestasque Materiæ excusat me, qui tentauerim balbutire arcanum, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Veniabile enim est sine dubio, Bonum quod possidere in æternùm debeas, scrutinio aliquantulo præuestigare, alioqui ignoti nulla erit cupido. Eius rei gratiâ, addo adhuc Lectori meo tres contemplatiunculas: huic argumento vicinas, & tractationem istam completuras.

Contemplatio 1. Verbi Incarnati Christi, Sanctos suos glorificantis.

Contemplatio 2. Delitiositatis Essentiæ Diuinæ.

Contemplatio 3. Effusionis Sanctorum in Diuinæ Essentiæ Deliciositatem.

CON-

CONTEMPLATIO I.

VERBI *Incarnati Christi, Sanctos suos glorificantis.*

CONtemplabor Christi Domini, in omnes, & supra omnes Sanctos suos in cælo beatificam profusionem, profusamque beatificationem. Ponam enim ob oculos mentis & corporis mei IESVM Christum, Increatam, Incarnatamque Sapientiam, tanquam beatitudinis Sanctorum omnium, fontem originem & auctorem. Sicut enim ille est omnis illorum boni meriti principium, in istâ vitâ, ita etiam idem ipse est origo, & collator omnis præmij in illâ vitâ, propter quod appellatur, *Pater futuri sæculi*, & *Agnus qui in medio Throni est, regere Sanctos, & ducere illos ad vitæ fontes aquarum*. Hâc ergo veritate, tanquam indubitatâ in animum demissâ, progrediar ad omnes actûs, affectusque circa IESVM DEVM-Hominem exercendos, in quantum est Angelorum, Hominumque Sanctorum glorificator.

Esaiæ. 9. 6.
Apoc. 7. 17.

Primò. Contemplatiuo intuitu, intuebor Verbum Incarnatum IESVM Christum, DEVM-Hominem in medio Sanctorum suorum, infinitis Angelicorum, Humanorumque agminum & ordinum millibus circumdatum: omnes illos, beatificantem pro cuiusque merito. Contemplabor illum, vt Solem in medio siderum, aut radiorum suorum, vt Regem in medio populorum, vt cor in medio membrorum, vt vitem in medio palmitum, vt Regis filium in nuptijs suis, in medio conuiuarum.

2. Contemplabor, quomodo Humanitas illa DEIficata, & Verbo vnita, influat beatificam gloriam in Sanctos omnes, & singulos aliter aliterque. Aliter in Angelos, aliter in Archangelos, aliter in Virtutes, &c. Aliter quoque in Patriarchas, aliter in Prophetas, aliter in Apostolos, &c. rursùm aliter in hunc numero Angelum, aliter

aliter in illum: aliter in hunc Apostolum, v. g. PETRVM, aliter in PAVLVM: Quemadmodum Sol, aliter aliterque cuiuis stellæ & Planetæ, lumen suum communicat, virtutemque luminis, vnde differt stella â stellâ. Aliter etiam cuilibet fermè terrarum parti, aliter & earum partui, siue fructui, tùm in specie, tùm in indiuiduo, aliter enim lilio, aliter rosæ, aliter viti, aliter oliuæ, &c. Sic & Dominus IESVS, cuique Sanctorum gloriam diuerso modo, graduque communicat in cælo: sicut etiam gratiam hâc in vitâ, vnicuique eorum alio & alio modo, aliâ mensurâ, aliâ efficacitate communicabat, vt facilè consideranti patet. Contẽp: 1.

3. Ex quibus colligere, cognoscere, contemplarique licet, immensitatem gloriæ Christi: atque etiam potestatis illius, à quâ habet vsque adeò indeficientem sufficientiam, abundantiamque influendi beatitudinem, in Sanctos Angelos & Homines, tàm actu tàm Beatos, quàm adhuc beatificandos, secundùm Animas & Corpora, per omnem Æternitatem.

4. Gratulabor, hanc glorioſam occupationem Homi-DEO Christo; ista est enim summa gloriæ eius, ista merces & corona præmiumque laborum omnium eius.

5. Gratulabor, & Sanctis omnibus, tàm Angelis, quàm Hominibus, quod ab Homine DEO glorificentur. Maximè verò Hominibus gratulabor, quia intuentur & habent Redemptorem, Præmiatoremque suum, & in carne suâ vident, possident, experiuntur Saluatorem suum.

6. Eiusdem felicitatis spem, & mihi, & omnibus, advsque diem iudicij, & finem mundi â Christo glorificandis, congratulabor, repetens cum Beato IOB. *Credo quod Redemptor meus viuit, & in carne meâ videbo Saluatorem meum*; vsque adeò Magnum, Dignum, Præpotentem, Fidelem, Liberalem, Constantem, Æternum. Iob. 19 25.

7. Attendam, quàm libenter, & liberaliter hâc occupatione distineatur Dominus IESVS, ita vt ex hoc officio, immensus quidam illius cordi gustus, amorque Diuinita-

Contẽp: 1. uinitatis actiuus, passiuusque perenniter accedat, eumq; accidentali voluptate lætificet.

8. Attendam quoque, quantùm hoc nomine à Sanctis omnibus, ametur Dominus IESVS, honoretur etiam, & exaltetur.

9. Attendam etiam aduertamque, quo affectu, gustu, amore, & amoris impetu, cordisque adglutinatione, omnes, & singuli Sancti sugant beatitudinem ex Christo, tanquam ex mammillâ Patris æterni, tanquam ex vbere plenissimo Gratiâ omnium nutrice, & gloriâ omnium consummatrice. Et quidem in eos potissimâ quâdam liberalitate, Dominus IESVS se profundit procul dubio, qui etiam potissimâ quadam ratione, Sacratissimam Christi Humanitatem amare, colere, & gloriam ipsius promouere, meritis quoque, & gratijs illius feruentiùs, frequentiùs, auidiùs vti, tàm se, quàm alios curauerunt.

10. Admirabor, & demirabor, iterum, iterumque, amplius & amplius, adhuc & adhuc, istud ineffabile, & super admirandum IESV Christi officium, in eiusque demiratione stupens hærebo.

11. Optabo, & anhelabo auidissimè, ad sugendam illam gloriam in futuro, gratiam verò in præsenti, ex Humanitate IESV Christi. Ob quod in hâc vitâ proponam, & adnitar fameliciſſimè sugere, instar lactentis, aut hirudinis, aut pelicani pulli, lac & succum gratiarum, meritorum, virtutum Christi: vt ex eo crescam, adolescamque in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis eius, nec non in acquisitionem substantiæ gloriæ ipsius.

12. Experimento practico, imaginario saltem, aut votiuo, deguſtabo gloriam, glorificationemque Christi, deriuando illam super me desiderio, imaginatione, postulatione, gaudio, gratiarum actione, obsecratione, exinde aliquatenus agnoscens, quàm reuera non sunt condignæ passiones, huius temporis ad futuram gloriam,

am, quæ reuelabitur in nobis: itemque quàm immensum gloriæ pondus, supra modum in sublimitate operetur momentanea, quæ in præsenti est leuissima tribulatio nostra. Contēp: 1.

13. Comparabo ex intuitiuâ, (quoad fas erit) glorificationis Christi, quâ Beatorum suorum populos satiat, apprehensione, ac præsentiâ, quanto discrimine Christus Sanctos glorificet, & quanto Reges mundi suos non populos, sed seruos pauculos glorificent. Certè gloria seculi huius, sicut stercus: qui ergo hanc alijs dant, nolo dicere quibus sint similes, Bonorum huius mundi, finis interitus, & gloria in confusione: quid ergo magnum dant, Magnates huius mundi, qui interitum & confusionem illis partiuntur? At Christi glorificatio, & Sanctorum à Christo, non sic est. *Sed nimis honorati sunt amici tui* DEVS, *nimis confortatus est in omnem æternitatem principatus eorum.* *Psal. 137. 17.*

14. Igitur omni quâ potero meliori diligentiâ, conatuque incendar, & contendam, vt ego quoque, & quàm plurimi mecum, efficiamur ex numero illorum, quorum à se glorificandorum Nomina scripta, in libro vitæ ab æterno Patre accepit Dominus IESVS, paraboque ad omnes difficultates, cum Christi auxilio peruincendas, cuius & amore incensissimo feruere studebo, in nullo nisi in Cruce illius gloriando, &c.

CONTEMPLATIO II.

Delitiositatis Essentiæ Diuinæ.

RElictis omnibus sublunaribus, totalitate cordis affectusque, omni etiam mentis, rationisque subductâ, ab his præsentiâ, discedam in cælestes, supercælestesque regiones, vbi ver assiduum, nox nulla, nullæ tempestatum vicissitudines, molestiæ nullæ, timor, labor, luctus nullus

Contép:2. nullus. Deinde etiam hâc materialium cælorum, pulchritudine non me detineas, Angelorum quoque ordinibus, & Beatorum Hominum populis, tantùm inuisis, ac salutatis reuerenter, transcendens etiam illos, accedam ad ipsum vitæ, beatitudinis, Deliciositatisque fontem, DEVM Trinum & Vnum, eiusque Augustissimam Essentiam.

Hic statione fixâ, humillimam & omnipossibilem, corde, corpore, Animâ, toto me, Sanctissimæ Trinitatis Essentiæ reuerentiam, adorationemque exhibebo, petam, benedictionem eius Sacrosanctæ Maiestatis, ad perfruendum, quàm exsaturatissimè omnibus delitijs, eius immensæ, abyssalisque deliciositatis, ad condignissimum Gustum ipsius, superaugustæ voluntatis, voluptatis, Diuinitatis.

His velut præludijs peractis,

Primò: Contemplabor totam totius Essentiæ Diuinæ, abyssalem deliciositatem voluptuositatemque, quæ alia non est, nisi ipsamet Essentia DEI, quam mihi ob oculos ponam prout potero condignissimè, per modum assertæ, compertæ, & ipsissimæ, ac nullatenus indubium reuocandæ veritatis. Est enim veritas veritatum omnium verissima Essentiam DEI, esse verissimè deliciosissimam? & abyssales in se delitias continentem essentialiter, ac omni possibili, tàm necessitate, quàm actualitate: ac ideo talem cui nihil desit, deesseque possit, infinitam, immensam, incomprehensibilem, DEI solius propriam, illi soli adæquatam, parem, debitam, condignam, omnium aliarum deliciarum, deliciositatumque fontem, normam, regulam, finem, speciem, condimentum.

Si ad deliciositatem pertinet Essentiæ, plenitudo & perfectio. Naturæ integritas, Personæ decor & dignitas, attributorum & perfectionum Essentiam complentium omnis varietas, simplicitas, æqualitas, summitas, infinitudo. Si pulchritudo, speciositas & decor: si

abun-

abundantia omnis vitæ, omnis boni recti, veri, si fæcunditas, amænitas, fructuositas: si sapientia, potentia, dulcedo: si sanitas, firmitas, robur, fortitudo, permanendi constantia, ac æternitas: si gloria, honor, laus, excellentia: si Dominatio, Regnum, Maiestas, diuitiarum omnium infiniti thesauri: si cordis lætitia, gaudium, exultatio: si ordo, amicitia, bonitas, communicabilitas: deniq́ue si quidquid boni, perfecti, absolutiq́ue esse, & concipi potest, hoc ad delitias & voluptuositatem pertinet, totum hoc indubitatè ad Essentiam Diuinam pertinet, in DEO est, DEVS est, atq́ue ita DEVS delitiosissimus, & ipsa pura, essentialis, abyssaliq́ue Delitiositas est. Contẽp: 2.

Quamuis autem fatendum necessario sit, quod, quomodo si quis in fundo maris positus, sursùm aspiciat, nihil, aut penè nihil eorum, quæ suprà superficiem maris sunt videre, ac discernere possit: ita nos in hoc mundi sensibilis fundo constituti, nihil cælestium, multoq́ue magis nihil Diuinorum despicere possumus, sed instar talparum, aut noctuarum, in meridiano sole cæcutimus: tamen supra dictâ veritate, de delitiositate Essentiæ Diuinæ; in intellectu firmatâ, atq́ue constabilitâ: effundar totus, totusq́ue in varios affectûs, actusq́ue circa istam abyssalem deliciositatem Diuinæ Essentiæ.

Ac primùm contemplatiuo intuitu, defixoq́ue mentis obtutu in illis delitijs, deliciarumq́ue oceanis & abyssis Diuinæ Essentiæ speculabor, opum illarum chaos, delicatissimum, beatissimum, beatificum.

2. Admirabor, & stupebo, plenâ mentis absorptione abyssalia, illa delitiarum maria, atq́ue diluuia. Mare enim est Essentia, mare Sapientia, mare Omnipotentia, mare Bonitas, mare veritas, mare pulchritudo, omnis perfectio Deitatis mare, & immensum mare.

3. Approbabo, applaudam, gaudebo gaudiosissimè, ostendens lætari me summè, quod tam diues, & delitiosa, delitiositasq́ue pura sit Essentia Diuina.

Contẽp: 2. 4. Optabo, & anhelabo, & postulabo, gemitu & æstu cordis mei omnimodo, tùm Deo delicioſitatem hanc ſuam, tùm mihi guſtum illius, ex notitiâ, ex poſſeſſione, ex experientiâ, ex fruitione, ex ſaporatione, confectum, & conflatum.

5. Jmmergam me præcipitatione impetuoſiſſimâ, in abyſſalem illam Eſſentiæ delitioſitatem, & vſque in ipſum, fundo carens fundum deſcendam, nunc quidem in totalem, vniuerſamque, ſimul, & indiſcriminatim: nunc verò quaſi in partitam, vt in delitias Sapientiæ admirabilis, in delitias omnipotentiæ irrefragabilis, nunc in delicias bonitatis inexhauſtæ, nunc in delicias pulchritudinis, dulcedinis, Maieſtatis, Iuſtitiæ, Miſerationis in infinitum infinitæ.

6. Pleno animæ ore atque capacitate, (memoriæ, intellectûs, voluntatis; item Amore, Deſiderio, ſpe, obſecratione, tædio,) experiar guſtum delitioſitatis Diuinæ, & eo quantum prævalebo delectabor, eundem guſtum repetam, repetamque, & iterabo inſatiabiliter.

7. Inſtituam comparationem deliciarum quarumcunque creatarum, cum hâc delicioſitate Æternâ, Eſſentiali Eſſentiæ Diuinæ, eiuſque experimento & guſtu. Quid enim ſunt illæ ad has: niſi quædam fæx vilitatis ac vanitatis? Et heu! tantùm tamen inhiamus, inhæremus, inuiſceramur noſtris hiſce quisquilijs, & ſordibus voluptatum, nonniſi æternaturis doloribus eluendarum, nec tamen eluendarum. O homines falſas delitias contemnite, veras delitias amate.

8. Conuerſus ad Sanctos: eoſque delicioſitatis Eſſentialis Diuinæ incolas, poſſeſſores, fruitores, hæredesque videns, amabo tantum bonum illorum, gaudebo de illo, gratulabor, ſanctâ inuidentiâ inuidebo, gratias largitrici ſui delicioſitati agam. Specialiter defigam mentis oculos, in particulares Sanctos, ſpecialiter quoque hîc deliciantes. Talis imprimis eſt, Beatiſſima Humanitas Jesv Chriſti, præ quâ nullus Sanctus affluit Eſſentiæ

Dei

DEI delitijs. Talis etiam est pretiosissima DEI Mater, & Virgo MARIA, talis summus Seraphicus Spiritus, inde alij & alij, Sanctus IOANNES Baptista, Sanctus IOSEPH, Sanctus IOANNES Euangelista, Sancti PETRVS PAVLVS, cæteriqúe Apostoli, &c. Contép:

9. Conuertar exinde ad meipsum: & videbo, quàm ego longè ab hoc statu felicitatis, tùm ob statum viatoris, tùm ob statum temporis, & aliorum peccatorum, impedimentorumque: Cum interim in illo superbeato statu, eo iam perfruentes sint innumeri: à quibus me præuentum, non tàm quidem morte ac tempore, quàm potiùs feruore & aptitudine, meritorumque condignitate, summus meus pudor, extremaque confusio mea est.

10. Excitabor ergo ad feruorem, & ad constantiam in bonis, quibusque studijs operum virtutumque, quibus ad fruitionem bonorum, deliciarumque Essentiæ DEI præparer. Ad quod petam ardenter & supplicter, benedictionem copiosam à Sanctissimâ TRINITATE, eiusque Essentiâ delicioſissimâ: ab IESV Christo, ab eiusdem Matre, à Sanctis omnibus & singulis.

CONTEMPLATIO III.

Effusionis Sanctorum, in Diuinæ Essentiæ Deliciositatem.

CONtemplabor omnium Beatorum, tàm Angelorum, quàm Hominum, in DEVM & delicias Essentiæ illius, effusionem delicioſissimam, effusissimam, insatiabilissimam. Quis enim dubitare potest, quin Sancti, clarâ, & intuitiuâ, & beatificâ, Diuinæ Essentiæ visione potiti, tanto ardoris impetu, tantâ amoris vi, tantâ necessitatione liberi arbitrij, totiusque animi capacitatis rapiantur, in Abyssales illas DEI immensitates, deliciositatesque,

Contẽp: 3. telque, quantâ vi, & rapiditate nulla grauia ad centrum, nulla è nubibus fulmina, nulli fistulis æreis eiecti globi, quo fert impetus feruntur. Rapiuntur sanè, & rapiunt sese, præcipitant, & immergunt, sepeliunt, obruunt & perdunt, beatæ illæ mentes in profundis DEI quisque pro suo gradu, modo, & statu: neque in hoc impetu, libertas eos, sed felix necessitas gubernat.

Hac indubiâ veritate, (quam vtinam in ipso me aliquando practicè, & reipsa experiar in æternùm continuaturus,) altè in animam demissâ, accedam ad actus, affectusque circa hanc Sanctorum, in DEVM effusionem & absorptionem exercendos.

1. Contemplabor ergo illas, æternæ DEI essentiæ bonitatisque catenas amabiles, quibus ad se mentes Sanctas rapit, statim à puncto, quo à lumine gloriæ roborantur, eleuanturque ad videndum intuitiuè DEVM, sicuti est. Catenæ sunt v. g. immensitas veritatis, Bonitatis, Charitatis, Dulcedinis, pulchritudinis, amabilitatis, perfectionis, per omnia summæ, infinitæ, inexhaustæ, &c.

2. Contemplabor, quàm volentes violententur, quàm violenter velint, & volent in ima & intima Diuinitatis bona, planè, & plenè intrantes in gaudium Domini DEI sui.

3. Contemplabor, quâ varietate conatuum, intensionum Beati in DEVM ruunt, distinentur in eo, pererrant DEVM? omnes tamen pleniſſimè, efficaciſſimè, exsatiatiſſimè replentur, vtpotè omni, seu Diuinitatis bono. Quemadmodum hîc apud nos, regnante vernâ serenitate, totus hic mundus, & in eo, quæ sunt iucundâ varietate, quælibet res distinetur, vermiculi tenues perterram repunt, pisces in aquis ludunt, animantes quadrupedes, syluas campos pererrant, aues per aëra volitant, homines suis quique studijs occupantur, gramina herbæ flores germinant, syluæ foliis comuntur, in fructusque illigantur: auræ flant, spirantque gratissimè, totus

totus aër volucrum, varijs cantibus vbiq́ue personat. Sic cogitare, imaginariq́ue licet, vniuersam beatarum mentium multitudinem in DEO, eiusq́ue delectationum, ac deliciarum seu mundo, seu oceano, admirandâ, eâq́ue beatificante varietate studiorum, amorum, gaudiorum, exaltationum & laudationum occupari. Aliter quidem Angelos, aliter Archangelos, &c. aliter Apostolos, aliter Martyres, &c. aliter vnumquemq́ue eorum singillatim. Contẽp:3.

4. Dispiciam occupationes istas Sanctorum in DEO: quæ sint licet infinitæ, vna tamen sunt omnes. Beatitudo scilicet, quâ felicissimè absorbentur, & beati sunt, sunt autem, quia in summo bono sunt, & illo potiuntur fruuntur, satiantur, gaudent, explentur, pro omni æternitate. Inde laudant DEVM, in sæcula sæculorum: & laus ista merces eorum est, quâ mercede carebunt nunquam: quia DEO quem laudent, carebunt nunquam, & in DEO materies eius, laudationem deficiet nunquam. Hæc est enim Sanctorum vita, habere DEVM; quia ergo semper habebunt DEVM, semper viuent, quia semper viuent, semper laudabunt, quia semper laudabunt, semper mercedem accipient, quia semper accipient, erunt quieti, contenti, securi, beati semper.

5. Approbabo hanc Sanctorum, omni felicitate felicior em occupationem, vnam quidem, & omnium instar, & omnes sinu suo complectentem. Qui enim Beati DEO sunt, amant, desiderant, habent, fruuntur gaudent: qui beati DEO sunt; laudant, glorificant, exaltant, magnificant DEVM: qui beati DEO sunt, venerantur, reuerentur, subduntur, obediunt, castè filialiterq́ue timent: qui Beati sunt DEO, gloriantur, glorificantur, omnia amant in DEO, & DEVM in omnibus, DEVM super omnia: qui beati sunt DEO, illi gratias agunt, illum admirantur, in eo habitant, in eo regnant, eo satiantur appetentes, eum appetunt satiati: eum volentes

Contēp:3. possident, & carere illo nunquam possunt, nunquam velle possunt, nunquam posse volunt. Deniqúe, qui DEO beati sunt: vident DEVM facie ad faciem, & eum totis se dilaudant occinentes semper hymnum Sanctus, Sanctus, Sanctus.

6. Degustabo gustum illum, quem omnes & singuli Sancti habent in DEO, de DEO, ad DEVM, & quem cuique in se dat DEVS. Si enim illud Manna Mosaicum, deseruiebat vniuscuiusque voluntati, conuertens se ad quod quis volebat, & omne delectamentum in se vno exhibens, quicunque fideliter cum DEO agens, illud manducabat. Quantò magis DEVS, eiusque ineffabilis, ac infinita dulcedo præstabit omnem delectationem suis Sanctis? & exhibebit saporem super omnem saporem?

7. Gratulabor DEO, hunc Sanctorum omnium ex eo gustum, quem ex illius fruitione, possessione, laude, delitijs, habent. Hæc enim est vna & sola, DEI, quam ex suis creaturis, capit vtilitas & voluptas. Habere scilicet creaturas, quas suâ beatitudine expleet, & quæ bonis eius expleantur, beatificenturque.

8. Discam à Sanctis frui DEO, possidere, gustare illam, laudare eundem, saginari DEO, saginare DEVM laude, amore, exaltatione, honore.

9. Prouocabo, æmulabor, supergredi optabo, conabor, Sanctos in conatu laudandi, exaltandi, gustandi DEVM, illoque fruendi.

10. Jungam me comitem, siue alicui Sancto, siue aliquibus, & vadam in immensitates Diuinæ, nunc quidem Essentiæ ac Naturæ, nunc Vnitatis, nunc Trinitatis, & processionum Personalium. Nunc Sapientiæ, nunc Omnipotentiæ, & in illis abyssis me occupabo, recreabo, pascam, & saginabo, & abscondam, & sepeliam, & annihilabo: in Esse Diuino, in centro, in fundo, in medullâ, in immensitatum & infinitudinum abysso.

11. Absorbebor & ipse, atque inebriabor ab illâ vbertate

tate voluptatis, interminabilis Diuinæ, & ſanctâ, ſobriaque, ac humili, ebrietate, quaſi deſipiam, effundamque me in DEVM prodigum ſui in me: ob quod ego viciſſim, prodigam me ipſimet DEO, pro DEO, coram DEO, omnem omninò ſubſtantiam meam, animam, Corpus, vitam, ſanguinem, rationem, libertatem, bonam famam, bona omnia interna externa, naturæ, gratiæ ſpiritûs, naturam, perſonam, ſtatum, quidquid demum ſum ex DEO. Contẽp: 1.

12. Profundam, & planè proſtituam me DEO, & pro DEO, ad omnem voluntatem eius, ad omnem guſtum, gloriam voluptatem, delicias placitum, & (ſi fas dicere) abuſum eius. Omnia mea, & ipſum me, omneſque atomos meos, & totius vniuerſi, ipſum quoque nihilum meum, profundam, prodigam in DEI guſtum; vt fiat illi ex me, ſolus, purus, totus, maximus, poſſibilis guſtus eius, quem ſcit, vult, poteſt per Omnipotentiam, per Sapientiam, per Bonitatem, per Amorem, erga ſe ſuum, ſibi exhibere, & efficere.

A. M. D. G.

SEMINARII

